Ex Libris Thomæ Antoni Dosciorski

IESVS PASSVS

Per CENTVRIAM MODORVM Meditandi Passionem Salvatoris nostri illustratus;

Et ad
Publicam Fidelium IESV Christi utilitatem

A R. P. GASPARE DRVZBICKI
Societatis IESV

Cum approbatione Superiorum evulgatus.
Editio secunda Auctior.

Cui accesserunt Meditationes in Passionem Domini 46. iuxta numerum dierum Quadragesimæ

Ex Libris Thomæ Antoni Goscinski

Calissii, Typis Collegii Societatis IESV.
Anno Domini 1660.

Decani Croben. pro tunc Præpti Ecclarũ Borcensium ac Decani P. Pempovien.

126918

O. M. D.

IESV CHRISTO

DEI FILIO,

Hominum inter Passionis

dolores & Crucis Mortem.

GENITORI.

Vltima humanæ plebis portio,

Redemptorumque postremus,
ac posthumus Filius.

HONORI ET GLORIAE

DEI, AC PATRIS,

SALVATORISQVE SVI,
Minutum hoc Opellæ suæ,

D. D. C. Q.

Passio D. N. J. Ch. sit semper
in corde meo.

ILLVSTRISSIMO COMITI D.

D. NICOLAO PAZMANY DE PANAZ

Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis
CONSILIARIO INTIMO, & CVBICVLARIO,
Domino & Hæredi in Wesele, Evanovice, Litenczyce, &c.
nec non Domino suo clementissimo,

GASPAR DRVZBICKI è Societ. IESV Æ. F.

Vindischborâ: Castello Glogoviæ maiori vicino, ubi, communi Patriæ nostræ clade adductus, jam biennium exulo: & beneficio Bohemicæ nostræ Societatis Provinciæ demoror, ad Te Comes Illustrissime *advenio, evocante me ad* Te, *animosq; mihi faciente non aliâ magis causâ, quàm ipsâ benevolentiâ* Tuâ; *nec alio Ductore magis, quàm ipso* Te. *Ita neque audax, neque importunus reputari metuo, etiamsi & Personâ ignotus, & conditione humilis, & Natione alienus, non tam accedere, quam ingerere meipsum ad* Te *videar.*

Mos est, ab eo tempore enatus hominibus, ex quo ingenia humana aliquid lucubrare, & publici juris facere suæ mentis partus occeperunt, ejusmodi laboribus suis, vel Amicum ad Benevolentiam, vel Patronum ad tutelam, vel Lucem ad claritatem, vel Domicilium ad incolatum alicubi destinare. Morem hunc dum & ego sequor, & dum aliquem cui nonnihil opellæ meæ asseram, asseramq;, ipse mecum in peregrino solo perquiro: Tua Comes Illustrissime *mihi se ultrò detulit Dignitas, ultro me* Tua *invitavit benevolentia, ultro adtraxit munificentia.*

Fateor, ubi primum Nomen Tuum *in aures notitiamq; meam devenit,*

protinus retaluit mihi memoria Eminentissimi illius nuper S. R. E. Cardinalis, totiusq; Vngariæ Primatis Archipræsulis Strigoniensis, Apostolicæ Sedis Legati Nati, summiq; (verbo ut complectar omnia) summi inquam sæculo nostro Viri. Cujus si vitæ integritatem recolo, Vngariæ Augustini: si Doctrinam & pro Religione Zelum Hieronymi; si labores, ac operæ, operumq; sumptus, revera Patriæ Patris, Ecclesiæ Doctoris, atq; Apostolicorum pro DEO, ejusq; fidei & Gloriæ causis conatuum Magni æmulatoris, censere & affirmare nequaquam dubitem. Cujus Principis, cùm olim ego magna gesta, magnas & laudes, inprimisq; magnos pro Ecclesiæ Religionisq; Catholicæ, tum & pro Patriæ integritate labores planè magnos multosq; audiens aut legens sæpius admirari, atq; tantum Columẽ Vngariæ gratulari consuevissem, subitò occupavit me desiderium, Tibi tanti Principis Nepoti, virtutumq; Heredi, hoc aliquid operæ meæ deferre, nec non illi apud Te Amicum, Patronum, Lucem, Domiciliumq; gratiæ deposcere.

Addidit præterea mihi stimulum, Tuorum Comes Illustrissime majorum tam perantiqua, quàm recentior claritudo & multa, & magna. Nam quid Vngariæ Regnum habuit unquam STEPHANO Rege, vel ob Christianã Sanctitatem, vel Regiam Magnificentiã gloriosius? jam tunc tamen Pazmanycæ familiæ Procerem, reperio eidem STEPHANO militaribus suis copiis auxiliantem, & virtutibus suis in aula ejus radiantem. Iam verò, quid habuit Vngarica Corona, MATTHIA CORVINO Rege, quâ domi, quâ foris, quâ pace, quâ bello, illustrius atque rarius? apud hunc verò ANDREAS PAZMANY, & ob virtutem delicium, ob fidem oculus, ob res gestas gratiæ Princeps fuisse memoratur. Posse hîs addere STEPHANVM PAZMANY, Regi suo CAROLO, ob fortitudinem bellicam inprimis carum. Possem & IOANNEM PAZMANY, cum NICOLAO Filio PETRI CARDINALIS jam memorati progenitore, nec non alios propriâ virtute insignes, ad memoriam & laudem adducere: at me his occupari hoc loco memorandis nihil opus esse agnosco, quando Tu Comes Excellentissime, es mihi unus majorum tuorum heres, & quasi Compendium tam sanguinis quàm virtutis.

Nunquid enim Augustæ memoriæ FERDINANDVS III. Imperator idemq; Vngariæ Rex, in te vel fidem debitam sibi, vel militarem fortitudinem Patriæ necessariam, sub rebellium tumultus, in Te non est magna cum virtutis Tuæ approbatione expertus? Nunquid non Tua fortitudo Munitionem Saduariam tenuit & servavit? Vesprynum item & Pappam Arces Patriæ, nunquid non PAZMANA, id est, Tua Comes inclyte à Turcis invasoribus defendit?

Et hæc quidem Majorum tuorum Virtus Gloriaq; bellica in Te residet.

Hæc

Hæc autem quam subtexo, PETRI CARDINALIS PAZMANY, *Patrui* Tui *indoles est.* Tu *enim Vseticense Dominium, diligenti pietate* Tuâ *ab Hæresi, ab hibitis Patrum Societatis* IESV *laboribus, perpurgâsti.* Tu *Monasterii Wessko-viensis in Moravia Capucinorum Pater.* Tu *Collegium Societatis Nostræ Olomucii, parte structuræ non perfeciſti tantùm, sed etiam adornâsti,* Tuam *profusè piam liberalitatem, nulli, ac inprimis Evangelici Pauperes non agnoscunt. Neque verò quàm es in alienos, alius es in* Tibi *subditos: quibus ita Dominus es, ut simul Patronus & Pater sis: quorum sic operis uteris, ut simul illi* Tuâ *in se beneficentiâ perfruantur.*

Privatarum, interiorumq; virtutum Tuarum *supellectilem, aut potiùs Gazam,* Tibi & DEO, *& his qui* Te *intimiùs norunt relinquo perscrutandum. Innotuit tamen* Tua *Animi cura, Spiritualium rerum studium, Mansvetudo, Charitas, Commiseratio, Affabilitas, Liberalitas, Modestia. Redditur* Tibi *egregium testimonium, quòd nemini inferre, nulli referre injuriam scias. Nostris ex Polonia hac tempestate exulibus aperuisti sinum beneficentiæ* Tuæ *spontaneæ. Ego ipse, prius* Tibi *Gratiam me debere cognovi, quàm vel optavi, vel exspectavi. Quæ omnia cujus Animi sint, decernant vel illi ipsi, qui calamitatem alienam prædam suam faciunt, & felices esse volunt infortunio aliorum.*

Ampliùs in ruborem non voco Modestiam Tuam Comes Excellentissime. *En allego ad* Te *vice mei* IESVM PASSVM, *jam quidem nuper sub alio titulo ex parte vulgatum, sed iterum necessariò reformandum, magnâ verò sui etiam parte auctiorem: propterea; etiam plus priore operâ spero* Tibi *probandum.*

Suscipies ergo hunc, modò non tantùm de oblatione mea, sed etiam de Liberalitate Tua, *jam* Tuum, *& qui minorem illum fovisti, hunc adultiorem favore patrocinioq; Tuo, excludendum non putabis.*

DEVS Te Comes Illustrissime, *servet, sibi, Patriæ, Tibimet, Tuisq;, ac Bonis omnibus, incolumem diu. Dabam Windischboræ Augusti 1657.*

Tuæ Illustrissimæ Dominationis

Devotus

Gaspar Druzbicki S. I.

FACVL-

FACULTAS

A. R. P. N. Generalis.

FRANCISCVS PICCOLOMINEVS

Societatis JESV Præpositus Generalis.

CVm *TRACTATVM*, De variis modis meditandi Passionem Christi *à P. Gaspare Druzbicki, nostræ Societatis Sacerdote conscriptum, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edipoſte probaverint, facultatem facimus, ut Typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur. Cujus rei gratiâ, has literas Manu Nostrâ subscriptas, Sigilloq; nostro munitas damus. Romæ. 2. Aprilis 1651.*

FRANCISCVS PICCOLOMINEVS.

APPROBATIO CENSORIS.

LEgi *TRACTATVM, R. P. Gaspari Druzbicki Societatis* IESV, De variis modis meditandi Passionem Christi, *& cùm sit opus ita eximium, ut Animâ Mentium humanarum Christi Passionem meditantium eas in ariditate animans & vivificans, dici mereatur, censeo imprimendum. Posnaniæ, 15. Maji, 1651.*

SIGISMVNDVS ZARANEK, Soc. IESV, Censor Librorum Diœcesis Posnanienſis, ad expressum Mandatum Illustrissimi Loci Ordinarii.

In

IN IESVM PASSVM,
PER CENTVRIAM MODORVM MEDITANDI PASSIONEM DOMINICAM
ILLVSTRATVM,

PRÆFATIO.

NOn tantùm causâ vitandi fastidii, quòd ex semper vniformi ratione, modoque recogitandi Passionem Domini contrahi facilè posset, verùm etiam propter intimiorem arcanorum mysteriorum ejusdem Passionis cognitionem, & insuper propter vberiorem maximorum fructuum, ex ejusdem Passionis meditatione perceptionem, operæ pretium mihi videtur fore, si varios Passionem Dominicam meditandi modos Lectori proposuero, quorum varietate cognitâ, atque gustatâ, fastidium quidem deuitet, famem verò exacuat, delectationem acquirat, interiora Passionis Christi faciliùs subintret, & denique quod rei caput est, fructibus eximiis semper onustus prodeat, atque instar *boni Patris familias, de thesauro suo,* nempe Dominicâ Passione, *noua & vetera proferat.* Cupio verò, vt Lector iam nunc intelligat, mihi propositum esse explicare modos Passionem Dominicam recogitandi, meditandi, contemplandi, longiore quâdam morâ in eis mentem occupando. Nam illam instantaneâ ac transitoriam Passionis Christi memoriam, circaque IESVM Passum, vel Patientem, animi, breuiculam, & subinde repetitam, interruptamque, ac innouatam occupationem, quâ deuoti, perfectique viri, pro suo quisque, tum gradu, tum feruore, saluberrimè vti solent, hoc tempore ego pertractandam mihi non sumo. Deinde verò non Meditationes in Passionem, sed modos meditandi Passionem describendos mihi statuo. Quanquam enim modis Paradigmata passim subijciuntur, quæ etiam Meditationes sunt, hoc tamen non nisi ideo agitur, vt modis ipsis major quædam lux apponatur. Igitur vt propositum meum exequar, sit jam Tractationis initium.

Matt. 13. 52.

MODVS I.

Passionem Dominicam meditandi.

IVxta rationem meditandi à Sancto Patre Nostro IGNATIO traditam, & à nostræ Societatis hominibus vsurpari solitam, assumantur ad meditandum singula mysteria Dominicæ Passionis, juxta contextum historiæ, ab Euangelistis descriptæ: in eisque debitâ deuotâque diligentiâ, recogitentur. 1. quidem Personæ, v. g. Christi, Matris ejus, discipulorum, persecutorum, Patris æterni, Angelorum, Dæmonum, expendendo singularum Personarum conditiones: ex eaque expensione documenta eruendo, affectûs eliciendo, proposita concipiendo. 2. autem Personarum verba, seu verè seu probabiliter dicta, dicendaue attendendo, atque ex eorum ponderatione, doctrinas, & affectûs, propositaque propriæ meditantis conditioni idonea eliciendo. 3. Demum operationes Personarum singularum considerando, factâque reflexione super proprium statum, ac modum viuendi, documenta similiter, affectûs, ac proposita competentia exercendo: ac totum Meditationis negotium debitis postulationibus, atque colloquiis cum Deo, & Christo &c. concludendo. Paradigma hujus meditandi modi proderit hoc loco subtexere: confectum ad instar ejus, quod sanctus Pater Noster IGNATIVS, in suo exercitiorum libro, Hebd. 2. die 1. expressum habet, de IESV Christi Incarnatione.

Oratio Præparatoria præmittenda Meditationi erit, quâ petamus à Domino gratiam, vt vires operationesque nostræ omnes, sincerè ad ejus gloriam, & obsequium tendant.

PRÆLVDIVM I. erit. Proferre in medium summariam Passionis Dominicæ (aut partis ejus) meditandæ historiam. Quomodo Dominus noster IESVS Christus, quem æternus Pater, ex ineffabili dilectione sua, in mundum misit, vt Saluaretur mundus per ipsum: aduenientè jam tempore præstituto, Ierosolymam (locum scilicet Passionis suæ futurum) venerit, inibi consummauerit omnia, quæ scripta fuerant de illo per Prophetas. *Traditus enim est gentibus, & illusus, & flagellatus, & conspuetus, & postea in Cruce occisus, per manus pec-*

cator

catorum. Quæ dum suo incumbebant sceleri, famulabantur Saluatori, & humanigeneris ministrabant redemptioni.

PRÆLVDIVM II. erit. Imaginariè videre Hierosolymam vniuersam, in cuius diuersis locis Dominus noster, salutem nostram, per Passionem suam operatus est. Talis locus est Cœnaculum, in quo lotis Apostolorum pedibus instituit Sacrificium, & Sacramentum altaris, suæque memoriale Passionis: talis est hortus Gethsemani, in quo vsque ad sudorem sanguineum orauit: talis domus Annæ, Caiphæ, Pilati, Herodis, talis mons Caluarius, &c.

PRÆLVDIVM III. Continebit gratiæ postulationem, vt intimè cognoscam, quo pacto Dei Filius Passus, Crucifixus, Mortuus sit pro me, proque humano genere vniuerso, vt ardentiùs ipsum amem & abhinc ei seruiam, ipsumque imiter studiosiùs.

PVNCTVM I. Speculabor Personas quæ in Passione Christi, partes suas habuerunt. Et *Primò*, vniuersum genus humanum, in miserrima licèt peccati & Diaboli captiuitate positum, tamen nihil minus sentiens, aut cogitans, quàm lachrymabilem statum suum: sed omnes homines veluti conspiratione factâ, junctisque manibus, & passibus, & studiis, in tartara ruere. *Deinde* contemplabor Æternum Deum, tactum commiseratione Cordis sui Diuini intrinsecùs, Filium suum pro salute hominum ad mortem crucis mittentem, eumque propter scelus populi sui, duro Passionis flagello castigantem. *Præterea* contemplabor Dei Filium offerentem sese Passioni, ad instar Agni innocentissimi, ad victimam duci, fierique obedientem Patri, vsque ad mortem, mortem autem crucis. *Insuper* Cogitabo Virginem Matremque IESV Christi MARIAM, voluntati Diuinæ deuotissimam, etsi acerbissimè Passionem Filii sentientem, summa tamen cum animi resignatione, filium suum Æterni Patris voluntati per omnia consignantem. Cogitabo post hæc rabiem Luciperi, totiusque potestatis tenebrarum, quâ hostium Christi animos, in cruciatus, & necem ejusdem, quàm crudelissimam exstimulauit: nunc mittendo in cor Iudæ consilium ejus vendendi, nunc in cor Iudæorum Principum propositum emendi, & fundendi sanguinem illius, &c. Considerabo etiam

Principes Iudæorum omnino obfirmatos in necem Christi, & nec sumptibus, neque curis parcere, modo suum in Christum odium exsatient: jamque pacisci cum Iudâ, jam cogere, mittere, comitari cohortem, & ministros, ad eum capiendum, jam captum rapere, ad sua conciliabula, inibi de eo quæstiones habere, falsis testibus obruere, reum mortis proclamare, jam vinctum Pilato tradere, Herodi adducere, necem ejus apud Pilatum urgere, sanguinem ejus super se, superque filios suos ultrò recipere. Contemplabor & Pilatum Præsidem, initio quidem pro Christo multùm satagere, innocentis mortem à se amoliri: ad extremum tamen, metu & clamoribus tumultuantium victum, post diram flagellationem morti Crucis Christum addicere. Contemplabor & Herodem viso IESV, gaudentem primò, deinde eundē cum suo satellitio despicere; & illusum veste albâ Pilato remittere.

Insuper milites totos in Christi cruciatûs incumbentes attendam, vinculis, verberibus, pugnis, colaphis, raptationibus, flagellis, virgis, spinis, clavis, cruce sævientes. Denique contemplabor amicos Christi, quosdam procul, eo relicto fugere, quosdam præ metu abnegare, alios à longè stare, alios de malis ejus lamentari, Matrem cum Ioanne juxta Crucem esse.

Ex his omnibus singulisque Personis consideratis, aliquas doctrinas fructuosas decerpendo, affectusque congruos excitando, ad me reflexionem faciam. v. g. de ruina cæcitateque hominum, & meâ propriâ dolebo ac lugebo. Mirabor & laudabo Dei misericordiam, Christi charitatem in nos, & in Patrem obedientiam. Matris amplectar resignationem in Dei placitum, execrabor Luciperi malitiam, Iudæ cum avaritiâ perfidiam, Iudæorum invidentiam, odium, furorem, Herodis temeritatem, Pilati meticulosam ignaviam, iniquitatem, inconstantiam. Compatiar Christo inter crudeles ministrorum manus fatiscenti, sequar & lamentabor Christi injurias, adstabo ejus Cruci, meque discipulum profitebor, fugam meam à Christo, & abnegationem toties factam deprecabor & plangam. Matri compatiar, &c.

PVNCTVM II. erit. Auditu interno excipere verba, &

sermo

sermones, jam recensitarum Personarum. Puta universorum hominum, pro varietate studiorum, & affectionum, quosdam ut terrena sapere, ita & loqui inter se: quosdam vana fabulari, alios fœda & absurda, alios mendacia, perjuria, blasphemias, maledicta, adulationes, convitia, calumnias, ructare invicem, &c. Deum Patrem æternum contrà, loqui misericordiam, & pacem super filios hominum; dare præceptum mortis unigenito suo, pro salute humani generis. *Si tradideris pro peccato animam tuam, videbis semen longævum.* Rursus Filium Dei dicere ad Patrem *Sacrificium & oblationem noluisti aures autem perfecisti mihi Pater, & corpus aptasti. Holocaustum & pro peccato non postulasti,* non tibi placuerunt, tunc dixi. *Ecce venio: In capite libri scriptum est de me ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui: & legem tuam in medio cordis mei. Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum; fiat voluntas tua.* Devotissimam quoque Christi Matrem audire licet dicentem, & benedicentem Deum in consilio suo, super redimendo genere humano, per sanguinem & mortem Filii sui: offerentem quoque Filium ipsum suum, & se unà cum Filio suo: si ita placitum foret ante Patrem æternum, ad omnem cruciatum, suppliciumque Crucis. Audiam etiam Luciferum, & Iudæos, veluti uno ore, uno certè furore, & odii spiritu dicentes. *Videtis quia nihil proficimus, ecce totus mundus post eum abiit: hic homo multa signa facit: contrarius est operibus nostris: gravis est nobis etiam ad videndum. Filium Dei se nominat: venite circumveniamus eum: mittamus lignum in panem eius. Contumeliâ & tormento interrogemus eum, eradamus nomen eius de terrâ viventium: & nomen eius non memoretur amplius.* Pari modo Pilatum, Herodem, milites, audire licebit loquentes adversus Dominum, & adversus Christum ejus.

Isa. 53. 10. *Psal. 39. 7. Hebr. 10. 5.* *Psal. 39. V. 8.* *Matth. 26. 42.* *Ioan. 11. 19.* *Sap. 2. 15.* *Hier. 11. 19.*

Atque ex his omnibus factâ reflexione super me, elicitis affectibus, conceptisque propositis, fructum ædificationis internæ decerpam, pro materiæ exigentiâ, & pro luminis interni dictamine.

PUNCTUM III. erit. Actiones quoque attendere, & expendere Personarum prædictarum. Quomodo v. g. Homines per totum mundum inhabitantes, pars suis negotiis

curisque distenti, agros colunt, domos ædificant, plantant vineas, aucupiis, piscatu, venatu, vitam agunt: eunt alii in viscera terræ, alii faciunt operationes in aquis multis, alii mutuas in cædes ruunt, bellis, rapinis, furtis, latrociniis, rixis, comessationibus, lasciviis, vitam impendunt, omnes securi perditionis æternæ. Porrò æternus Pater, Filium suum velut Abrahamus Isaacum, passioni & morti tradit, pro genere humano. Filius porrò obedientissimus sicut mandatum dedit ei Pater, sic facit: & totum Passionis suæ calicem haurit, totumque opus redemptionis nostræ exequitur, & animam suam ponit pro ovibus suis. Nec quisquam tollit animam ejus ab eo sed ipse sponte suâ ex dilectione nostri, ex obedientia erga Patrem cœlestem, offertur, quia ipse voluit. Mater autem Christi, omnis Passionis ejus exteriùs comes, interiùs per omnia particeps, secundùm animam gladio doloris confixa, stetit sub cruce, stetit in fide, stetit in dilectione, non erubescens, sed deferens, & confitens opprobrium Filii sui Crucifixi. Diabolus è contra, Iudas, Principes Iudæorum, Pilatus quoque & Herodes, nec non eorum ministri, astiterunt & convenerunt in unum adversùs Dominum, & adversùs Christum ejus: voces que Prophetarum, & figurarum, ignorantes, & malevolentes impleverunt.

Ex his omnibus, congruis, ut & in prioribus, decerptis documentis, facta super me reflexione, exercitis affectibus, elicitis propositis salutaribus, fructum meditationis colligam.

COLLOQVIVM postremò subijciam, quo stultitiam, & perditionem hominum deplorabo; Divinam misericordiam, Christi charitatem, Matris ejus pietatem, admirans & laudans prædicabo, Hostium Christi odium, furorem, invidiã, crudelitatem, cæcitatem, detestabor, deflebo: pro mea, totiusque generis humani redemptione gratias agam, salutis studium, & curam, in me aliisque promovere, in Dei miserationibus confidere, Christi obedientiam, humilitatem, charitatem, patientiam, aliasque virtutes imitari, pro Christo laborare & pati, Passionis ejus effectûs, atq; fructûs in me, & in proximos derivare constituam; ad idque auxilium à Patre æterno, per Christi merita, per Matris ejus, Sanctorumq; intercessionem petam. Meditationem demum oratione Dominicâ & salutatione Angelicâ concludam. MO-

MODVS II.

ALter modus Passionem Dominicam meditandi est, expendere illam secundum circumstantias ejus v. g. 1. Quis est qui patitur? 2. Qualis est qui patitur? 3. Quantus est qui patitur? 4. Qua de causa patitur? 5. Quali formâ patitur? 6. Quanta sint quæ patitur? 7. Quid ex hoc consequitur quod patitur? Quæ omnia fusius verbis sancti Bonaventuræ explicata cognoscere, utile erit. ita igitur ille.

Primò, considera quis est qui patitur, & ei subdere per rationis assensum, ut credas firmissimè ipsum veraciter esse Dei filium, omnium rerum principium, Salvatorem hominum, & retributorem meritorum omnium.

Secundò, considera qualis est qui patitur, & ei configurare per compassionis affectum, scilicet ut compatiaris ei, tanquam innocentissimo, mitissimo, nobilissimo, & amantissimo.

* *Tertiò*, considera quantus est qui patitur? & ad ipsum, egredere per admirationis aspectum; & attende, quod ipse est immensus potestate, speciositate, felicitate, & æternitate. Igitur admirare, immensam potestatem annihilari, speciositatem decolorari, felicitatem tormentari, æternitatem mori.

Quartò, considera qua de causa patitur? & te ipsum oblivisce per devotionis excessum; quia patitur pro tua redemptione, illuminatione, sanctificatione, & glorificatione.

Quintò, considera quali formâ patitur? & ipsum induere per assimilationis amictum. Passus est enim sicut verus Agnus libentissimè respectu proximi, severissimè respectu sui: obedientissimè respectu Patris, prudentissimè respectu adversarii. Stude igitur ad habendum habitum, secundum effigiem imitationis Christi, scilicet benignitatis, seueritatis, humilitatis, & perspicacitatis.

Sextò. considera quanta sint quæ patitur, & crucem amplectere per Passionis desiderium; vt sicut Christus passus est vincula ut impotens omnipotentia; convitia ut vilis bonitas; lu.

* *Hoc opusculum etiam vocatur. Incendium amoris.*

„ *Tomo*
„ *2. o-*
„ *pusc.*
„ *opu-*
sculo
„ *26. In*
„ *Par-*
„ *vo bo-*
no
„ *partis-*
„ *culo*
3.
„
„
„

tas; ludibria, ut stulta sapientia; & supplicia ut iniqua justitia: sic & tu considera, & amplectere Passionem Crucis, hoc est Passionem plenam injuriis in rebus, contumeliis in verbis ludibriis in signis, suppliciis in tormentis.

Septimò, considera quid ex hoc consequitur quod paticur? & veritatis radium intuere, per contemplationis oculum; quoniam ex hoc quod Agnus passus est, septem libri signacula aperta sunt. Libet iste est universalis notitia rerum, in qua septem erant clausa homini, quæ quidem sunt per Passionis Christi efficaciam reserata. Scilicet 1. Deus admirabilis. 2. Spiritus intelligibilis. 3. Mundus sensibilis. 4. Paradisus desiderabilis. 5 Infernus horribilis. 6. Virtus laudabilis. 7. Reatus culpabilis. Apoc. 57.

Primò, Deus admirabilis manifestatus est nobis per crucem, esse summæ & inscrutabilis sapientiæ, summæ & irreprehensibilis Justitiæ, summæ & inenarrabilis misericordiæ. Summâ enim sapientiâ suâ decepit diabolum, summâ suâ Justitiâ quæsivit Redemptionis pretium. Summâ suâ misericordiâ, pro nobis tradidit filium suum: quæ si diligenter considerentur Deum nobis clarissimè & charissimè manifestant.

Secundò, Spiritus intelligibilis nobis manifestatus est per crucem, secundùm differentiam triplicem: scilicet Quantæ sit benignitatis, quantùm ad Angelos? Quantæ sit Dignitatis, quantùm ad homines? Quantæ sit crudelitatis, quantùm ad dæmones. Nam Angeli permiserunt crucifigi Dominum suum. Dei filius crucifixus est propter genus humanum, & hoc ad crudelem suggestionem dæmonum.

Tertiò, Mundus sensibilis nobis manifestatus est per crucem: quoniam locus est tenebrarum plenus, in quo regnat cæcitas, quia lucem veram & summam non cognovit; regnat sterilitas, quia IESVM Christum, tanquam infructuosum despexit; & regnat impietas, quia Deum & Dominum suum, & amicum, & innocentem damnavit, ac interfecit.

Quartò, Paradisus desiderabilis nobis manifestatus est per crucem, in quo est fastigium totius gloriæ, specubum omnis lætitiæ, & promptuarium omnis opulentiæ. Vnde Deus propter illam habitationem nobis restituendam, factus est pro nobis homo; scilicet vilis, miser, pauper, in quo Celsitudo ab-

do abjectionem induit, Iustitia reatum subiit, Opulentia egestatem suscepit. Nam altissimus Imperator, accepit servitutem abjectam, ut nos sublimaremur in gloriam. Iustissimus Iudex subiit reatum pœnalissimum, ut justificaremur à culpa. Opulentissimus Dominus suscepit egestatem extremam, ut locupletaremur in copia.

Quintò, Infernus horribilis manifestatus est nobis per crucem. Locus utique plenus omni egestate & penuriâ, vilitate & ignominiâ, & omni calamitate & miseriâ: unde si necesse fuit Christum hæc pati propter peccati deletionem, multò fortiùs hæc oportet pati damnatos, propter justam meritorum suorum retributionem.

Sextò, Virtus laudabilis est nobis manifestata per crucem, quantùm scilicet sit pretiosa, speciosa, & fructuosa. Verè pretiosa, quia Christus voluit potiùs vitam corporalem perdere, quàm virtuti contraire. Verè speciosa, quæ in ipsis contumeliis relucebat. Verè fructuosa, quia unus actus perfectæ virtutis, infernum spoliavit, cœlum aperuit, & perdita restauravit.

Septimò, Reatus culpabilis manifestatus nobis est per crucem, scilicet quantùm sit detestabilis, cùm ad sui remissionem indigeat, tam magno pretio, tam grandi piaculo, & tam difficili medicamento. Ecce igitur habes, quomodo in cruce omnia manifestantur (seu septem signacula libri solvuntur.) Si bene ad hæc septem reducantur.] Hactenus S. Bonaventura, suo quidem modo cum multiplici distinctione, sed simul cum inflammata charitate, nec non cum admirabili materiæ meditandæ fœcunditate.

Hic idem modus per circumstantias meditandi Passionem Dominicam, potest hac ratione disponi.

Primò, Considera. *Quis patitur?* Deus Homo Christus Iesus, quatenus Deus, Infinitæ Dignitatis & Majestatis, sapientiæ, omnipotentiæ, bonitatis, cui omnis honor & gloria debebatur ab omni creatura, propter excellentiam, propter beneficentiam, propter omnipotentiam, propter omnidominium & regnum, propter independentiam ab ulla re, omnium verò ab ipso dependentiam, propter plenitudinem, infinitudinemque omnis perfectionis propter immensitatem

essentiæ, &c. Quatenus homo, infinitæ item propter unionem Hypostaticam cum Verbo dignitatis, gratiarumque tam naturalium quàm supernaturalium possessionis: utpote in quo plenitudo Divinitatis inhabitavit corporaliter, & omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei reconditi fuerunt, accessit Dignitas Supremi inter Deum & hominē Mediatoris, Summi item Sacerdotis atque Pontificis, Regis quoque Regum, & Domini Dominantium, Primogeniti omnium creaturarum, earumque Hæredis, Iudicis etiam vivorum ac mortuorum. Accessit præterea sanctitas non per gratiam, sed per ipsius Divini Verbi sanctitatem. Innocentia quoque & impeccabilitas; tum vero bonitas, omnis malitiæ & peccati expers. Beneficentia verò in omnes infirmos, & à diabolo oppressos. Accessit gratia Messiæ, Fundatoris & fundamenti Ecclesiæ Dei, Sancti quoque Sanctorum, Doctoris Iustitiæ ac Veritatis, Principis pacis, & Patris futuri sæculi, Prophetæ, Magni consilii Angeli, Principii & finis; viæ, veritatis, & vitæ ostii, Pastoris boni, pastorumque Principis ac legislatoris, morum, Sacramentorum, & sacrificiorum Institutoris. Accessit titulus Redemptoris, Amici, Patrisfamilias, Sponsi, Patris, Fratris, Imperatoris, Prœmiatoris Exemplaris, Glorificatoris. Accessit denique nomen & res unigeniti Filii Dei, nec non in via, Comprehensoris tamen ac Beati. Hæc omnia erat & est Christus qui patitur. Ex quo indignitas injuriositasque Passionis ejus in immensum excrescit. Qui enim summo honore, amore, observantiâ, deliciis, gloriâ fuit plùs quàm dignissimus, propter supra dicta bona sua: is omnia opposita, omnia extremè indigna ab hominibus patitur.

Secundò, Considera. *Quidpatitur?* Patitur Ingratitudinem, Contemptionem, Conspirationem, Proditionem, Dolositatem, & Fraudulentiam, Calumnias, Contumelias, Mendacia, Convitia, Falsa testimonia, oppressionem, vim, Adjurationes, Execrationes, Odia, Ignominias, verbis, factis, signis expressas. Derelictionem & abnegationem, tormenta & dolores totius corporis ejusque membrorum, percussiones, livores, vulnera, ereptionem bonorum, & spoliationem usque ad omnimodam nuditatem, vincula, catenas, carceres,

carceres, condemnationem ad supplicia & mortem, irrisiones, infamationes, detractiones, insultationes, exprobrationes, blasphemias, exultationes de suis malis, mortem denique violentissimam, turpissimam, crudelissimam, tum ex suo genere, tum ex hostium exaggeratione.

Tertiò, Considera. *In quo patitur?* Patitur in Divinitate, non quidem ita, quasi Divinitas impatibilis & inviolabilis læsa sit. Sed quia humanitas patiens ac violata Personæ Divinæ hypostaticè unita, ob idque Theandrica est: ideo Humanitatis læsiones, Personæ erant læsiones & ita passus, cruciatus, despectus, crucifixus, mortuus est Deus, non tantum per redundantiam, & quasi concomitantiam, sed absolutè per identitatem Personalem Humanitatis & Verbi, Hominis cum Deo, seu potius Hominis Dei. Patitur ergo Christus in Divina sua Natura, Persona, Dignitate, Majestate, aliaque omni perfectione, & excellentia. Patitur præterea in Humanitate, in corpore, in anima, in paupere facultatula, in amicis, & consanguineis, in Matre, & discipulis, & benefactoribus. In bona fama, in libertate, in omnibus partibus & sensibus corporis. In omnibus viribus potentiisque Animæ. In bonis fortunæ, & animi, in sanitate, & valetudine, in robore, & virtutibus, in rebus gestis, in beneficiis præstitis, in vita denique sibi crudeliter juxta & probrosè erepta.

Quarto, Considera. *Quomodo patitur?* Patitur sciens, volens, immo cupiens & ardens ex parte sua, patitur injustè, impiè ex odio & invidia, & contemptu sui, apud hostes, homines, ac dæmones, quantùm ex parte ipsorum. Patitur ex amore Patris Æterni, & ex obedientia ac reverentia erga ejus voluntatem, ex miseratione quoque super nos omnes peccatores, & ingratos indignosque ac naturâ iræ filios, & diaboli, atque peccati servos. Patitur ex malitia nostrûm omnium, qui nostris sceleribus ejus Passioni & morti causam (quantùm ex nobis planè necessariam, quia aliàs viribus creatis nullis unquam superabilem) dedimus ex parte nostra. Patitur ex odio suo, quod immensum, & quà Deus, & quà Homo, habet adversùs peccatum, deleriquè illud & penitus aboleri à facie Dei desiderat, proque illo Iustitiæ Paternæ ad

rigorem, quin etiam ad excessum satisfacit. Patitur animo fortissimo, constantissimo, perseverantissimo, sitibundissimo, & planè in gratiam Patris sui, inque amorem nostri insatiabilissimo. Patitur denique cum maximarum, atque adeò prorsus omnium virtutum heroico, & per nullam imitationem humanam adæquando exercitio atque exemplo.

Quintò, Considera. *Quare patitur?* Patitur quidem sine ulla sua causa, seu culpa, sine coactione ab aliquo, sine commodo aut necessitate propria: verumtamen patitur, pro totius mundi peccatis tollendis, æternisque pœnis abolendis, pro reconciliando nobis Patre æterno, pro aperiendo nobis Paradiso, seu cœlo, pro rabie diaboli reprimenda, & potestate, atque tyrannide expugnanda, pro obedientia erga Patrem, pro nostro exemplo, pro figurarum & prophetiarum expletione.

Sextò, Considera. *Pro quibus patitur?* Non utique pro Angelis: *Neque enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ,* Patitur ergo pro humano genere universo, patitur pro his, Heb. 2. 16. à quibus patitur; patitur pro sceleratis, pro ingratis, pro indignis, ac vilissimis. Patitur pro ipsis etiam jam antè damnatis & in inferno positis, atque pro gratiis illis bonisque & auxiliis omnibus, quæ unquam in vita sua à Deo acceperunt, quibusque in contumeliam Dei, & in perditionem suam sponte abusi sunt, & quæ respectu futurorum suorum meritorum ipsis concessa fuerunt, nunc Patri exolvit pretium.

Septimò, Considera. *A quo patitur?* Patitur à Patre suo Isa. 53. 8. æterno, à quo *propter scelus populi sui traditus est.* Patitur à sua ipsius voluntate, quoniam *oblatus est, quia ipse voluit.* Isa. 53. 7. Patitur ab omnibus dæmonibus, & ab omni potestate tenebrarum. Patitur ab omni hominum genere & conditione, statu, ætate, convenerunt enim Principes terræ adversùm Dominum, & adversùm Christum ejus. Patitur ab omnibus vivis mortuisque quorum omnium peccatis crucifixus est. Non enim pro aliquorum solùm sed etiam pro totius mundi peccatis & salute mortuus est Christus, Patitur ab omni creatura & elemento.

Octavò, Considera. *Quando patitur?* Patitur in ætatis flore, & in annis vitæ maximè vividis. Tempore anni sacratissimo

simo apud suam gentem, atque mysteriis solennissimo, & concursu frequentissimo. Horâ diei meridianâ, in luce & oculis omnium. Tempore quo Deus Hebræis sicut maxima præstiterat beneficia; sic ab iisdem maximè laudari honorarique debuerat, cujus loco, extremis est contumeliis, injuriisq; ac demum morte horrendâ exceptus, & interfectus.

Nono, Considera. *Ubi & quo loco patitur?* Patitur in loco Vrbis & Regionis, & Orbis sacratissimo, celeberrimo, miraculis, figuris, prophetiis, cœlestibus donis ornatissimo. Patitur ubi est Adam conditus, ubi Isaac immolatus, ubi sedes Regum, ubi Templum, ubi caput Religionis Sanctæ. Vbi stupendis miraculis Christus se celebrem fecerat & doctrinâ. Patitur in horto Montis Oliveti, in domo Annæ & Caiphæ, in carcere & obscuro fœtidoque specu: patitur in prætorio Pilati, in Palatio Herodis, in plateis & foris Ierusalem. Patitur in Monte Calvario. Patitur denique in alto Crucis trabe, tanquam in totius terræ theatro, atque medio.

Decimo, Considera. *Quibus auxiliis patitur?* Patitur verò nullis auxiliis solatiisve sublevatus; ne Paternis quidem: quòd satis ostendit illa in horto Agonia, illa repulsio Petri ad sui defensionem prosilientis, cui dixit. *An putas quia non possum rogare Patrem, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum?* Ostendit verò eam omnis solatii privationem illa vox maxime ad Patrem *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Quod etiam ipsi hostes improperant ei dicentes. *Confidit in Deo, liberet nunc si vult eum.* Ab omnibus ergo desertus patitur, etiam à semetipso, quoniam in pœnis suis, suâ etiam voluntate, atque virtute Divinâ, ad hoc solum, & unum, se juvit, ut durare in pœnis posset, robur quidem conservans, sed solatium omne subtrahens, quod genus auxilii ad majores tantum productioresque servivit cruciatus, non autem ad mitiores. *Vnde nec vinum myrrhatum voluit bibere, & mulieres super se lamentantes removit à collachrymatione.* Et ita impletum est, quod hac de re ab Esaia prædictum fuerat. *Circumspexi & non erat auxiliator, quæsivi & non fuit qui adiuvaret, & salvavit mihi brachium meum, & indignatio mea ipsa auxiliata est mihi.* Matth. 26. 53. Matth. 27. 46. Ibid. 43. Marc. 15. 23. Luc. 23. 28. Isaiæ 63. 5.

Ex hisce omnibus Dominicæ Passionis circumstantiarum

generibus, plurima morum virtutumque, tam documenta, quàm exempla, plurima omnis generis affectuum materia, plurima propositorum, postulationumque varietas & seges erui potest.

MODVS III.

TErtius Passionem Dominicam meditandi modus est. Acceptâ Christi Divinitate, expendere quid in ea passus est, v. g. 1. Quid in Persona & natura sua Divina. 2. Quid in attributis perfectionibusque suis Divinis. Negatus est enim esse verus Deus, verusque Dei filius: sed potiùs hoc illi crimini datum: & ob id ad mortem damnatus est: Deinde creditus est Deaster quidam, falsique Dei, puta Iovis, aut Herculis Filius, quæ opinio non minus fuit injuriosa & probrosa Christo, quàm prior. Dignitate omni exutus est: & prorsus ita indignè tractatus, quomodo nec vermis, nec canis mortuus tractari debuisset: ut verè dixerit de se Dominus. *Ego autem sum vermis & non homo,* multòque magis non Deus: *opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Veritati & veracitati ejus mendacitas: ignoratio, pseudoprophetia, impostura, & seductio imposita est; & cùm maximè veritatem fateretur, tum blasphemus, ac ob id reus mortis, à toto concilio, & summo Pontifice proclamatus est. Potentia in impotentiam, Vita in mortē, Sapientia in stultitiam, Sanctitas & Bonitas in malitiam & impietatem, Misericordia in latrocinium & latronum principatum, Existentia in occisionem, & deletionem nominis ejus de terra ab inimicis ejus conversa & traducta est. Ex Beato miserrimus, ex Glorioso abjectissimus, ex Domino omnis creaturæ, mancipiorum mancipium, præda carnificum, pabulum denique volucrum rapacium in cruce factus est. Hæc, similiaque expendens, qui meditatur, advertat quantùm Dei filius exinaniverit se in Passione propter nos, quàm absconditus fuerit vultus Deitatis ejus: quantùm debeat annihilare se, & exinanire propter amorem honoremque Dei, homo, utique nihil & nihilum, & vermis, & vilitas ipsa; quàm inter se longè differant Deus & Homo, Deus humilis, & homo superbus, Deus contemptus, & homo contemnens, quid par sit retribuere hominem Deo pro omnibus istis, quæ Deus subiit propter hominem?

Psal. 21. 7.

MO-

MODVS IV.

QVartus Passionem Dominicam meditandi modus est. Acceptâ Christi Animâ, ejusque singulis potentiis, tam superioris, quàm inferioris partis, quid in una quaque earũ, passus sit, considerare. Animæ Potentiæ sunt, Intellectus, Voluntas, Memoria, Iudicium, deinde Imaginativa seu Phantasia & cogitativa. Passiones sive affectus Animæ sentientis, tum ipsa sensitiva facultas, loco motiva etiam, nutritiua, aliæque similes. Expendatur ergo quid passus sit aut patiatur Christus in Intellectu Sapientissimo, & omni cognitione pleno? Quid in Sanctissima justissimaque ac Dei voluntati subjectissima Voluntate? Quid in Memoria, cui à primo instanti conceptionis & maximè Passionis, semper erant præsentissima omnia mala toleranda, & tolerata cum omni eorum enormitate. Iudicabat & discernebat omnes rationes, exaggerationes, excellentialsque pœnarum suarum, & affectuum etiam studiorumque, quibus hostes sui omnes ferebantur ad se affligendum. Vnde dicebat Dominus per Prophetam. *Domine tu ostendisti mihi studia eorum adversum me in mortem.* Imaginativa etiam Christi, afflicta est enormiter cogitatione præsentissimâ & vivacissimâ furentium in se hostium: quidquid per sensus externos percepit, totum hoc etiam in interioribus cognovit atque pertulit. Certè in horto adhuc antequam ad ipsam rem tormenta sua venissent, ex sola eorum imaginaria apprehensione, illico cæpit pavere, tœdere, contristari, & mœstus esse usq; ad mortem: agonisavit etiam, & sanguineum sudorem, toto corpore fudit. Neque hæc Imaginativæ vehementia, passionumve æstus, per totam Passionem reliquam cessavit vel ad momentum, usque dum exspiraret in Cruce, immo ex præsentia objectorum, re ipsâ scilicet perceptorum cruciatuum, crevit quàm maximè: adeò ut toto Passionis tempore potuerit, immo debuerit connaturaliter sanguinem sudare, si non alia fuisset Christi de se ipso dispositio. Ex tanta quoque sanguinis tum in sudore, tum in flagellatione, tum in aliis occasionibus effusione, nec non ex atrocissima immanium dolorum intensione, extensione, ac varietate, vehementer impedita

Hierem. 11. 18. & c. 15. 23.

fuit in

fuit in Christo, vis nutritiva, inediâ, & siti, & fatigatione multiplici accedente. Vincula etiam, carceres, violentissimæ tractiones, & raptationes, alligationes ad columnam, tum crucifixio ad crucis trabem, summam sanè violentiam libertati Christi, tam internæ quàm externæ, quoad locum, & motum, & situm, intulêre. Dehiq; quidquid sensit Christus in corpore, id totum sensit prius, & magis in Anima: tum quia Anima est sola quæ dat sensum toti corpori, in omni perceptione, & sensatione, tum quia Anima non sinebat in corpore Christi sensus obtundi, sed eos in suo vigore conservabat, totamque corporis temperiem per totum Passionis tempus impertur batam retinebat: ex quo acrimonia accrescebat, & corpori quidem, sed magis ipsi Animæ.

Hæc omnia competenter meditationi subjecta plurimos in meditatore affectus, super Christi Animam excitabunt, plurimas doctrinas, qualiter Anima ejus, ad instar Animæ Christi sese debeat in omni occasione, & præsertim in adversitate gerere ostendent.

MODVS V.

QVintus Passionem Dominicam meditandi modus est. Assumere Corpus Christi, externamque & sensibus subjectam substantiam ejus, & recogitare quid in toto corpore, quidve in omnibus, & singulis ejus partibus, membrisque sit passus Dominus IESVS. De eo illud verissimè dici potest. *Isaiæ 1. 6.* *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* Sic etiã spectatum Prophetæ à se asserunt. *Isaiæ 53. 4.* *Putavimus eum quasi leprosum percussum à Deo & humiliatum.*

Consideretur ergo quid Christus passus sit in Sacrosancto capite suo, à spinea corona, à tot percussionibus & pugnis, à capillorum tractionibus & vulsionibus? Quid Passus sit in fronte, genis, temporibus, malis, labris, facie, maxillis, dentibus, lingua, faucibus, à puncturis spinarum, à vellicationibus, percussionibus, lacerationibus, consputationibus, concussionibus, pugnis, colaphis, alapis, siti, amaritie aceti & fellis? Quid Passus sit in collo & cervice à colaphis, catenis, pugnis? Quid Passus sit in vultu, mento, gutture, à tot tantisque illusionibus, fœdationibus, spurcitiis, invecundiis,

secundis, tractionibus, suffocationibus? Quid Passus sit in naribus, in auriculis, à tot percussionibus, contorsionibus, tractionibus, fœtoribus? Auricularum vellicationes varias, ferunt fuisse triginta, narium viginti, dubio procul non absq; sanguinis profluvio. Faciem Christi consputatam tradunt centies. Caput spineâ jam coronâ cinctum, creditur quadragies, & quidem maximâ vi percussum, cùm tamen vel levis percussio satis fuerit ad intolerabilem dolorem concitandum. Pedibus pulsatus Christus (eo modo quo canes, & vilissima quæque solent) creditur centies quadragies. Livores porrò ex percussione contraxisse mille centum nonaginta novem. In flagellatione corporis ad columnam, in Pilati prætorio, ad quinque millia plagarum Christus excepit, nec mirabitur, qui audiet ipsum Christum apud Prophetam affirmantem *se totâ die flagellatum*, non quòd (quantùm ad tempus) totâ die flagellatus fuerit, sed quòd tam crudeliter, tantoque numero ictuum, ac vulnerum, ut videri posset totâ die flagellatio sua durasse. Quos dolores Christus pertulerit, quas percussiones, & vulnera, in dorso, pectore, scapulis, humeris, lateribus, ventre, genibus, cruribus, brachiis, manibus, atque pedibus, ipsisque plantis, ac ossibus & nervis, atque musculis, & visceribus, explicare non est facilè, meditatione tamen hæc omnia sunt expendenda, & commiseratione prosequenda, inde etiam charitas Christi æstimanda, & pretium Animæ, peccatorum odium, rigor justitiæ Divinæ, insatiabilis hostium Christi furor, & debitum omnium nostrum erga Christum cognosci & addisci poterit. Pro quanti æstimandus est à nobis is, qui tam viluit ipsi sibi propter nos, quique tanti æstimavit nos? *Sed & tu homo* quare *tibi tam vilis es, qui tam pretiosus Deo es?*

Psal. 72. 14.

Chrysol. Serm. 143.

Libet tam huic quàm præcedenti modo dare lucem à verbis Beati Petri Damiani, hujusmodi. [Excede paulisper sensum carnis, & inventia corporearum phantasmata voluptatum: & intuere Naturæ Divinæ bonitatem, suavitatem, dignationem. Meditare positionem Crucifixi Corporis. Vide si est aliquid in eo, quod non peroret pro te apud Patrem Divinum: illud Caput multiplici Spinarum densitate densatum: usque ad cerebri teneritudinem confixum est,

„ *B. Petrus*
„ *Damiani.*
„ *Serm.*
„ *1. de Exaltat.*
„ *S. Crucis.*

Psal: 31. 4. „ *dum configitur spinâ. Spinis peccatorum suorum,* (ait Dominus per Prophetam,) *circumdedit me populus iste.* Ad quid „ hoc? Ne doleret Caput tuum: ne tua vulneraretur intentio. Caligaverunt in mortem oculi sui, & illa luminaria, „ quæ illuminant orbem, ad horam extincta sunt. Nonne illis „ obtenebrantibus, tenebræ factæ sunt, super universam terram, & illa duo magna luminaria, cum illis luminibus submota sunt? hoc autem totum factum est, *ut averterentur oculi tui, ne viderent vanitatem,* & si viderent, non adhærerent. Isaiæ. 6.3. „ Aures illæ, quæ in cælis audiunt, *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* „ *Dominus Sabaoth*: audierunt in terris, Dæmonium habes: & Ioan. 8.48. „ *Crucifige eum.* Vt quid istud? Ne aures tuæ obsurdescerent „ ad clamorem pauperis, ne reciperent auditum vanum, ne detractionis virus, apertis propitijsque auribus susciperent. Iy. 6. „ Speciosa illa facies, speciosi præ filijs hominum, sputis illita „ est, afflicta colaphis, addicta delusionibus, sic namque scriMatth „ ptum est; *Cæperunt conspuere in eum, & pertutere faciem eius,* 26.67 „ *& illudere ei: dicentes, prophetisa: quis est, qui te percussit?* Quare hoc? Vt facies tua illuminaretur, illuminata confirmare- 1. Reg „ tur, & diceretur de te. *Vultus eius non sunt amplius in diver-* 1. 18. „ *sa mututi.* Os illud, quod docet Angelos, Homines instruit, „ quod dixit, & factum est: parumper obmutuit, ut veritatem „ & iudicium loqueretur os tuum, & confiteretur Dominum „ suum. Manus illæ, quæ fundaverunt cælos, extensæ sunt „ in Cruce, clavisque transverberatæ durissimis, ut manus tuæ „ extenderentur ad inopē: & dicere posses, *Anima mea in manibus meis semper.* Quod tenemus in manibus, non facilè „ obliviscimur: sic & qui Animam suam bonæ operationi imprimit, non tradit eam oblivioni. Pectus illud in quo sunt „ omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi, lanceâ militari perfossum est, ut pectus tuum, à pravis cogitationibus „ mundaretur, mundatum sanctificaretur, conservaretur sanctificatum. Pedes illi, quorum scabellum adorare debemus, quia sanctum est, durâ transfixione confixi sunt, ne pedes tui festinarent ad malum, sed currerent viam mandatorum Domini. Quid plura? foderunt manus ejus, & pedes, „ & dinumeraverunt omnia ossa sua: pro te carnem & Animam suam posuit, ut corpus & Spiritum tuum sibi vindicaret.

ret. Toto se; totum te comparavit.] Hactenus S. Cardinalis.

Cujus Verba docent nos, in quosnam fines Dominus noster IESVS CHRISTVS passus sit tormenta sua: & quos vicissim fructus vitæ, seu, quæ, vivendi magisteria nos decerpere debeamus, ex spectaculo, ex fide, ex meditatione passionum ejus.

MODVS VI.

SExtus Passionem Dominicam meditandi modus est, assumere singulos Corporis Christi sensus externos, eorumque cruciatus sigillatim expendere. Quid nimirum Passus sit Christus in oculis, seu in Visu, in Auditu, in Gustu, in Olfactu, in Tactu? Visu Christus pertulit infandissima quæque, aspiciendo rabiem illam hostium suorum. Quomodo cruciatus est, Iudam ad osculum accedentem, & antesignanum impiorum omnium videns? quo dolore spectavit fugientes discipulos, irruentes lictores, capientes, ligantes, trahentes, raptantes, exultantes & insultantes? quo sensu spectavit æstuantes in sui damnationem, oppressionemque seniores populi, milites ad cruciatum suum sese armantes, & animantes, & furorem pectoris sui crudelis depromentes, & in suam lanienam conatu magno adnitentes? quo dolore vidit Barabbam sibi prælectum dimitti, se ad pœnas rapi, se nudari absque ulla verecundia, & omnium in oculis nudum statui? quo dolore spectavit de Cruce hostes in vicino insultantes, & blasphemantes, atque illudentes, Matrem sub Cruce stantem, notos à longè prospectantes? Hæc aliaque innumera mala, oculis suis hausit Dominus IESVS. Auditu pertulit & passus est clamores bestiarum illarum cum furore rapientium atque trahentium. Audivit probrosissima cognomina, falsa testimonia, adjurationes, blasphemationes, illusiones, contemptiones, accusationes, ad Crucem postulationes, latronibus æquationes, condemnationes, exprobrationes, insultationes, quibus omnibus immanem cordium suorum rabiem eructabant homines illi, furore diabolico pleni.

Vide Ludovic. de Ponte Med. 1. Punct. 2. n. 2.

Gustu, Myrrhæ, fellis, acetique amarorem pertulit: sitî deinde ac fame cruciatus est, cujus cruciatûs magnitudinem,

Pſ. 101. 4. tum clamore in Cruce per verbum *Sitio* teſtatus eſt, tum Propheta expreſſit ejus nomine dicens. *Oſſa mea ſicut cremium aruerunt*: & iterum. *adhæſit lingua mea faucibus meis*: & iterum: *dederunt in eſcam meam fel & in ſiti mea potauerunt me aceto.*

Pſal. 21. 16.

Pſal. 68. 22. Odoratu Dominus noſter pertulit pædorem furentium illorum, & in os ejus ſpurcitias ſuas halantium lictorum: Item fœtorem carceris nocturni, ſeu potiùs ſentinæ, atque cloacæ illius, in quam detruſus dicitur Dominus pro nocte, atque in ea ad ortum diei ſervatus. Item fœtorem ſputorum phlegmatumque ſordidorum, quibus planè oneratus fuit vultus ille Divinus, partim in illa nocte apud Caipham, partim in coronatione Spinea, partim denique quando ad crucifigendum ſuper crucem extenſus jacuit: quo ſolo tempore ter & Septuagies conſputa traditur facies Domini noſtri, partim à carnificibus crucifigentibus, partim à Judæis ſpectatoribus. Pertulit quoque Dominus fœtorem & putorem montis Calvarii, puteſcentibus cadaveribus maleficorum ſordidi atque horridi. In Tactu quid pertulerit Dominus, ſupervacuum eſt recenſere, cùm conſtet totius corporis membris fuiſſe concuſſum, ſaucium, ac laniatum; illud trihorium Chriſti in Cruce pendentis, atque agoniſantis, ad excarnificandum lethaliter ſenſum Tactûs in Chriſto, per ſingula momenta ſatis efficax fuit. In quo tempore omnibus membris Chriſtus ſine ullo reſpirandi ſpatio manſit afflictiſſimus. Etenim ſupplicium Crucis, eſtò ſit abſque confixione clavorum, eſt tamen grauiſſimum: adeò ut tandem fiat intolerabile: quantò magis ſi etiam manus pedeſq; clavis terebrantibus perrumpantur, in locis concurſum nervorum omnem habentibus, ac per hoc maximè ad ſenſum doloremque idoneis, & totius corporis reliqui dolorem in ſe continentibus: accedit convulſio pectoris, & coſtarum in pectore cohærentium. cujus partis dolor, nec verbis explicari, nec imaginatione cogitari poteſt. Has omnes acerbitates cumulavit totius corporis inſtar chordæ, aut nervi ſuper arcum Crucis diſtenſio, quæ adeò valida intentaque fuit, ut non dubitarit Dominus per Prophetam teſtari tunc temporis *dinumerata fuiſſe omnia ſua oſſa*, ſuiſque ſedibus emota.

Pſal. 21. 18.

mota. Ad quam in Domino nostro tactûs pœnam exaggerandam, tantùm contulit teneritudo excellentiaque complexionis, ut ob eam solam, parvi alioqui, moderatique dolores sensus hujus, in Christo tamen fuerint maximi, intolerabiles, ac ferè lethales, ac omnium Martyrum doloribus majores. Ad ejusdem quoque pœnæ exaggerationem contulit illud longè plurimum, id quod in nullis aliis viventium hic, doloribus tormentisque reperiri potest: nimirum quia in Christo doloris vehementia non dissipabat spiritus ab iis partibus quæ affligebantur, neque concursu vehementiore humorum principia nervorum, sive cerebrum præoccupabatur, sensusve per hoc impediebatur: sed potiùs jugiter mansit illa sensuum integritas, illa cerebri vivacitas, illa spirituum abundantia, quæ ab initio Passionis fuit, vel saltem quæ necessaria fuit, non tantùm ad omnia quæ inferebantur, sed etiam quæ inferri adhuc potuissent tormenta vivacissimè perferenda, ita sustentante animâ corpusculum suum, ita Divinitate regente, ac protegente naturam assumptam humanam interiùs, ut ad patiendum dira omnia virium satis esset, & supereſſet, tam diu donec veniret hora, morti, & discessui Animæ à corpore destinata: quo temporis puncto appetente, non est sensim ad extremam debilitatem perducta Christi Humanitas, sed vires hactenus necessarias conservatas subitò cessare permisit, & Animam in manus Patris tradidit. Atque ita Dominus noster supplicia sua perinde in fine, ac in exordio illorum vivaciter acerbissimèque sensit, totoque Passionis tempore toleravit. Quod non tantùm de solius tactûs doloribus, sed prorsus de omnium sensuum, membrorum, potentiarumque cruciatibus sentiendum est.

Ex horum omnium consideratione, quanta seges affectuum piorum, quanta heroicarum ad tolerandum patiendumque pro Christo resolutionum materia, immo necessitas, meditandi assurgere possit, ac debeat: dicere nil opus arbitror.

MODVS VII.

SEptimus meditandi Passionem Dominicam modus est.

Assumere ad meditandum bona Animi, Corporis, & Fortunæ: expendereque quid, quomodo, & quantùm, in unoquoque bonorum istorum genere Passus sit Dominus: in quem etiam modum recidet expendere, quænam, & quanta, & quomodo Passus sit Christus in bonis Naturæ, Gratiæ, & Gloriæ.

Bona Animi Christi fuêre plurima & maxima v. g. Sanctitas, Iustitia, Innocentia, Sapientia, Scientia, Prudentia, Bonitas, Misericordia, Potentia, Authoritas, Dominium, Virtutes omnis generis, in gradu excellenti, Immunitas ab omni peccato, defectu, errore.

Bona Corporis Christi fuêre, Admirabilis forma & species præ filiis hominum, Valetudo, Sanitas, Complexio, Temperamentumque super omnia materialia melius, vires, proportio membrorum, & staturæ, oris, vultûs, sermonis, vociſque dignitas, & gratia, Integritas, Immunitas, ab omni defectu, morbo, dolore, inordinatione fomitis & concupiscentiæ, atque passionum, subordinatio perfecta, totius corporis, omniumque membrorum, & facultatum & sensuum ad Animam.

Bona Fortunæ Christi multa & multiplicia fuêre, in quibus potest numerari primò & primariè unio Hypostatica: quæ Humanitati Christi à bona fortuna, hoc est, ab eximia Divinæ Providentiæ ordinatione, atque peculiari, & extra omnem ordinem, meritumque posito favore concessa est, estò suppositâ Dei liberalitate gratuitâ, substantialiter ad componendum suppositum illud Theandricum accesserit. Ex hoc porrò unionis Hypostaticæ unico bono, alia fluxêre bona fortunæ Christi, etsi tam in Anima, quàm in Corpore Christi eorum pleraque resederint v. g. Sanctitas substantialis, Gratiæ Immensitas & Plenitudo, Gratia Capitis omnium creaturarum, & primogenitura, primatusque in eis omnibus, Dominium quoque absolutum in omnes: Gratia miraculorum, Potestas Iudiciaria, super vivos & mortuos, &c. His bonis accessit in Christo Potestas Regia, summi Pontificatûs, Sacerdotiique Dignitas, Legislatoris, Doctoris, Prophetæ, Messiæ authoritas. Accessit quoque his bonis prærogativa Comprehensoris atque beati, omnisque dos animæ

visio-

visione beatificâ fruentis: quæ etiam locum in corpore habere debebat, nisi miraculosè Anima sanctissima cohiberet ejus in infimam suam portionem effluxum: quem tamen interdum aliquantulùm relaxabat: ut in incessu super aquas, in jejunio quadraginta dierum & noctium, in Thaborea Transfiguratione, in elapsu è manibus hostium lapidare vel præcipitare eum volentium: in nativitate sua, salvâ integritate Genitricis suæ. In his omnibus bonis multa suo modo Passus est Christus: partim ea occultans, partim reprimens, partim in eis injuriosas hominum manus, opiniones, calumnias, contumeliasque sustinens, propter Patris Æterni obedientiam, propterque nostram redemptionem, propter dandum nobis exemplum, propter eludendum versipellis diaboli superbum ingenium; propter suaviter fortiterque per omnia attingendam sapientiæ suæ dispensationem; propter omnibus modis exaggerandam effundendamque nobis nimiam charitatem suam.

Atque ex his facilè patent bona Naturæ, Gratiæ, & Gloriæ Christi, nec non eorum consideratio.

MODVS VIII.

OCtavus meditandi Passionem Dominicam modus est; Assumere peculiares insignesque Christi Domini virtutes, easq; in tota Passione à Domino exercitas & elucescentes vestigare, ac nobis ad imitandum proponere, nec non gratias agere, pro earum exemplaribus adeò heroicis nobis propositis. Virtutes sunt v. g. Charitas in Deum, eadem in nos propter Deum. Obedientia, Humilitas, Patientia, Mansuetudo, Taciturnitas, Modestia, Resignatio, Perseverantia, Misericordia, Liberalitas, &c. Hæ omnes meditando expendi possunt, Vbi, Quando, Quoties, Quomodo à Christo exercitæ sint. Quanta v. g. Humilitas Christi eluxit in lotione pedum discipulorum suorum, etiam Judæ proditoris? quanta cùm oraret Patrem Æternum, positis in terram genibus, immo & facie suâ? quanta cùm à turba captus est, ligatus, in terram abjectus, pedibus hostium pulsatus, & calcatus, per viam violentissimè tractus raptatusque est? quanta cùm in domo Annæ examini se subdidit, & post

responsum modestissimum, immani alapâ percussus, atque etiam reprehensus, modestissimè totum sustinuit? Atque hunc in modum procedi per totam Passionis seriem potest, ubique insignem humilitatem Domini agnoscendo, mirando, discendo, imitando. Etenim in omni Passionis suæ parte, Dominus IESVS, omnibus nobis videri potest dicere, tam verbo, quàm facto, illud suum. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Par de aliis virtutibus ratio. Nam in tota Passione sua, possumus audire Dominum IESVM nobis opere & veritate dicentem. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Et. *ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Et. *In Patientia vestra possidebitis animas vestras.* Et. *Ego sum Pastor bonus & animam meam pono pro ovibus meis.* Et. *Qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit.* Et. *Qui vult venire post me tollat crucem suam.* Et. *Exemplum dedi vobis ut quemadmodum ego feci & vos faciatis.* Hæc audiet, hæc spectabit, hæc manu tanget meditator in Christo Patiente, ab his quàm ipse longè sit, quantopere abhorreat, quàm sit delicatus Martyr Christi cognoscet ac metietur, quid adhuc desit sibi ad id, quod perfectum Christi imitatorem, servum, sociumque decet? Hic faciet dignas Christo, dignas Christi exemplo, ac merito resolutiones: hîc suam mollitiem, ignaviam, inconstantiam, pusillanimitatemq; cognoscet, arguet, confundet, expellet, fervorem autem, & animi robur, ex ipso fonte meritorum Salvatoris hauriet. Qui ita faciet, experimento proprio discet, verissimum esse id quod expertus Bonaventura asseruit. *Si vis ô homo de virtute in virtutem, de gratia in gratiam, de bono in melius proficere: quotidie quantâ potes devotione, mediteris Domini Passionem. Nihil enim in animæ ita operatur universalem Sanctitatem, sicut meditatio Passionis Christi:* præsertim juxta hunc octavum modum institutam. Decerpam aliquid ex optimo scriptore, quod Paradigmatis loco sit. Is est Iosephus Speranza, cujus verba abbrevio ne longus sim. ait ergo. [Est præterea valde fructuosus meditandi modus, qui ad virtutum imitationem tendit. Hæ licet omnes in tota vita Christi eminent: Passio tamen ejus est velut summa & epitome omnium perfectissimarum

Matth. 11. 29.

Matth. 22. 37. *Ioan.* 14. 31. *Lucæ* 21. 19. *Ioan.* 16. 11. *Matth.* 10. 22. *Lucæ* 9. 23. *Ioan.* 13. 15.

„ *Iosephus Speranza in selectis*

simarum virtutum. Vt splendet Humilitas: a *Vidimus eum despectum, novissimum virorum*; Verè in novissimo loco recubuit, dum inter latrones in Cruce occubuit. b *Quam gloriosus fuit hodie Rex Israel, discooperiens se ante ancillas servorum suorum, & nudatus est, quasi nudatur unus de scurris.* Si ad mensuram Dignitatis respondet Humilitas, quis metietur Humilitatem Christi: quo sicut nemo sublimior, ita & nemo despectior. *Novissimum* (Hebr. cessatorem) *virum*, quasi Christus ferè capacitatem hominis per humilitatem exhauserit: nec non ultra stante naturâ humanâ descendere potuerit: sed omnino cessare debuerit, juxta illud, c *Ego autem vermis & non homo.* Heu! Heu! Filius Dei, vermis factus est per humilitatem, & homo putredo ac vermis, adeò per superbiam erigitur? Discite ergo à me, discite, quia mitis sum & humilis corde. O quàm mitis! ineffabilis certè mansuetudo, dum inter quascunque injurias nihil durum tortoribus suis respondit. d *quasi Agnus coram tondente se*, &c. e *Constituite diem solennem in condensis usque ad cornu altaris.* Pagninus. *Ligate Agnum*; Chaldæus. *ligate puerum funibus usque ad cornua altaris*; *brachia Crucis.* In his omnibus non aperuit os suum, *ita ut mirarètur Præses vehementer.*

Patientiam in alapa, quâ sacrilegus ille Divinam faciem percussit, mirans Augustinus; *Si inquit cogitaremus, quis acceperit alapam, nonne vellemus eum qui percussit cæleſti igne consumi, aut terrâ dehiscente sorberi, aut correptum à dæmonio volutari, aut huiusmodi quâlibet pœnâ, vel etiam graviore puniri? Quid enim horum per potentiam jubere non potuisset, per quem factus est mundus, nisi patientiam nos docere voluisset, quâ vincitur mundus.* Pilatus IESVM flagellatum tradidit voluntati eorum. Non ex lege decrevit, sed voluntati hostium, voto, violentiæ, vinolentiæ tradidit, unde illud. f *In me psallebant qui bibebant vinum.* Vnde credibile, sævitum in eum omni æquitate latiùs, quæ omnia patientissimè pertulit.

Relucet *Obedientia*, quam ne perderet, perdidit vitam.

Relucet *Paupertas*, eaque talis, ac tanta, ut nudus in Cruce non haberet ubi caput suum reclinaret. Ita orbis Domino, totus negatus est orbis. Vnde Ambrosius: *Recordare*

scripe. Puncto 154.
a *Isaiæ* 53. 3.
b *2. Reg.* 6. 20.
c *Psal.* 21. 7.
d *Isaiæ* 53. 7.
e *Psal.* 117. 27.
Augustin. Tr. 11. 3. *in Ioan.*
Bonaventura.

Ambrosius. *dare omnem vitam Salvatoris à partu virginis, usque ad patibulum Crucis, & non invenies nisi stigmata Paupertatis illius,* g *Thren.* 3. 19. *de qua in Threnis.* g *Recordare Paupertatis meæ.*

Sed ubi *Charitatem* relinquemus? h *In hoc cognovimus* h 1. *Ioan.* 3. 16. *charitatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit. Cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus.* Septuaginta legunt. *Et posuit dilectionem robustam fortitudinis* „ *suæ.* Hinc ad suæ Charitatis ostensionem latus voluit sibi „ perforari, & cor ipsum aperiri, quasi diceret. En quantùm „ vos diligo. Cor ipsum videte. Hunc tibi amorem testatus „ est, dum tam libenter pro te mortuus est. Extensione bra„ chiorum suorum, & membrorum ostendit, quòd tantùm „ diligere potuit.

„ Quid hinc fratres? *Christus passus est pro nobis, vobis re*
Bernardus Serm. 1. de omnibus Sanctis. *linquens exemplum. Pudeat, pudeat sectari gloriam membra, quibus caput suum tam inglorium exhibetur, non habens speciem neque decorem: pudeat sub spinoso capite membrum fieri delicatum.* Non coroner ego coronâ aureâ (inquit invictus ille Goffredus) ubi Servator meus coronatus est spineâ. Et quidem (ut Clemens ait) à ratione alienum est, ut
Clemens Alex. 2. Pædag. cap. 6. qui audivimus Dominum spinis fuisse coronatum; ipsi venerabili Passioni Domini insultantes, habeamus capita redimita floribus, dicamusque, *coronemus nos rosis.* Hactenus Speransa.

Ludovicus Pontanus Medit. 1. Partis 4. Puncto 6. Vniversaliter sciendum & considerandum est, Christum Dominum in Passione sua, omnes præcipuas Christianæ & perfectæ vitæ virtutes exercuisse: & quidem singulas, quantùm ad externos actus, in gradu heroico. Multòque etiam in præstantiori, quantùm ad internos actus, qui externos comitabantur. Cujus causa fuit, *Prima,* Quòd ipse venisset ut esset Magister exemplarque virtutum. ideo tempore Pas„ sionis voluit epilogum omnium earum facere, & singulare „ exemplum præbere. *Secunda,* Quia suâ Passione promeri„ turus & impetraturus nobis erat omnes virtutes, voluit e„ tiam merita nostra, actuali earum exercitio inniti. *Tertia,* „ Vt eâ ratione virtutum ipsarum honorem & præstantiam „ tueretur. Valde enim jacebant in mundo: illæ præsertim, „ quæ mundi contemptum docent. *Quarta,* Vt testamento

& ultimâ

& ultimâ suâ voluntate, ipsâ morte confirmato, excellentes omnium virtutum actiones nobis relinqueret. Sicut enim in ultimo suo Sermone dixit. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Ita dicere potuit, opereque ipso dixit. Mandatum quoddam novum do vobis, ut humilietis vos, sicut ego me humiliavi, ut obediatis & sustineatis, sicut ego obedivi, & sustinui. *Ioan. 13. 34.*

MODVS IX.

NOnus Modus Passionem Domini meditandi est, priori quidem, usu & efficaciâ similis, modo tamen diversus, quo singula circa Christum in Passione gesta, ad moralem spiritualemque doctrinam, meditationibus, reflexionibus, propositisque transferuntur, atque accommodantur. Modum hunc, quia exactè non minùs quàm devotè & copiosè prosecutus est, piissimus Æternæ Sapientiæ IESV Christi Minister, Beatus nimirum Henricus Suso Ordinis Prædicatorum in Dialogo Sapientiæ cum Ministro suo, per aliquot capita, ideo illum hic ejusmet verbis describam: ordine tantùm nonnihil immutato, hoc est, parallelicè per singula puncta Passionis Dominicæ, simul doctrinæ mysticæ ex iis erutæ digesto. Sic igitur apud Susonem Æterna Sapientia Christus IESVS, primùm suam propriam Passionem explanans, deinde discipuli amatorisque sui mysticam item Passionem, seu veram internamque suæ Passionis imitationem exponens verbis tanquam propriis inducitur.

IESVS Christus Patiens.

a I. Post peractam cum discipulis meis cœnam vltimam, cùm in Monte me obtulissem, & resignassem ad perferendum mortis horrendæ supplicium: eamque mihi jam

Christianus IESVM Patientem exprimens.

» I. Necesse est, ut Passionem meam omnem ipse » quoque experiaris pro viribus. Sume igitur animum » planè virilem. Certus crebras tibi perferendas cordis » mor-

a *Dialog. cap. 2.*

IESVS Christus Patiens.	Christianus IESVM Patientem exprimens.
hi jam jam impendere sentirem, præ angustia tenerrimi cordis mei, ac totius corporis pressura, sanguinem sudavi.	mortes, antequam possis naturam sub jugum mittere: atque etiam præ angoribus cruenti sudoris, quem multi juges acerbæ afflictiones, quibus te mihi præparatum efficiam, tibi expriment. Enimverò hortum aromatum tuorum rubicundis aspergam floribus.
II. Deinde atrociter in horto captus, direptus ligatus, miserandum in modum abductus fui.	II. Contra morem tuum, & inolitas consuetudines, vinculis implicaberis & constringêris.
III. Eâdem nocte, verberibus, sputis, oculorum obvelatione, indignè & contumeliosè me tractarunt. Coram Caipha iniquè accusatus, & morti adjudicatus fui.	III. Ab adversariis meis, clandestinis sæpe vexabere calumniis, & propalam confunderis. Multa in te ferentur judicia temeraria.
IV. Erat sanè miseria, Pulcherrimam Matrem meam in effabili cordis dolore correptam cernere ab eo tempore, quo me tantis vidit angustiis laborantem, donec essem in Cruce suspensus.	IV. Passionem meam in tuo pectore, maternâ fide, & intimâ charitate circumferes.
V. Ad Pilatum summa cum ignominia me duxerunt, falsò detulerunt, & accusarunt, mortis sententiâ plectendum censuerunt. Stabant illi coram me terribili aspectu, non aliter quàm immanif-	V. Complures perpeti habebis Religiosæ vitæ tuæ iniquos Iudices & calumniatores, & eos quidem potentes, & hominum judicio magnos, nec nisi justè contra te insurgentes, & ex lege arguentes.
	VI. Ita

IESVS Christus Patiens.

manissimi Gigantes, & ego inter illos ut ovis mansvetissima assistebam.

VI. Apud Herodem ego ipse licèt Æterna Sapientia sim, in alba veste ridiculè delusus sum.

VII. Corpus meum elegantissimum, crudelibus flagellorum ictibus misèrè conscissum, & dilaceratum fuit.

VIII. Sacrosanctum Caput meum spinis confixerunt, & faciem meam gravissimam sputa & sanguis oppleverunt.

IX. Atque ita mortis sententiâ damnatum, cum cruce me turpiter ac miserabiliter ad ultimum ferendum supplicium eduxerunt. Terribiles in me voces & rugitus dabant, ita ut procul audiretur, Crucifige, Crucifige hominem nefarium.

a X. Suspenso me ad sublimem Crucis stipitè (quod equidem nimio ex amore, tuâ & mortalium omnium

a *Dialog. c. 3.*

Christianus IESVM Patientem exprimens.

VI. Ita fiet, ut pia institutа tua, ab hominum vivendi consuetudine, crebrò tanquam fatua credantur, & irrideantur.

VII. Corpus tuum inexercitatum, durâ, & asperâ vivendi ratione flagelletur, & castigetur.

VIII. Atque nugatoriè coroneris Sanctæ Vitæ tuæ obtrectationibus, quibus ea pessum premetur.

IX. Inde verò mecum educêris & miserabile illud Crucis ferendæ iter conficies, ubi propriæ renuntiaveris voluntati, te ipsum abnegaveris, & à creaturis omnibus, usque adeò te servaveris liberum, & expeditum in iis quæ possunt æternæ tuæ salùti aliquid obijcere impedimenti, ut aliquis jam jamque moriturus, & nihil post hac cum hac vita cõmercii habiturus.

X. Interdicito ergo tibi ipsi voluptate curiosi aspectûs, & dissoluti auditûs.

Dulcescat tibi & placeat ex amo-

IESVS Christus Patiens Christianus IESVM Patientem exprimens.

causâ pertuli) tota corporis mei habitudo vel ſpecies miſerandum in modum immutata fuit. Illuſtres oculi mei, ſuum perdidêre lumen. Divinæ aures, ludibriis & blaſphemiis complebantur. Præclarus olfactus, tetro urebatur odore. Os ſvaviſſimum, acerba cruciabat potio. Tactus tenerrimus, duris torquebatur plagis. Non erat mihi tunc ex toto orbe terrarum ulla vel modica quies, ac refrigerium. Enimvero Sacroſanctum Caput meum præ dolore & incommodis hærebat pendulum. Collum formâ conſpicuum, immitiſſimis contuſum erat verberibus. Nitidiſſimam faciem, putentia deturpârant phlegmata. Color integerrimus, in pallorem verſus fuerat. Denique uſque adeò decor omnis corporis mei extabuit, ut nihil à leproſo differrem, immò quaſi nunquam fuiſſe viderer, cùm eſſem Sapientia Sole ſpecioſior.

ex amore, quod priùs ægrè ferebas.

Corporis oblectamenta reſpue.

In me Solo conquieſcas.

Aliena mala feras ſvaviter & moderatè.

Tui contemptum deſidera.

Frange appetitiones tuas, & voluntates omnes ac deſideria peſſum preme.

Hæc prima ſunt elementa in Schola Sapientiæ, quæ in patenti & expanſo Crucifixi Corporis mei volumine leguntur. Sed hîc vide obſecro: etiamſi quis omnes intendat nervos ſuos, num talem ſe mihi præſtare poſſit, qualis ego illi fuerim?

Alio rurſus loco idem Chriſtus IESVS, Patienti ſibi, Chriſtianum fidelem, in compaſſione, & imitatione ſui, hunc in modum informat.

Tot ego

IESVS Christus Patiens.

a Tot ego toto corpore meo Amoris signa præ me tuli, ut nec acûs unius acies, ullam undique vulneribus confecti corporis mei particulam pungere potuerit, quæ non esset peculiari quâdam Amoris notâ insignita.

I. En dexteram manum meam clavus transfixerat: per sinistram itidem clavum adegerant.

II. Dextrum brachium meum dirè intenderant, sinistrum crudeliter expanderant.

III. Pedem dextrum clavus perforârat, lævus plagam horribilem acceperat.

IV. Hærebam Cruci meæ ceu planè impotens, nimiâq; crurium lassitudine prægravatus.

V. Cun-

a *Dial. eodem c. 4.*

Christianus IESVM Patientem exprimens.

a I. Te ipsum & omnia tua liberè mihi dedas, nec repetas unquam. Nihil attingas eorum, quæ necessaria non sunt. Sicque habebis manus cruci revera affixas.

II. Vires tum Corporis, tum Animi, vide ne ex tempore flaccescant, sed instar brachiorum meorum in cultu & famulatu meo semper sint intentæ.

III. Bona opera hilariter arripias, atque in iis fortiter perseveres, ita fixus erit pes tuus sinister.

Animum inconstantem, & vagabundas cogitationes in me figas & constabilias, habiturus hoc ipso dextrum quoque pedem crucifixum.

IV. Fragile ac debile corpus tuum in laudem crurium meorum in spiritualibus exercitiis crebrò fatiges, nec illi permittas

a *Dial. eodem c. 4.*

IESVS Christus Patiens.

V. Cuncta membra mea immobiliter ad illud ergastulum Crucis compressa & distracta erant. Et quod erat summè profectò visu dirum & miserabile, fervidus sanguis meus necessitate compulsus, multis locis fortiter erumpebat, totum cruentans moribundum corpus meum.

VI. Atque (ô rem miserandam!) juvenile ac floridum corpus meum, extabuit, exaruit, expalluit.

VII. Dorso tenerrimo, durum erat stratum, Crucis asperitas.

VIII. Corpus, præ ponderesuo, jugiter deorsum ferebatur.

IX. Denique totum corpus meum vulneribus & livore confectum erat. Atque hæc omnia corde amantissimo placidè perferebam.

Christianus IESVM Patientem exprimens.

permittas facultatem suis indulgendi affectibus.

V. Multijuges, ratæ, nec passim cognitæ afflictiones, te mihi adjungent, adducentq; ad ergastulum Crucis meæ. Efficientque te, ad mei similitudinem cruentum & miserabilem.

VI. Naturæ tuæ mortificatio atque arefactio, pristinum mihi redder virorem, atque vigorem.

VII. Incommoda corporis tui ultro susceptа, dorso meo stratum parabunt gratissimum.

VIII. Virilis tua adversum peccata decertatio, meum levabit animum, cordis tui pietas & devotio, dolores meos omnes sublevabit, & mitigabit.

IX. Denique cordis tui fervor & flagratio, cor meum longè amantissimum inflammabit.

Rursum alio loco, pergit Æterna Sapientia, suum ministrum in suæ Passionis imitatione instruere: hunc in modū. a

a *Dial. eiusd. c. 15,* I. Audi

IESVS Christus Patiens.

I. Audi homo rem miserabilem, & compatere mihi. Cùm suspensus coram hostibus meis, in Cruce hærerem, miserandum in modum multivariâ illâ angustiâ, & mortis doloribus circumseptus, stabant illi contra me, scommatibus & sannis me afflictantes, meque irridentes, capitaque sua probrosè adversùm me agitantes: deniq; in suis cordibus adeò me vilipendentes, quasi extremæ sortis vermiculus essem, atque in his omnibus immotus ipse perseverabam, & pro eis Patrem meum attentissimè deprecabar.

II. Et cùm essem Agnus innocentissimus, cum noxiis & sceleratis reputatus fui, quorum alter me derisit, alter si-

Christianus IESVM Patientem exprimens.

I. Tu & quicunque alii mea vultis sectari vestigia, & venire post me, abnegetis vosmetipsos, & tollatis crucem vestram, & sequamini me. Quæ mihi vestra mortificatio & abnegatio, non minùs grata erit, quàm si tunc unà mecum mortem crucis sustinuissetis. Quo autem pacto quis mecum mori debeat, & crucem suam tollere, jam expono. Quando operã das, ut quoad capere potes, semper id agas, quod optimum sit, atque id in te alii cavillantur, & irrident, & erga te contumeliosè se gerunt, adeòque suis cordibus te vilipendunt, ut tam miserum te putent, qui nec possis, nec ausis te defendere, atque ipse interim non solùm nihil moveris, sed etiam Patrem Cœlestem ex animo pro illis rogas, ac benignè eos apud illum excusas, quoties hunc in modũ ex amore meo moreris, toties mors mea in te revirescit, ac reflorescit.

II. Itaque cùm purè ac innocenter vivis, & tamen rectè facta tua, in tantum deprimuntur, ut inter reos &

IESVS Christus Patiens.

» ter fidem meam, & auxilium
» imploravit, quem absque mo-
» ra benignè susceperi, condona-
» tis illi omnibus peccatis, ac
» cælestem illi Paradisum pate-
» feci.

» III. Accipe rem omni
» lachrymarum fonte plangen-
» dam, huc atque illuc oculos
» circumferens, cunctorum me
» mortalium ope miserè desti-
» tutum comperi. Noti autem
» & amici mei, qui me secuti
» fuerant, procul stabant, di-
» scipuli mei charissimi aufuge-
» rant. Pendebam nudus, cun
» ctis despoliatus vestibus. Erã
» planè sine viribus, & quasi
» in hostium potestatem reda-
» ctus. Tractabant me crude-
» liter, sine ulla misericordia,
» sed interim utovis tacita man-
» suetissimè me gerebam.

IV. Quo-

Christianus IESVM Patientem exprimens.

noxios numereris, idq; liben-
ti animo accipis, adeò ut ubi
etiam illi ipsi, qui te afflixe-
runt, abs te veniam petunt,
tam promptus & paratus sis,
ex animo illis ignoscere, quid-
quid unquam molestiæ ab il-
lis perpessus es, ac si penitùs
nihil passus esses, ac præter
hoc etiam verbis & factis illis
inservire, & prodesse niteris,
quò meam imiteris benigni-
tatem, quâ illis, qui me cruci-
fixerant, facilè remisi: jam re-
vera mecum pendes in Cru-
ce.

III. Quando etiam omni-
um hominum familiaritati,
commodis, & consolationi,
nuntium remittis (nisi quan-
tùm stricta & notabilis exigit
necessitas) jam illa tui desola-
tio & destitutio, erga me illo-
rum omnium supplet vicem,
qui me in cruce deseruerunt.
Vbi verò mei amore cunctis
amicis valefacis, ac si ad te ni-
hil pertineant, idque in omni-
bus illis, quæ aliquod inter te,
& me, possint medium vel
impedimentum objicere: hoc
ipso charissimum te mihi ex-
hibes discipulum & fratrem,
sub mea cruce consistentem,

mihique

IESVS Christus Patiens.

IV. Quocunque me vertissem, acerrimis cordis doloribus & angoribus conficiebar. Iuxta crucem stabat mœstissima Genitrix mea, perferens medullitùs, in materno corde suo, quidquid ipse in corpore

Christianus IESVM Patientem exprimens.

mihique compatientem. Dū cordis servas expeditam, & absolutam ab omnibus libertatem, eâdem ipsâ meam tegis & ornas nuditatem. Quãdo in quibuslibet adversis, tibi à quolibet proximo illatis, mei causâ ex amore nihil resistis, nihil te defendis, cunctorumque furorem, & excandescentiam, undecunque ea accidit, & quamvis subita, & improvisa fuerit, quâ jure, quâ injuria concitata sit, tanquam ovis obmutescens, suaviter ac placidè accipis, adeò, ut cordis tui lenitate, verborum mansuetudine, & vultûs serenitate, aliorum vincas asperitatem & malitiam, jam revera similitudo mortis meæ in te perficitur. Hanc, ubi mihi datur, mortis meæ similitudinem, dici non potest, quantùm illic capiam voluptatem, quantùm id & mihi, & Patri meo placeat.

IV. Denique si acerbissimam mortem meam affixam tenueris corde tuo, & in precibus tuis commemoraveris, & factis expresseris, ac imitatus eris, eo ipso conformabis te doloribus, & fidelitati in-

IESVS Christus Patiens.

corpore patiebar. Quæ res piissimum cor meum vehementissimè concutiebat, siquidem ego unus, immanissimos cordis ejus dolores funditus noveram. Cernens tristissimos gestus ejus, benignissimè eam consolabar. Iamq; moriturus, & morte ab ea separandus, commendabam eâ charissimo discipulo meo Ioanni, ut quâ decet Matrem fidelitate, eam prosequeretur; itemque discipulum, illius Maternæ curæ ac fidelitati commendabam.

Christianus IESVM Patientem exprimens.

tegerrimæ Matris meæ, & amantissimi discipuli mei.

Ad extremum eadem Sapientia Æterna, discipulum suũ ad suæ Passionis imitationem sic informat.

Ibid. Cap 18.

1. Etsi audieris sæpe tristia multa, sed nihil unquam tristius ac calamitosius eo ipso, quod jã relaturus sum. Anima quidem mea, secundùm vires supremas, Divinam tum haud secus, quàm modò contemplabatur essentiam: at vires infimæ interioris exteriorisque hominis, in desolata penitùs & omnis consolationis experte afflictione usque adeò erant relictæ sibi ipsis, ad extre-

1. Vt mihi pro Passione mea dignas utcunque gratias agas ô homo, crucem meam ob oculos crebrò versabis, dirissimosque cruciatus meos, cum ingenti condolentia, tuo affiges animo, & quidquid tibi perpetiendum occurrerit, ad meæ Passionis similitudinem quandam adduces. Vbi afflictus fueris, nec tamen ullam tibi præstitero consolationem, sed in mentis tuæ aridi-

ditate

IESVS Christus Patiens.

ad extremum usque infinitæ acerbitatis articulum, ut nullus unquam exstiterit huic similis cruciatus.

II. Cùm itaq; plenè, omni ope destitutus, ac undique derelictus penderem à Cruce, cùm distillantibus vulneribus, lachrymantibus oculis, distentis brachiis, ac distractis & diductis omniũ membrorum venis, mortis angoribus correptus, voce lamentabili ac miserabili clamavi ad Patrem meum, Deus meus, Deus meus ut quid dereliquisti me? Interim tamen voluntas mea cum sempiternæ voluntatis ejus decreto, & placito omnino consentiebat atque unita erat.

III. Porrò sanguine meo, sic prorsus effuso, fractisque viribus præ mortis angustia, invasit me sitis acerrima: sed multò magis vehementior me obtinuit sitis salutis mortalium

Christianus IESVM Patientem exprimens.

ditate tabescere, ac sine alicujus suavitatis infusione exarescere te permisero (quemadmodum me Pater meus dereliquit) non aucupaberis peregrinas consolatiunculas, sed lamentabiles dabis gemitus ad Patrem cælestem, cum abnegatione tui quoad delectationem attinet, pro illius Paterna voluntate.

II. Tum verò quantò Crux externa fuerit acerbior, & intus ipse magis derelictus fueris, magisq; resignatus, tantò propiùs ad meam accedes similitudinem, & Æterno Patri meo eris charior. Siquidem hac ratione præcipui Dei amici potissimùm probantur.

III. Cùm te vehemens tenebit desiderium, aliquam in re quapiam multùm delectabili, aucupandi & capiendi voluptatem, ex Amore idrespues meo, atque mortifica-

IESVS Christus Patiens.

» talium omnium. Atque ecce
» dum sic laborarem siti intole-
» rabili, fel & acetum ori meo
» obtulerunt.

» IV. Deinde peractis illis,
» quæ ad hominum instauran-
» dam salutem pertinent: in
» hæc verba prorupi. Consum-
» matum est: ita Patri meo per-
» fectam præstiti obedientiam,
» ad mortem usque.

» V. Cùmque dixissem Pa-
» tri, in manus tuas commendo
» spiritum meum, præclarissi-
» ma anima mea, ex Divino mi-
» gravit corpore: ita tamen, ut
» nec ab illo, nec ab illa Divini-
» tas recederet.

» VI. Post hæc, lanceâ fode-
» runt dextrum latus meum,
» unde continuò exivit pretiosi
sangui-

Christianus IESVM Patientem exprimens.

bis, atque eo ipso sitibundum os tuum, sicut & meum, amarâ potione cruciabitur. Cunctorum salutem, summopere sities, eique curandæ, laboribus immori, pro maximo lucro, atque felicitate repones.

IV. Rectè facta tua ad perfectam capessendam vitam diriges, & ad mortem usque exequêris.

V. Subditam geres voluntatem, promptèque morigeram, ac obtemperantem superioribus tuis: Animamq; omni proprietate nudâ, prorsusque resignatam in omnipotentis Patris manus, atque etiam spiritum, ex hac vita temporaria, in illam æternam commigrantem, pro quadam similitudine extremæ illius decessionis de hujus vitæ curriculo. Ita fiet, ut Crux tua, miserabili cruci meæ nonnihil conformis sit, atque in ipsa præclarè perficiatur.

VI. In patulo lateris mei vulnere, in ipso corde meo pretiosi vulnere affecto, suaviter te in-

cludes,

IESVS Christus Patiens.

sanguinis rivulus, simulque fons aquæ vivæ.

VII. Ecce fili mi, hujusmodi labore ac dolore, teque & electos meos omnes reparavi, & innoxii sanguinis mei vitali sacrificio, ab æterna morte redemi.

Christianus IESVM Patientem exprimens.

cludes, ibique morari & permanere discès, atque ita vitali illâ aquâ, te expiabo, & purpurei sanguinis mei roseo colore, mirificè decorabo.

VII. Denique me tibi fortiter adstringam & obligabo, teque mihi perenni unione conjungam.

Hactenus ex devotissimo Susone, desumpta Passi IESV Christi, ad eumque spiritualiter conformati Christiani collatio: ex qua lector, seu meditator Dominicæ Passionis, verum, solidum, & tam Christo gratissimum, quàm sibi utilissimum, hauriet meditandæ, atque sibi applicandæ Passionis Dominicæ modum.

MODVS X.

DEcimus Passionem Dominicam meditandi modus est. Assumere aliquem peculiarem cruciatum, vel contemptum injuriamve Domini IESV, ejusque per totam Passionem, investigationem instituere, atque meditando expendere: ubi, quando, quoties, quàm gravem, ob quam occasionem, sive ob cujus virtutis exercitium manifestationemve, illum dolorem, injuriamve illam sit perpessus? Exempli gratiâ. Quoties Christus Dominus sanguinem fudit? & ubi? & quare? &c. Fudisse autem inveniam. 1. In horto per sudorem & agoniam. 2. In domo Annæ, ubi accepit alapam cruentam. 3. In domo Caiphæ, ubi innumeris colaphis, alapis, pugnisque percussus est. 4. Ibidem nocte eâdem, piè creditur, flagellis cæsus. 5. In prætorio Pilati, ad columnam dirè flagellatus. 6. In coronatione spinea, & alapis,

alapis, percussioneque capitis. 7. In vestium propriarum detractione, ad coronam & chlamydem coccineam sumendam. 8. In depositione coronæ, ad induendas vestes proprias, cùm crucem, damnatus, bajulare deberet. 9. In depositione earundem vestium ad crucifixionem: ubi & corona eidem rursus detracta est, cum 10 effusione sanguinis, aliter enim tunica inconsutilis & desuper contexta per totũ detrahi non potuit. 11. In affixione ad crucem. 12. In statuitione & firmatione crucis: fuit enim & illa violenta, & cum corporis concussione, proinde non absque sanguinis effusione. 13 In coronæ repositione cùm esset elevandus adhuc vivens cum cruce in altum. 14. In lateris post mortem confixione.

Pari ratione, expendi possunt variæ manuum Christi ligationes. 1. In comprehensione. 2. Apud Annam. 3. In domo Caiphæ, pro nocte. 4. Manè ducendus ad Pilatum. 5. Ad columnam causâ flagellationis. 6. Post Coronationem. 7. Cùm indutus suas vestes, crucem accepit, 8. Cùm est crucifixus, & clavis cruci illigatus: quæ omnes manibus Christi erant acerbissimæ. & moralia documenta servis Christi suppeditant.

Pari ratione expendi possunt nudationes Christi. 1. Harum creditur fuisse, nocte illâ in domo Caiphæ, ad torturam vel flagella. 2. In Prætorio Pilati ad flagella quoque. 3. Ad chlamydem purpuream induendam. 4. Ad proprias vestes induendas, ante bajulationem Crucis. 5. Ad crucifixionem, postquam deinceps mansit pependitque nudus, usque ad depositionem de Cruce. 6. Si placet, addere possumus post tenebras illas meridianas depulsas, quibus cùm suo modo velatus fuisset Dominus, redditâ luce, iterum quasi exutus veste tenebrarum, nudus apparuit.

Pari ratione expendi possunt itinera, quæ Christus confecit in Passione, & quid in eis Passus est. 1. Iter ad hortum in quo cœpit pavere, tœdere, contristari, mœstus esse. Iter ad discipulos dormientes, quibus objecit dolens sic: non potuistis unâ horâ vigilare mecum? quod iter aliquoties repetiit. 3. Iter obviam Judæ, & cohorti. 4. Iter captivati jam ad Annæ domum. 5. Iter ab Anna ad Caipham. 6. Iter à Caiphæ

pnæ concilio, ad carcerem. 7. Iter matutinum è carcere, ad concilium Caiphæ. 8. A Caipha, ad Pilatum. 9. Ab hoc, ad Herodem. 10. Ab Herode, ad Pilatum; apud quem aliquot itinera fuêre: à tribunali, ad columnam in atrium; ab hac, ad locum coronationis; ab hoc, ad locum è quo ostensus populo à Pilato dicente: Ecce Homo: hinc ad interiorem partem prætorii, ubi examinatus est repetitò, secretiùs, diligentiùsque à Pilato, tum ad locum tribunalis foras, ubi & damnatus est ad crucem juridicè, hinc denique ad locum, ubi crux ei imposita est. 11. Iter cum Cruce usque ad locum crucifixionis. 12. Iter ad ipsam Crucem. 13. Iter jam in Crucem affixi in altum. 14. Iter de Cruce post mortem. 15. Iter ad sepulchrum.

Pari ratione, expendi potest quoties Dominus IESVS alapis & pugnis percussus est, quibusque locis. 1. In Captivitate, dum ligaretur ligatusque traheretur. 2. In domo Annæ. 3. In domo Caiphæ, ubi tumultuosissimè reus mortis denuntiatus undique percussus est. 4. In variis itineribus cùm raptaretur, haud dubiè sæpius variè contusus est. 5. In coronatione, quando illusoriè flexo genu salutabant, & conspuebant, & alapas dabant ei.

Ad hunc modum, consputationes multiplices, possunt expendi: item accusationes apud Annam, apud Caipham vesperi, & manè, apud Pilatum, apud Herodem, iterum iterumque apud Pilatum, item in condemnatione & sententiæ promulgatione, item in titulo Crucis, item in blasphemiis illusionibusque objectis, jam Cruci affixo, item à latrone improperante.

In his singulis Meditator devotus reperiet, quo ad compassionem moveatur, qvoque erudiatur ad Mansuetudinem, Patientiam, Constantiam, Humilitatem, Charitatem, Obedientiam, ad sui odium, vilificationem, accusationem, confusionem, internam externamque mortificationem, tum etiam ad gratiarum actionem, admirationem, compassionem, deprecationem, laudationem.

Vide infra modum XII.

MODVS XI.

VNdecimus Passionem Dominicam meditandi modus est; Assumere & expendere varios Authores Passionis Christi. Horum authorum aliqui erant justi & æqui: qualis fuit Pater Æternus, *qui sic dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*, (ad pœnas, & mortem in carne subeundam,) *ut mundus Salvetur per ipsum*: talis etiam fuit ipse Dominus IESVS, qui amore & obedientiâ erga Patrem ejusque gloriam: amore item & commiseratione super nos, *exinanivit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*: tales etiam authores fuêre suo modo omnes Angeli Beati, omnesque sancti Patriarchæ ante Christum: ac inprimis ipsa Beatissima Dei Mater. Omnes enim isti desideraverunt & optaverunt mortem, Passionemque Christi, ut pote reparatricem salutis humanæ, abolitricem peccati, ruinarum cælestium restauratricem, reseratricem paradisi, gloriæ, charitatis, veritatis, justitiæ, misericordiæ Dei manifestatricem, Christi ipsius exaltatricem, heroicarum virtutum, omnimodæque perfectionis Magistram, Dotem Ecclesiæ atque vitam, Sponsarum seu diligentium dilectarumque Christi animarum emundatricem, ditatricem, ornatricem, inflammatricem, adglutinatricem, transformatricem, & absorptricem. Quocirca minimè dubitandum est, quin si ita placitum fuisset voluntati Dei, ipsi Angeli atque Sancti, ipsa etiam Pretiosissima Dei nostri Mater, Dominum IESVM suis manibus tam illi, quàm ista fuissent crucifixuri, ob amorem tantorum bonorum Dei, Christi, Cœli, & mundi, ex Passione Christi excrescentium.

Ioan. 3. 16.

Phil. 2. 7.

Alii Authores Passionis Christi fuêre iniqui, & per omnia improbi, ac per hoc Deicidæ, maximæque, iniquitatum omnium, iniquitatis rei. Tales fuêre dæmones, omnisque potestas tenebrarum. Talis Iudas proditor, tales Iudæorum Principes, & Sapientes; talis Pilatus & Herodes, tales milites, aulici, carnifices, omnisque furiosa plebs à Principibus persuasa, & perversa. Inter hos authores, suo modo recenseri possunt discipuli Christi desertores, Petrus negator & abjurator, reliqui in fide & spe collapsi. His annumerari authori-

thoribus etiam potest Barabbas Christo prælatus, latrones ambo. Præ omnibus autem, authores fuêre Passionis Christi, omnes & singuli homines, præteriti, præsentes, futuri, ab Adam primùm creato, ad ultimum nascitúrum in fine mundi: & quidem omnibus & singulis suis peccatis mortalibus venialibusque, quorum quodlibet morte & sanguine Christi ad sui expiationem eguit, & quia eguit, eandem exegit, quia exegit, etiam pro sua portione causavit: pro sua portione inquam, non quia non quodlibet peccatum, aut non quilibet peccator, totius integræque Passionis Christi author sit: sed quia nec unum aliquod solum peccatum, nec unus aliquis solusque peccator, sed omnia & omnes. Alioqui, nisi hoc verum esset, quomodo diceret Pater Æternus à se *Filium suum percussum, propter scelus populi sui?* quomodo diceretur, *posuisse in Filio iniquitates omnium nostrûm?* quomodo diceretur Christus, *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi?* quomodo diceretur, idem *Agnus occisus esse ab origine mundi?*

Isaiæ 53. 8.
Ibid. 6.
Ioan. 1.
29. Apoc.
13. 8.
Rom. 5.
10.

Ah quanta mihi, quanta unicuique hominum materia dolendi, lugendi, erubescendi? quanta obligatio pœnitendi, patiendi, redamandi? quandoquidem videmus, quòd antequam adhuc essemus, jam tamen inimici eramus, nec inimici solùm, sed etiam perduelles, & Deicidæ, & nihilominus cùm adhuc tales essemus, reconciliati sumus Deo Patri, per Christum. Et indignamur nos dæmonum in Christum malitiæ, odimus Iudaicam nequitiam, execramur Pilatum, Herodem, Iudam, aliosque: & non attendimus, quòd nos magis ipsi simus odio, execratione, detestationeq; digni, qui totius diabolicæ, Iudaicæ, aliorum omnium malitiæ, sumus causa, & insuper etiam horum omnium, in scelere exsuperatores, atque transgressores, adeò, ut nulla sit inter illorum nostramque malitiam proportio, quoniam etsi horum omnium in Christum malitia non sævisset; adhuc tamen nostra peccata sanguinis, & Passionis, & mortis Christi, & occasio, & causa, & administra fuissent. Ita ut longè furiosiùs, longèque obstinatiùs, longè denique maligniſſimâ impotentiâ efficaciùs, nostra scelera clamaverint, illas voces, *Crucifige, Tolle, Sanguis ejus super nos, & super filios nostros.* O si hæc intimis sensibus cordis nostri capere possemus?

ô si intimâ mente scelerum nostrorum omnium singulorumq; cognoscere atque penetrare laboraremus immanitatem! ô si aliquando cogitationes dignas obligationi nostræ in IESVM, dignas charitate IESV erga nos, assumeremus, nec unquam deponeremus!

MODVS XII.

DVodecimus Passionem Dominicam meditandi modus est: Assumere instrumenta extrinseca Dominicæ Passionis, quæ servierunt ad dolores ignominiasque Christi. Ejusmodi sunt funes, catenæ, lora, fustes, ligna, gladii, faces, pugni, palmæ, ungues, sputa, calcanei, genua, flagella, virgæ, spinæ, arundo, purpura, myrrha, fel, acetum, crux, clavi, mallei, lancea, titulus crucis, velum oculis obductum, vestis alba, aleæ seu sortes, spongia, hyssopus: ab his omnibus instrumentis, sua portio pœnarum & ignominarium, Christo obvenit. Quæ consideratione expensæ, fructum in anima meditantis possunt facere: tum excitando compassionem; tum svadendo imitationem, tum exigendo gratitudinem; tum movendo admirationem; tum spiritualem suggerendo instructionem.

Tam huic modo, quàm præcedentibus duobus, sequentibusque etiam tribus, dabit aliquam opinor, non solùm cogitationum, sed etiam affectionum materiem, indiculus pœnarum Christi Domini, quem hic ex piis probatisque authoribus subijcio. Igitur Bartholomæus Saluthius Ordinis Minorum: vir piissimis & gestis & scriptis hac ætate notissimus, talem indiculum collegit contexuitque.

Barthol. Saluthius in Convivio Spirituali Post Præfationem.

[Devotæ revelationes Sanctissimæ Passionis Domini nostri IESV Christi, factæ ab eodem IESV Christo, Beatæ Mechtildi, Elisabethæ, Brigidæ.

Elevatus est Dominus è terra per capillos, funes, -- 23. Angustiatus & cruciatus - - 170. Plagæ ad columnam 6666. Lapsus in terram ab horto usque ad domum Annæ - 7. Lapsus in plateis cùm tenderet ad montem Calvariæ - 5. Alapæ
» in faciem 102. Guttæ sanguinis effusæ 118225. Pugni in faciem 20. Verbera super crura - 32. Verbera lethifera - 19.
» Verbera pectori atque capiti inflicta - 21. Verbera cæteris majora

majora - 72. Punctura ex frequentata Coronæ impositione & detractione - 1000. Pedum pulsationes - 140. Suspiria è pectore emissa 109. Lethalis ad columnam allisio - 1. Lethiferæ allisiones - 3. Sputorum conspurcationes, cùm humi jaceret super crucem extensus - 73. Milites in Christum armati - 118. Horum è plebe assectæ - 230. Vulnera livida - 1199. A quibus est ductus & ligatus - 3. Per barbam tractus & laceratus - 78.

Aliæ revelationes, de eadem Sanctissima Passione, factæ ab eodem IESV, alteri devotæ personæ.

Vulnera in Capite - 3. Pugni in oculos - 3. Pugni in genas atque os, per quos effluebat sanguis ex ore & naribus, quo ictu duo sunt excussi dentes - 5. Percussa corona arundinibus & baculis, vi quàm maximâ - 40. Lapsa & deposita corona est - 8. Spinæ, quæ perterebrarunt cranium, & ad cerebrum usque infixæ sunt - 5. Spinæ fractæ, quæ in ipsa morte cerebro infixæ remanserunt - 3. Guttæ sanguinis ex spinarum puncturis rorarunt - 3000. Exsputationes in faciem - 100. Vellicationes narium - 20. Vellicationes auricularum - 30. Verbera in cervices 25.

Hactenus Saluthius in Convivio spirituali Amatoris IESV post Præfationem.

A Landspergio verò hæc ita referuntur.

[Legitur revelatum, Christum Dominum percussum in facie alapis - 102. Pugillis - 120. In ore præcipuè - 30. Calceis - 140 vicibus, percussionibus in brachiis - 62. In pectore - 28. In cruribus - 32. In humeris, & dorso - 80. Consputum in facie - 63. Per terram tractum capillis - 27. In Capite transpunctum punctionibus 1000. Flagellorum ictibus percussum 6666. Denique in toto corpore affectum vulneribus - 5475.]

Hæc Landspergius, Sermone de præcipuis effectibus, & virtutibus, in Passione Christi nobis exhibitis, & apud Iosephum Speransa Puncto 154. Script. Select.

MODVS XIII.

DEcimus tertius modus Passionem Domini meditandi est, assumere varios Christi Domini in Passione sua situs, & considerare quid unoquoque egerit, actumve cum illo fuerit, & passus sit. Consideretur. v. g. IESVS procumbens in genua, & prostratus in faciem suam inter orandum in Horto. Consideretur obviam Iudæ, hostibusque prodiens, ad osculum admittens, hostes verbo prosternens. Consideretur IESVS captus, ligatus, ad Vrbem & Annam tractus. Consideretur stans coram Anna, coram Caipha, coram Concilio, inter satellites, inter custodes, totâ nocte vinctus, abjectusque jacens, aut semipendens catenatus, compeditus. Consideretur stans rursum manè coram Concilio, coram Pilato, Herode, rursumque Pilato. Consideretur in viis istis vadens, rediens, à Caipha ad Pilatum, ab hoc ad Herodem. Consideretur ad columnam nudatus, ligatus, verecundus, tremens, cinctus carnificibus, ludibrium spectatorum, flagellis concisus. Consideretur religatus à columna, vestes suas hinc inde sparsas, colligens, sanguineis glomis vestigia signans, vestes induens. Consideretur à militibus rursum raptus, exutus vestibus, sedere in frusto saxi aut trunci jussus, chlamyde intectus, spineo serto redimitus, arundinem manu gestans, adoratus, consputus, colaphisatus, aue Rex salutatus. Consideretur ultimùm Barabbæ collatus, & postpositus, ultimâ sententiâ capitis damnatus, cruce onustus ex urbe pergens, montem ascendens.

Consideretur in monte jam stans, exutus vestibus, in crucem abjectus, in ea expansus, affixus, consputatus, eleuatus, constitutus.

Consideretur in Cruce pendens, à Civitate aversus, omnia elementa commovens, ab universitate rerum planctus. Cum lachrymis & clamore valido orans etiam pro inimicis, extremè siti laborans, aceto tractatus, serpentinis linguis undiq; laceratus. Latroni Paradisum donans. Matris curam gerens. Patri animam in manus tradens, capite ad reverentiam inclinato. Consideretur lanceâ in latere post mortem saucius, sangvinem & aqvam effundens. Consideretur datâ licentiâ

centiâ á Præside, de Cruce alienis manibus depositus, unguentis unctus, linteo mundo involutus, sepulchro conditus, & advoluto lapide clausus. Omnia ista immensitatem materiæ meditanti suggerunt, affectuum, doctrinarum.

MODVS XIV.

DEcimus-quartus modus meditandi Passionem Domini est. Assumere dolores Christi injuriasque omnes, primùm, quas perpessus est totâ nocte ab horto usque ad Caiphanum carcerem: ubi Christus inter improbissima mancipia miserabilem noctem transegit, usque ad lucem: postmodum, quas perpessus est, à prima luce, primoque matutino concilio, à quo iterum damnatus, vinctusque ad Pilatum ductus, demum sinè ulla quiete, perpetuò cum doloribus, contumeliis, atque improbitate hostili conflictatus est, donec horâ nonâ Spiritum Patri Æterno tradidit, tandemque de Cruce depositus ac sepultus est. Potest adhunc meditandi modũ servire illa Pauli de se assertio. *Nocte & die, in profundo maris fui.* Revera enim Christus in profundo mari Passionis suæ agitatus, ac demum naufragium passus, à ceto mortis, tanquàm Ionas, absorptus fuit: ut verè per Prophetam prædixerit. *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Et. *Circumdederunt me aquæ usque ad animam: abyssus vallavit me*, &c.

2. Cor. 11. 25. Ionæ 2. 1. Psal. 68 3. Ionæ 2. 6.

MODVS XV.

DEcimus-quintus Passionem Domini meditandi modus, proximo vicinus est, Assumere omnes horas Passionis Christi, & expendere quid in singulis Passus sit. Numerantur universim horæ octodecim, quibus Passio Dominica duravit. Verùm ne minuta sit distributio, commodè sic fieri poterit.

1. Circa mediam noctem Hortum ingressus oravit, sudavit, quievit. 2. Post medium noctis, osculo traditus, captus, ad Annam, Caiphamque deductus; reliquum noctis inter injurias spurcissimorum scurrarũ insomnis transegit. 3. Manè Caiphæ, Concilioque ejus denuo præsentatus, damnatus, ligatusque est. 4. Horâ primâ stetit coram Pilato, examen

subiit

ſubiit & accuſationes, Herodi miſſus, ab eodem illuſus, Pilato remiſſus eſt. 5. Horâ tertiâ flagellis cæſus, ſpinis coronatus, ad mortem damnatus eſt. 6. Horâ ſextâ ſeu meridianâ in crucem actus eſt. 7. Horâ nonâ, poſtquam tribus horis in cruce vivus, & orans, & lacrymans, à totoque viciſſim univerſo planctus eſſet, inclinato capite tradidit ſpiritum, 8. Circa veſpertinam horam, de cruce ſuorum manibus ſublatus, conditus aromatibus, ſepultus eſt. Iſtas Paſſionis Chriſti horas, quotidie in ſuis canonicis horis Eccleſia Catholica ferè ad amuſſim ſervat, recolitque tam in majore officio, quàm in minoribus, proinde commodiſſimè etiam meditationi deſervire hæc ipſa horarum diſtinctio poterit.

to. 3 ſer. 56. ar. 4 3tiæpar. Dom. Paſ: 1. 4. Reg. 20. 10.

Sanctus Bernardinus Senenſis decem horas Paſſioni Dominicæ aſſignat, cujus verba proderit hoc loco apponere, datura lucem ſupra dictis. Sic igitur ait. [Præterea dicere poſſumus Chriſtum Paſſum & Crucifixum, eſſe Horologium cordium religioſorum, diſtinguens horas diei & noctis: quod quidem in Horologio Achas myſticè deſignatur: in quo ſol deſcendit decem lineis, quia per decem horas humiliatus eſt Chriſtus pro nobis in ſua Sanctiſſima Paſsione. In cujus honorem decem dicuntur horæ. *Primò* Completorium in honorem venditionis. *Secundò* dicuntur matutinæ, quæ diſtinguuntur in tres nocturnos: in rememorationem illius injuriæ, quæ facta eſt ei tribus locis in illa nocte, Scilicet in Horto, in domo Annæ, & in domo Caiphæ, conſpuendo, deludendo, atque percutiendo. *Quintò* Laudes in memoriam Criminis impoſiti in fine noctis. *Sextò* Primam. In memoriam accuſationis coram Pilato. *Septimò.* Tertiam. In memoriam flagellationis in domo Pilati. *Octavò* Sextam. In memoriam bajulationis Crucis & Crucifixionis cum ferreis clavis. *Nono.* Nonam. In memoriam mortis & apertionis lateris. *Decimò.* Veſperas. In memoriam ſepulturæ, ut in qualibet prædictarum horarum mens devota ſentire poſsit dulcedinem Dominicæ Paſsionis.]

MODVS

MODVS XVI.

DEcimus sextus meditandi Passionem Dominicam, modus est: Expendere quadruplicem dimensionem Passionis ipsius, Longitudinem scilicet, Latitudinem, Altitudinem & Profunditatem.

Longitudo Passionis Christi, spectari potest in tempore, quo duravit. Duravit autem primùm toto vitæ ejus tempore, ab instanti conceptionis: Quia enim ab illo puncto, perfectissimè cognovit omnia, quæ passurus erat, eaque semper præsentia ob oculos mentis habuit, idcirco omnibus & singulis vitæ momentis cruciatus est acerbissimè: adeò, ut non nisi per miraculosam potentiam impediretur in eo effectus hujus cruciatûs interioris, qui connaturaliter talis esse totâ vitâ ejus debuit, qualis fuit semel in horto, quando tristis fuit ejus anima usque ad mortem, & quando factus in agonia sudavit sanguine, id ipse Dominus expressit aliquando, cùm dixit, *Baptismo habeo baptisari, & quomodo coarctor usque dum perficiatur?* Item. *Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur.* Deinde actualis Passio Domini duravit per horas octodecim continuas, in quibus Dominus nullam requiem habuit, nullam dolorum mitigationem, sed potiùs perpetuum incrementum, prioribus durantibus, novis autem accedentibus; una, & sola tam diuturna, perpetuaque statio, & fatigatio ex perpetua agitatione, raptationeque Domini, à loco ad locum, à Iudice ad Iudicem, à supplicio ad supplicium, sufficiebat exhaurire omnes Domini vires, & ad extrema adducere vitam ejus. Tum verò sanguinis effusio tam larga, vulnerum multitudo tanta, pœnarum simul afflictantium concursus, confusio, varietasque studiorum, & affectuum, persecutorum furentium; Sitis etiam, & ariditas viscerum, ex pœnis, ex fatigatione, ex doloribus, ex vulnerum strictura nascens, urens, duransque tanto tempore, quas non exhausisset vires, quos non cruciatus cumulavit?

Vide Bellar. de gemitu columbæ lib. 2. c. 3.

Lucæ 12. 50.

Lucæ 18 31.

Latitudo Passionis Christi, spectari potest, penes multitudinem varietatemque cruciatuum, dolorum, injuriarumque illius. Nam si attendas corpus Christi, diffusa erat Passio per omnia ejus membra, à planta ad verticem; cumulatum insu-

per etiam vulnus ſuper vulnus, immo & dolor dolori; tormentumque tormento ſuperadditum; itaque nullum membrum Chriſti fuit ſinè cruciatu, corpus totum multis millibus verberum, vulnerumque diſciſſum fuit, ad ipſum etiam cerebrum, ſacri capitis, penetravit crudelitas, lingua, dentes, oculi, fauces, viſcera, nervi, venæ, muſculi, quantumvis latentes habuêre ſuos cruciatus. Si attendas Animam Chriſti, omnes Animæ potentiæ, omnia bona & dotes animæ, habuêre tantò majus tormentum ſuum, quantò Anima nobilius & purius eſt Principium dolendi, ſentiendique mala; hinc triſtitia, tœdium, pavor, mœror Chriſti, fuit uſque ad mortem, ſcilicet par morti, ſufficientique ad cauſandam mortem. Si attendas externa & fortunæ bona: omnibus exutus eſt: & extrema in nuditate rerum omnium mortuus eſt, adeòque ipſo etiam aëre, quem ſpiraret, privatus: ſepulchro alieno conditus eſt. Si attendas virtutes morales, in omnibus quoque paſſus eſt Chriſtus, non eas amittendo; ſic enim eas potiùs in perfectiſſimo gradu exercuit, ſed quia illis caruiſſe creditus, & traductus eſt. Vnde conſequenter, ſi attendas honorem, & famam, nomenque bonum, omni illo radicitus exutus eſt, & cum iniquis reputatus, & antonomaſticè ſeductor, impoſtorque vocatus, ſeditioſus, ambitioſus, perduellis, & his omnibus major blaſphemus, pſeudopropheta. Si attendas inſtrumenta, quibus cruciatus eſt, ea tam multa, quàm dira fuere, vincula, catenæ, palmæ, pugni, calces, flagra, virgæ, ſpinæ, clavi. Denique ſi attendas ipſa pœnarum genera, in numerum non venient. Si à quibus Paſſus? omnes omnino res in Chriſti necem conſpirârant, ipſe etiam Pater Æternus, immo ipſe Chriſtus, & pæne dicam hic ipſe ſolus maximus ſui fuit cruciator, cruciatuumq;, non ſolùm author, ſed etiam adauctor, & irritator: licèt enim in poteſtate habuit non mori, voluit tamen mori, & licèt in poteſtate habuit impedire pœnas, aut ſenſum earum, tollendo, vel minuendo, nihil horum fecit, ſed potiùs & viribus pœnas, & pœnis vires ſuas ſervavit æquavitque, inſuperque ampliores, novas, longiores ſitivit. Acceſſêre authores alii pœnarum, dæmones ſcilicet, Iudæi, Gentiles, &c.

Altitudo Paſſionis Chriſti, ſpectari poteſt penes gravitatem acri-

tem acrimoniamque cruciatuum, enascentem, tum ex pœnarum ipsarum immanitate; tum ex carnis, & Animæ Christi perfectione, ac subtilitate, complexionisque teneritudine, atque ad sentiendum quidlibet molestum, capacitate & vivacitate; tum ex amotione omnis solatii, tum interni, tum externi, quo se Christus absolutè privaverat atque exuerat; in nullo sibi auxilium ferens, præterquam in sui, viriumque conservatione, ad hoc unum, ut durare sentireque posset pœnas usque ad finem, non permittendo in se obtundi sensus mole dolorum & acerbitate, sed eandem sensibus tribuendo vivacitatem in omni pœna pœnæque duratione: tum ex Dignitate, Sanctitate, Innocentia, Beneficentia, meritisque subjecti Patientis & Personæ: tum ex summa implacabili, insatiabilique rabie hostium, rapientium atque trahentium, sanguinem, & dolorem, & contemptum & mortem suam, tam sitientum, quàm inferentium, donec satiarentur pœnis ejus: tum denique ex indignitate extrema eorum, à quibus, & pro quibus etiam patiebatur. Ex his capitibus atque fontibus, Passio Christi plenissima fuit, incogitabilibus doloribus, adeò, ut attestantibus Sanctis Patribus, Theologisque, Passio Christi excesserit omnia tormenta Martyrum, immo omnes dolores hujus vitæ.

Profunditas Passionis Christi, spectari potest penes Puritatem sinceritatemque dolorum Christi. Fuit enim Passio purè, & pura Passio, purus dolor, purus cruciatus, sinè admistione solatii, refrigerii, cessationis, immo cum incremento ab initio ad finem, non cessantibus prioribus, supervenientibus recentibus, quasi si fluctus fluctum truderet. Hanc Profunditatem seu Puritatem dolorum suorum, expressit Christus apud Prophetam dicens. a *Torcular calcavi solus, & de gentibus, non erat vir mecum.* b *Consolantem me quæsivi, & non inveni.* c *Considerabam ad dextram, & ad sinistram, & non erat qui adjuvaret.* d *Amici quoque & noti mei, recesserunt à me.* e *Adversum me jurabant.* Quod si adfuêre aliqui, ad cumulum cruciatuum adfuêre. Ergo ex vehementia hujus puritatis dolorum suorum exclamavit Dominus Iesvs in Cruce. *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me?* scilicet in doloribus istis, absque ulla consolatione.

a *Isa.* 63.
b *Psal.* 68. 21.
c *Psal.* 141. 5.
d *Psal.* 37. 12.
e *Psal.* 101. 9. *Matth.* 27. 46.

Etsi enim diligebatur á Patre, tanquam filius: etsi præsentem habebat, tanquam consubstantialem: non habebat eum tamen, tanquam consolatorem in malis: sed perinde ac si nihil pertineret ad eum de Christo, ac si Filius ejus non esset, ita permissus est demergi in cruciatibus, & demum etiam absorberi morte. Hæc omnia immensam exhibent meditanti materiam, condignorum affectuum, admirationis & stuporis, compassionis & commiserationis, doloris & planctûs pro se, & pro toto mundo. Erubescentiæ item ac pudoris de indignitate, de ingratitudine, de abusu tanti pretii, tantorumq; laborum Christi pro nobis. de nullitate vilitateque nostrorum pro Christo; Amoris & Æstimationis, Gratiarum actionis, Deprecationis, &c.

Serm. qui incipit Iesum Nazarænũ. Sanctus Bernardus, sive Anselmus, sermone de Passione Domini hanc quadruplicem dimensionem Passionis Christi & Crucis: sic explicat, & simul applicat per modum orationis ad Christum. [Illam divinissimam crucem tuam humeris meis impone: cujus Latitudo, est charitas, cujus Longitudo, est æternitas, cujus sublimitas, est omnipotentia, cujus Profundum, est inscrutabilis Sapientia. Confige illi manus meas, & pedes meos, & totum Passioni tuæ conforma servum tuum Domine. Da obsecro mihi continere ab operibus carnis, quæ odisti, & facere justitiam, quam dilexisti, & in utroque tuam quærere gloriam, & sinistram quidem meã clavo temperantiæ, dextram verò justitiæ, in illa sublimi trabe Crucis fixas arbitror. Da menti meæ jugiter meditari in lege tua, & omnem cogitatum meum jactare in te, & dextrum pedem meum, eidem ligno vitæ clavo Prudentiæ affige. Da ut sinistram spiritûs mei sensualitatem, non enervet labentis vitæ infelix felicitas, non conturbet præsentis vitæ infelicitas felix, & sinister quoque pes meus, fortitudinis clavo in Cruce tenebitur.] Vide quæ sequuntur.

Serm. 1. in Paschа Idem Sanctus Bernardus alio loco, eandem Crucis, Passionisque Christi dimensionem, sic tractat. Aliud tempus elegit (Christus) confortandis discipulis, & aliud adversariis confutandis. Interim Patientiam magis exhibet, Humilitatem commendat, Obedientiam implet, perficit Charitatem. His namque virtutum gemmis, quatuor cornua Crucis ornan-

cis ornantur: & est supereminentior Charitas, à dextris Obe- ,,
dientia, Patientia à sinistris, radix virtutum Humilitas in ,,
profundo. His ditavit trophæum Crucis, consummatio ,,
Passionis, cùm ad Iudæorum blasphemias Humilis, ad vul- ,,
nera Patiens, intus linguis, foris clavis pungeretur: nam & ,,
Charitas in eo perfecta est, quòd pro amicis animam posuit, ,,
& Obedientia consummata, cùm inclinato capite tradidit ,,
Spiritum, factus obediens usque ad mortem.] ,,

MODVS XVII.

DEcimus septimus Passionem Dominicam meditandi modus est: Considerare illam ut est Causa maximorum bonorum. Quia enim Passione Christi Domini redempti sumus ac salvati, ideo quidquid boni in salute redemptioneque nostra est, eique conjunctum noscitur, vel ad eam requisitum, totum hoc à Domini Passione causatum est.

Primò, Igitur consideranda est Passio Christi, tanquam Reconciliatio Patris Æterni, & satisfactio Iustitiæ ipsius, abolitio quoque injuriæ eidem à vilissima creatura illatæ, & ea quidem adæquata, rigorosa, condigna, copiosa, superabundans.

Secundò, Consideranda est Passio Christi tanquam Manifestatio, exhibitio, prædicatio, expressio, & (typographiæ instar) impressio evulgatioque immensæ charitatis, misericordiæ liberalitatisque tam Dei Patris, quàm Christi ipsius. Dei quidem in nos, quos sic dilexit, ut Filium suum unigenitum daret pro nostra salute. Christi autem, tum in Patrem, tum propter Patrem in nos: quos illè dilexit, quia in tantum diligi à Patre vidit, & sua vitâ, morte, sanguine, redimi velle, statutumque scivit. Amore igitur & reverentiâ in Patrem, commiseratione & clementiâ, in nos ductus, obtulit sese, ad nos, tanta licèt per sua dispendia, redimendos, Patrique reddendos.

Tertiò, Consideranda est Passio Christi, tanquam ipsamet Redemptio, pretiumque omnium nostrùm pro nobis, à non insipiente, nec parco mercatore persolutum. Item tanquam abolitio & ablutio, & in mari rubro sanguinis Christi demersio peccatorum nostrorum. *Item tanquam clavis* Paradisi

radisi cœlestis. *Item tanquam debellatio* trophæumque debellati inferorum tyranni, mortis quoque, & inferni & peccati.

Quartò, Considerandа est Passio Christi tanquam meritum ejusdem, quo meruit nobis quidem veniam & condonationem peccatorum, tam quoad reatum culpæ, quàm etiam pœnæ, deinde meruit nobis quoque gratiam & justitiam sanctificantem, nec non cætera salutis bona : præterea, meruit nobis jus ad gloriam, seu ipsam gloriam æternam, valoremque bonis nostris operibus, ut possint esse digna merendæ gratiæ, gloriæque æternæ, nec non aliis donis ad salutem sanctitatemque opportunis.

Quintò, Considerandа est Passio Christi, tanquam dos, & thesaurus indeficiens, infinituſque Ecclesiæ, in Sanctificationem animarum, in ablutionem peccatorum, in expiationem pœnarum, in operationem virtutum, in acquisitionem auxiliorum ad salutem necessariorum, atque efficacium.

Sextò. Considerandа est Passio Christi tanquam exaltatio, seu potiùs meritum exaltationis Christi. Meruit enim Passione suâ Dominus IESVS sibi gloriam corporis sui, exaltationem nominis IESV, ut in eo omne genu flectatur. Potestatem quoque Iudicis, & alia similia, quæ etsi naturaliter ex unionis gratia habuerat: habuit tamen & acquisivit eadem insuper ex merito Passionis, juxta illas scripturas.

Lucæ 24. 26. *Oportuit hæc pati Christum, & sic intrare in gloriam suam.* Et.
Iob. 36. 17. *Causa tua velut impii judicata est, judicium & justitiam accipies.* Et. *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem,*
Ap. 5. 12. *& Divinitatem, & Sapientiam, & fortitudinem, & honorem,*
Isaiæ 53. 10. *& gloriam.* Et. *Si tradiderit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.*

Septimò, Considerandа est Passio Christi, tanquam juge Sacrificium in Ecclesia, quod usque ad finem sæculi peragitur, & realiter repræsentatur in Sacrificio Missæ, omnibus diebus, incruentè, in cultum & honorem Dei, ingratiarum actionem pro beneficiis, in impetrationem donorum tam Spiritualium, quàm temporalium, nobis ac aliis, in satisfactionem pro peccatis vivorum & mortuorum fidelium, in commemorationem ejus ipsius cruentæ Passionis atque

mortis

mortis Christi, semel à Christo peractæ seu susceptæ.

Horum similiumque bonorum causa est, eritque Christi Passio, usque ad consummationem sæculi, ex quorum consideratione hauriendæ est æstimatio cordialis tum Passionis, tum Passi Christi; hauriendum studium imitationis, & usus ejus; studium participationis, & adimpletionis ejus ex parte in corpore nostro, hauriendus pudor de vili æstimatione, de ingratitudine, tanti boni, apud tam multos residentis otiosè, steriliter, indignè; haurienda admiratio tantæ liberalitatis Christi, haurienda gratitudo, atque gratiarum actio, hauriendus zelus derivandi tantam efficaciam Passionis Christi in propriam, & in aliorum salutem.

MODVS XVIII.

DEcimus-octavus Passionem Dominicam meditandi modus. Considerare illam, tanquam effectū & fructum. Primò quidem peccatorum totius mundi. Non quòd nostra peccata mori Christum fecerint, coëgerintque quasi nolentem; sic enim nemo potestatem in Christum habuit, ac multò minùs peccata. Sed quòd peccata Majestatem Dei læserint, & contempserint, voluntatem ejus violaverint, iram Dei provocaverint, & justitiam concitaverint, hostemque hominibus Deum fecerint, qui placari non potuerit, nec voluerit, nisi per reparationem læsæ violatæque Dignitatis, Voluntatis, Iustitiæ suæ, & quidem adæquatè, condignè, ad rigorem; id verò fieri nullis puræ creaturæ viribus, ac meritis, non tantùm unius alicujus, sed neque omnium simul potuerit, sed necesse fuerit parem Deo in dignitate personam reconciliatricem, satisfactricemque ad id intervenire, quæ nusquam exstabat, nisi apud solum offensum læsumq; Deū: hoc satis sciens Pater cœlestis, misericordiâ purâ ex sese motus, super homines pereuntes, perditosque æternaliter, dedit Filium suum unigenitum, coæqualem, coæternum, consubstantialem sibi, dedit, inquam, in redemptionem, & salutem mundi, fecit illum incarnari, similem hominum per omnia absque peccato fieri, eique imposuit peccata totius mundi, præterita, præsentia, futura: dedit etiam illi præceptum moriendi pro nobis, peccataque nostra expiandi, Majestatem

suam

suam læsam, iramque & justitiam reparandi, ac placandi, nosque cum Patre in gratiam revocandi, ac de diaboli servitute eruendi, decretumque ac chirographum mortis rescindendi. Cui Patris mandato usque adeò Filius non contradixit, ut etiam ultro ac sponte, propter amorem reverentiamq; Patris, propter miserationem & liberalitatem erga nos, mortem acceptaverit, subierit, omnemque salutem nostram operatus sit, atque consummaverit. Sic ergo peccata nostra radicaliter & occasionaliter occiderunt Christum, sic sumus omnes Christicidæ, & rei sanguinis ac mortis ejus, quia aliter aboleri peccata nostra non poterant, nisi sanguine & morte ejus. Atque ita Passio Christi, est effectus peccatorum nostrorum omnium.

2. Est verò præterea Passio Christi, effectus charitatis & miserationis Paternæ super nos.

3. Est quoque effectus Voluntatis ejusdem Æterni Patris, quâ imperavit Christo mortem pro nobis.

4. Est adhuc Passio Christi effectus bonitatis, charitatis, miserationis, liberalitatis ipsius Christi erga nos.

5. Obedientiæ autem & reverentiæ, & charitatis erga Patrem.

6. Est quoque effectus malitiæ & invidiæ dæmonum, ac Iudæorum: quorum manus, dum suo incumbebant sceleri, famulatæ sunt Salvatori.

7. Super omnia porrò considerandæ est Passio Christi, secundùm quod est effectus peccatorum meorum propriorum, etiam horum, quibus Christum offendo: ac per hoc nihil aliud ago, quàm quòd non satis mihi sit fuisse olim reum mortis Christi, nisi etiam hodie, & quotidie idem facinus repetam, iterumque & iterum Christum crucifigam. Ob quod, quantos exitus aquarum deducere debent oculi mei? Quis dabit capiti meo aquam, quæ flumina, fontes, aut maria satis erunt ad expiandam malitiam meam, peccatorumq; meorum, nec dum cessantem à Deicidio? & cùm jam Christus, per gloriæ statum mori non possit, adhuc tamen, quantùm ex mea recenti præsentique malitia, peccatis meis quotidie & assiduè crucifigitur, & omnes Passionis suæ calamitates per me repetitas sustinet. Pro! quando tandem erit si-

erit finis iniquitatis meæ? quamdiu cras, cras, quare non modò, quare non statim etiam finis turpitudinis meæ, finis malitiæ meæ, finis ingratitudinis meæ?

MODVS XIX.

DEcimus nonus modus Passionem Christi meditandi est; Recogitare comites Passionis Christi, seu potiùs comites Patientis Christi, quos ille in omni quidem vita sua habuit, at potissimùm in Passione sua individuè sibi conjunctos adhærentesque retinuit, idque non absque maxima exaggeratione dolorum suorum, alioqui summè arduorum. Fuêre autem ejusmodi comites minimùm septem, quos operæ pretium est, meditando cognoscere, atque propter exemplum & amorem Christi Domini, sibi quoque adjungere, neque unquam sinè illis esse, in tota hac vita. Si enim Christus, absq; illis nec ad momentum esse voluit in hac vita: profectò & nobis valde expediet, esse comitatos illis, valde autem non expediet, esse desertos ab illis. *Nostra enim, nostra & omnibus profutura nobis, semper loquitur Christus, & ob corrigendos nos, mystica frequentat exempla Dominus.* Neque potest nobis non prodesse, quod ad institutionem nostram, & verbo, & magis etiam exemplo suo, præcipere nobis dignatus est Magister noster IESVS. *Chrysol. Ser. 2.*

Primus Comes Christi fuit Paupertas, ea quidem tanta, ut tam nascens, quàm vitam agens, quàm denique moriens, verè dicere potuerit Christus. *Vulpes foveas habent, volucres cœli nidos, Filius autem hominis, non habet ubi caput reclinet suum.* In Cruce siquidem moriens, pendulo capite, nudoq; toto corpore mortuus, demum & alieno in sepulchro conditus est. Fuit verò Christus pauper, sinè dubio quidem voluntate, attamen voluit videri omnino pauper necessitate, etiam pauperculorum Parentum Filius, à quibus sola ad eum Paupertatis hæreditas perveniret. *Matth. 8. 20.*

Secundus Comes Christi, fuit Contemptus, ignominiæ, probra; quem Comitem sicut secum etiam ex materno viscere extulit; ita per totam vitam reliquam, at maximè in Passione, & morte, usque ad sepulchrum secum circumduxit. Voluit Dominus IESVS esse contemptissimus, ut fuit: fuit

autem ita, ut nihil non ceciderit in eum contemptionis, nihil
Isaiæ 53. 2. 3. infamiæ, dedecoris nihil: in ipso contemptu contemptibilis
fuit, omnesque eum merito despici crediderunt. *Vidimus*
Psal. 21. 7. *eum despectum & novissimum virorum* (ajunt apud Prophe-
tam) *& nec reputavimus eum*: & quis reputasset eum, qui
Abd. v. 2. fuit *vermis & non homo, opprobrium hominum: & abjectio*
plebis, parvulus in gentibus, & contemptibilis valde. Quid con-
temptibilius eo, qui reputatus est insanus, furiosus, dæmoniacus, stultus, impostor, pseudopropheta, seductor, mendax, scurra, seditiosus, blasphemus, pejor latronibus, furcifer, archipatibularius, ortu denique opificio, vitæ genere, morte, sordidissimus, abjectissimus.

Tertius Comes Christi, fuit Dolor. Certè Dominus Iesvs
Isaiæ 53. 3. & fuit, & agnitus est *vir dolorum, ac sciens infirmitatem.*
Pilati quoque judicio dictus est. *Ecce Homo*, quasi dolorosissimus, neque mirum, quando Deus in eo posuit infirmitates omnium nostrûm, an verò paucæ sint totius mundi infirmitates, quisque judicet. Fuit ergo vir dolorum, bajulus dolorum, centrum & locus, & sedes dolorum. Dolores enim omnes omnium nostrûm pertulit in corpore suo, & in Anima sua. Idque potissimum in Passione & morte sua, quæ non
Thren. 1. 14 tam dolorosa, quàm dolor ipse excessusque doloris fuit. Unde clamavit. *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus.*

Quartus Comes Christi, fuit Labor. Testatur ipse, vitam suam fuisse *in laboribus à juventute sua*: ac tota quidem Christi vita laboriosa fuit, sed maximè Passionis tempus, in quo Gigas ille omnes vires suas exhausit, & attrivit, portando peccata mundi, & laborando in peccatis nostris, magis etiam in peccatorum nostrorum pœnis exhauriendis. Ostendit hoc sudor sanguineus, & aliâs sæpiùs effusus cruor violentissimâ sanè ratione, flagris, spinis, clavis, tunsionibus, fossionibus, quem certè non expressêre deliciæ, sed labor plusquam
Ezech. 24. 12. giganteus. *Multo scilicet labore sudatum est à Christo, ut exiret ab uno quoque nostrûm, nimia rubigo ejus*: & heu! nec-
Gen. 3. 19. dum egressa est hactenus. Adam *in sudore vultûs, pane vesci jussus est*; at Christus, nec in sudore sanguineo satis potest.

Quintus Comes Christi fuit, Sterilitas atque Inutilitas.

Ete-

Etenim tam immanibus Passionis suæ sumptibus, quibus millia mundorum emere potuit, paucos solummodo electos, efficaciter emit. Moriens, vix unum fidelium habuit in mundo, ascendens in cœlum 500. reliquit. Tantæ sementis, tantilla messis. Nec uberiorem hodieque messem habet Christus Passionis suæ; & non dico id de hominibus paucis, qui verè in eum credunt, sed dico etiam de credentibus ipsis, & credentibus quidem, ut videtur verè: qui tamen pauciſſimos atque steriliſſimos ei fructus virtutum, perfectionis, amoriſque repræsentant. De mille electis, vix una columba, vix una speciosa, vix una perfecta anima. Neque habuit in Passione sua Christus, ullum amariorem cruciatum, hac paucitate electorum, collatâ immensitati reproborum; & hac sterilitate ipsorum electorum, comparatione perfectorum. Propter quod optabat & sitiebat alios novos cruciatus, ut augerentur electi, ut augerentur saltem perfecti. O Anima, quæcunque sortita es electionem! adde etiam perfectionem, & consummatam sanctitatem.

Sextus Comes Christi, fuit Ingratitudo. Quid enim fuit aliud Passio Christi, nisi ingratitudinis effectus? aut quam myrrham primam messuit IESVS in horto suo, sanguine, pœniſque rigato, & culto, nisi ingratitudinem? Omnium laborum, meritorum, benefactorum Christi, hic fuit fructus, hæc messis: ingratitudo. Neque id olim tantùm, etiam nunc, nihil aliud reportat IESVS fructûs ex nobis pro suis meritis, atque gratiis, nisi unam ingratitudinem. Colligis sanè Domine IESV à me, & ex me aliud nihil, quàm mala pro bonis, pessima pro optimis, ingratitudinem pro beneficiis, contemptum pro honore, odium pro amore, convitium pro laude.

Septimus Comes Christi fuit, Impedimentum seu Præpeditio. Parùm enim erat, quòd ipsi non reciperent Christum, etiam alios impediebant, ne reciperent; immo cogebant, ut abnegarent. Claudebant cœlum sibi & aliis, nec ipsi introierunt, & alios non permiserunt. Denique causam procuratæ necis Christo, audi. *Videtis* (ajunt) *quia nihil proficimus, ecce mundus totus post eum abiit.* Ne ergo abiret post eum mundus, statuerunt eum tollere de mundo. Et aliâs *Luc. 11. 52. Ioan. 12. 19.*

a *Lucæ 11. 52* quidem a *opprimebant os ejus*, aliâs repleti zelo, b *præcipitare* eum volebant, de montis supercilio, aliâs c *Lapidare* b *Luc. 4. 29.* tentaverunt, aliâs d *Civitate sua excluserunt*, aliâs decreverunt omnem *eum fieri* e *extra Synagogam*, *qui confiteretur* c *Ioan. 10. 31.* *eum esse Christum*: tandem, *negaverunt eum ante* f *faciem Pilati, petentes sibi virum homicidam dimitti, authorem autem vitæ interfici.* Et fecerunt demum in eo, *quæcunque vo-* d *Luc. 4. 29.* *luerunt*, id unum totis conatibus nequitiæ laborantes efficere, ut eraderetur nomen ejus de terra, & non memoraretur e *Ioan 9. 22.* nomen illius in æternum, sed sepeliretur inter mortuos f *Act. 3. 13.* sempiternos. Ita Christi & vita, & Passio, & mors, tota contradictio fuit, tota impeditio, tota laborum, doctrinæ, exemplorum, meritorum, sanguinis, dolorum, & mortis fuit evacuatio. Quæ utinam etiam nunc non sit illi similis. Sed & nunc non minùs, quàm olim Christo, ejusque legibus, & moribus, & morti contradicitur.

Hos comites etiam sibi assumere debent semper, & ubique, *Matth. 10. 24.* veri Christi discipuli, atque sectatores. *Non enim est discipulus supra magistrum, nec servus major Domino suo.* Hos comites habere coguntur vel nolentes omnes illi, qui piè vivere volunt in Christo, qui aliquid laborare pro gloria Christi, qui aliquatenus supra vulgum altiùs vitæ perfectionem sanctitatemque attollere volunt, qui alienæ salutis bonum aliquod vel exiguum procurare, promovereque cogitant, illico enim talis quilibet, seminiverbius, turbator fratrum, seductor, novorum dæmoniorum annuntiator, illusus, insanus, in furorem versus, supplicio & cruce dignus, audiet. Hos comites, qui habere abnuit apud se, is renuntiavit Christo, is non est dignus Christo, nunquam induet vel modicam similitudinem Christi, nunquam vel modicum aliquid faciet, dignum suâ, vel proximi salute, ac perfectione, gloriâque Christi, sed erit semper arundo vento agitata, lepusculus, plebs invalida, inimicus Crucis Christi, & prope-modum, immo revera, an- *Matth. 12. 30.* tichristus; dicente Domino ipso, de tali quolibet. *Qui non est mecum, contra me est.* Proinde hoc signum sit, omnibus meditatoribus Passionis Christi, omnibusque profitentibus amorem & imitationem Christi, eatenus se utiliter & genuinè meditari Passionem Christi, si hunc spiritum medullitus, reque

reque ipsâ, ex ejus consideratione hauserint, ut totum hunc Christi comitatum sibi faciant gratum, reddant familiarem, habeant perpetuum; *qui hunc spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* *Rom. 8. 9.*

MODVS XX.

VIgesimus Passionem Dominicam meditandi modus est; Expendere in ea 1. Opus. 2. Modum. 3. Causam. Expendit hoc suo more Bernardus, cujus verba proinde appono.

[In Domini igitur Passione Fratres, tria specialiter convenit intueri: Opus, Modum, & Causam Nam in opere quidem, Patientia; in Modo, Humilitas; in Causa, Charitas commendatur. *Patientia* autem singularis, quòd videlicet cùm supra dorsum ejus fabricarent peccatores, cùm sic extenderetur in ligno, ut dinumerarentur omnia ossa ejus, cùm fortissimum illud propugnaculum, quod custodit Israël, undique foraretur, cùm foderentur manus & pedes, sicut Agnus ad occisionem ductus sit, & tanquam ovis coram tondente non aperuit os suum: non adversùs Patrem murmurans, à quo missus fuerat: non adversùs humanum genus, pro quo, quæ non rapuit exsolvebat: non denique contra populum ipsum peculiarem sibi, á quo pro tantis beneficiis, tanta mala recipiebat. Plectuntur aliqui pro peccatis suis, & humiliter sustinent: hoc ipsum tamen eis ad Patientiam reputatur. Flagellantur alii non tam purgandi, quàm probandi, coronandique, & major in eis Patientia comprobatur, & commendatur. Quomodo non maxima censetur in Christo, qui in funiculo hæreditatis suæ, ab his quibus specialiter advenerat Salvator, crudelissimâ morte mulctabatur, sicut fur: nullum omnino peccatum, nec actu proprio, nec contractu, sed nec in quo crescere posset, habens: Ita ergo in opere habes Patientiam. *Fer. 4. Hebdomad. Pœnosæ. seu sanctæ, post initium.*

Nam *Modum* ipsum si diligenter attendas. Non modo mitem, sed & humilem corde cognoscis. Nempe in Humilitate, Iudicium ejus sublatum est, cùm nec ad tantas blasphemias, nec ad falsissima, quæ sibi objiciebantur crimina responderet. Vidimus (inquit) eum, & non erat ei aspectus.

„ Nec ſpecioſum formâ præ filiis hominum, ſed opprobrium
„ hominum, & tanquam leproſum, noviſſimum virorum, pla-
„ nè virum dolorum, à Deo percuſſum & humiliatum, ita, ut
„ nulla eſſet ei ſpecies, neque decor. O noviſſimum & Altiſſi-
„ mum! ô humilem & ſublimem! ô opprobrium hominum,
„ & gloriam Angelorum. Nemo illo ſublimior, nemo humi-
„ lior; denique ſputis illitus eſt, opprobriis ſaturatus eſt, morte
„ turpiſſimâ condemnatus eſt, cum ſceleratis reputatus eſt.
„ Nihilne merebitur vel iſta Humilitas, quæ hunc habet mo-
„ dum, immo quæ tam eſt ultra modum? Sicut eſt Patientia
„ ſingularis, ſic & Humilitas admirabilis, utraque ſinè exem-
„ plo.
„ Vtramque tamen, magnificè *Cauſa* ipſâ commendat.
„ Nimirum Charitas eſt. Propter nimiam ſiquidem charita-
„ tem ſuam, quâ dilexit nos Deus, ut ſervum redimeret, nec
„ Pater Filio, nec ſibi Filius ipſe pepercit. Verè nimiam, quia
„ & menſuram excedit, modum ſuperat, planè ſupereminens.
Ioan. 15. vniverſis. *Majorem* (inquit) *charitatem nemo habet, quàm*
Ad *ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Tu majorem ha-
Rom. 5. buiſti Domine, ponens eam etiam pro inimicis. *Cùm enim*
„ *adhuc inimici eſſemus*, per mortem tuam, Tibi reconciliati
„ ſumus & Patri. Quanam alia videbitur eſſe, vel fuiſſe, vel
„ fore huic ſimilis charitati? vix pro juſto quis moritur, tu
„ pro impiis Paſſus es, moriens propter delicta noſtra, qui
„ veniſti gratis juſtificare peccatores, ſervos faciens fratres, ca-
„ ptivos cohæredes, exules Reges. Nec ſanè aliud aliquid Pa-
„ tientiam hanc & Humilitatem æquè illuſtrat, quàm quòd
„ tradidit in mortem animam ſuam, & peccata multorum
„ tulit, etiam pro transgreſſoribus. rogans, ut non perirent.
lib. 2. Theol. myſt. Tr. de mortif. P. 2. c. 16. Hactenus Bernardus.

Hæc eadem tria Capita, aliter expendendâ proponit magnus Contemplator, Henricus Harphius; cujus verba ſunt, quæ ſequuntur. [Bernardus ponit tres gradus exercendi ſe circa Paſſionem Domini, qui ab eo vocantur Opus, Modus, Cauſa.

„ *Primus* gradus, *Opus* eſt. Vt recogitemus Opus Paſſio-
„ nis, ad habendam compaſſionem, utque participes efficia-
„ mur Paſſionis ejus, & gloriæ, iſtud ſpectat, ad homines acti-
„ vos & incipientes. *Secundus*

Secundus gradus, *Modus* est, recogitare Passionis suæ modum: scilicet quâ abyssali humilitate patientiâ, mansuetudine, & desiderio sit Passus, ita, ut in ejus Passione inveniamus perfectionem omnium virtutum, quas ad imitandum in ipsa considerare debemus, & istud respicit præcipuè proficientes.

Tertius gradus, *Causa* est, recogitare causam propter quam Christus Passus est, nempe immensam Charitatem, quam per hoc nobis voluit demonstrare. Et hanc meditari debemus, ut vicissim charitati charitate respondeamus, eâq; vehementer inflammemur. Et hoc præcipuè pertinet ad perfectos. Licèt hunc Amorem oporteat in omnibus, & his, & aliis quibusque exercitationibus exerceri, ab omnibus, qui in bona vita, & in via Dei proficere volunt.] Hucusque Harphius.

MODVS XXI.

VIgesimus Primus Passionem Dominicam meditandi Modus est: Colligere & conferre bona Christi, cum malis ejus: bona nimirum quæ fecit nobis, cum malis, quæ pro eis pertulit à nobis. Quem meditandi Passionem Christi modum, ab ipsomet Domino traditum discimus, quem apud Prophetam sic conquerentem scimus. *Retribuebant mihi* (inquit) *mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ.* Revocanda ergo sunt bona Christi, quæ ab eo accepimus, & vicissim mala nostra, quæ illi intulimus, & ex hac collatione, tum nostri servatoris Patientiam, Mansuetudinem, Bonitatemque, tum nostram in eum malitiam, ingratitudinem, injustitiamque agnoscamus, ac defleamus, mala pro bonis & ipsi referentes ab aliis, æquanimiter tolerare discamus. Exhibeo totum hunc meditandi modum verbis sancti Gregorii. [Admonendi sunt ægri, quatenus Patientiæ virtutem servent, ut incessanter quanta Redemptor noster ab his quos creaverat, pertulit mala, considerent, quòd objecta convitiorum probra sustinuit, quòd de manu antiqui hostis, captivorum animas quotidie rapiens, insultantium alapas suscepit; quòd aqvâ salutis nos abluens, à perfidorum sputis faciem non abscondit: quòd vocatione suâ nos ab æternis suppliciis liberans, tacitus

Ps. 34. 12.

Greg. 3. P. Past. cap. 13. in fine.

„ citus flagella toleravit; quòd inter Angelorum choros perennes nobis honores tribuens, colaphos pertulit; quòd à peccatorum nos punctionibus salvans, spinis caput supponere non recusavit: quòd æternâ nos dulcedine deebrians, in siti sua fellis amaritudinem accepit: quòd pro nobis Patrem (qvamvis Divinitate esset æqualis) adoravit, sub irrisione adoratus tacuit: quòd vitam mortuis præparans, ad mortem (ipse vita) pervenit. Cur itaque asperum creditur, ut à Deo homo flagella toleret pro malis, si tanta Deus ab hominibus pertulit mala pro bonis? Aut quis sanâ intelligentiâ de percussione suâ ingratus existet, si ipse hinc sinè flagello non exiit, qui hic sinè peccato vixit?] Hæc Gregorius, & bonis Christi in nos, mala nostra in Christum conferens, & simul quid ex hac collatione utilitatis decerpendum sit ostendens. Non est verò difficile, majorem bonorum meritorumque in nos Christi Domini catalogum contexere, iisque omnibus, mala in Christum nostra opposita, reperire. Quandoquidem & nos nihil boni, nisi à Christo, & ex Christo habemus impensum; & Christus nihil malum aut pœnosum, nisi ex nobis, & à nobis, persensit illatum.

MODVS XXII.

VIgesimus secundus Passionem Domini meditandi, modus est: Mala & peccata nostra in Deum commissa colligere, & quæ pro his Christus in suo corpore supplicia pertulit, devotè dolenterque considerando, deplorare. Dubitari enim non debet, quòd Christus scelera nostra, vita in suo corpore portavit, ut ea dolendo expiaret, & expiando tolleret: itaque debitores sumus Christo, & Passionis ejus, & expiationis nostræ, & quia ipse pro peccatis nostris, tam dira & tam indigna pertulit, & quia doloribus vulneribusque suis, nos à peccatis nostris abluit, abluendosque salvavit. Dupliciter autem potest consideratio ista fieri.

Primò quidem ita, ut is, qui meditatur, sua tantùm propria peccata contraponat Passionibus Christi, expendatque quibus suis peccatis, quas causaverit Christi Passiones; & contra, quibus suis Christus passionibus, quæ ipsius peccata expiaverit.

Secundò

Secundò autem ita, ut peccata in genere, ab hominibus quibuscunque commissa, Passioni Christi componat, &c. Vterque modus, est valde utilis; proinde utrumque exponere statui; hoc tamen loco tantùm priorem explicabo, sequenti modo, alterum reservans, tum propter longitudinem vitandam, tum propter aliquam, quæ inter hunc, & illum invenitur diversitatem. Porrò & ipse iste modus nunc tractandus, adhuc variè fieri potest. Potest enim quis aut tantùm simpliciter propria sua peccata considerare, iisque Passiones Christi, tanquam expiatrices, & sanatrices opponere, adjunctâ affectuum congruorum varietate, aut eadem proprias iniquitates, coram Christo confitendo, pro eis dolendo, earum remedia ex Christi doloribus meritisque, sigillatim poscere: aut etiam Christum ipsum has eadem iniquitates enumerantem objicentemque simul verò remedia, ex suis cruciatibus, iis assignantem, cum devotione, cum gemitu, cum gratiarum actione, cum emendationis proposito, audire: Exemplar ejus rei affero lectori ex revelationibus Piissimæ matronæ, Beatæ scilicet Angelæ de Fulgino, quæ in quodam loco sic refert.

Considerabat & intelligebat Anima mea, quòd medicina esset sanguis Christi Domini: qui quidem dat sinè pretio hanc medicinam: nec constat pluris peccatori infirmo, quàm quòd disponit se. Medicus autem Christus, dat illi salutem, & sanat infirmitatem. Animæ autem meæ ostendebantur omnia peccata, & videbat quòd omnia membra haberent infirmitatem spiritualem. Et ideo conabatur ostendere omnia peccata, quæ cum diversis membris corporis, cumque potentiis ac viribus suis fecerat, dicebatque. O Domine Magister, medice æterne salutis, Deus meus: quique solâ flebili ostensione infirmitatum mearum, ac morborum, me curare ac sanare disposuisti; Domine cùm sim infirmissima, nec est aliquid in me non corruptum, non infectum, ostendo Tibi (heu miseranda!) omnes infirmitates meas, omnia peccata mea, omnium membrorum meorum. Domine misericors, Medice, respice caput meum, quomodo illud signis superbiæ frequenter ornavi, capillos torquendo deformavi, & alia multa peccata feci. Respice Domine oculos miserabiles impudicitiis *In ejus vita cap. 35.*

„ pudicitiis plenos, invidiâ infectos, &c. Sic ſtudebam aſſigna-
„ re & oſtendere Chriſto omnia alia peccata mea, omnium
„ membrorum meorum.

„ Auditis his omnibus cum magna patientia Chriſtus, læ-
„ tanter & cum jucunditate reſpondebat & oſtendebat, quo-
„ modo per ordinem iſta omnia ſanabat, & multùm animæ
„ meæ compatiendo dicebat. Ne timeas, neque deſperes filia,
„ quoniam ſi mille morbis & mortibus infecta eſſes, ac mor-
„ tua, medicina, quam tibi miniſtrabo, ſanari poteris, ſi tamen
„ animæ tuæ & corpori ipſam applicare per devotionem vo-
„ lueris. Infirmitatibus enim Capitis quas dixiſti, & multipli-
„ citer oſtendiſti, propter quas Deo diſplices, atque doles in te,
„ quas incurriſti pectitando, lavando, ungendo, colorando, or-
„ nando, crines torquendo, te efferendo, ſuperbiendo, vanam
„ gloriam quærendo, propter quæ in profundiſſimum inferni
„ lacum dejci, ibique humiliari, & perpetuò tanquam viliſ-
„ ſima reputari debebas, ego ſatisfeci & pœnitentiam egi, atq;
„ graviſſimam pœnam toleravi. Caput enim meum fuit tra-
„ ctum, depilatum, ſpinis acutiſſimis punctum, arundine per-
„ cuſſum, totum ſanguine cruentatum, omni ludibrio & con-
„ temptui viliter ſubjectum, & vili coronâ coronatum. Infir-
„ mitatibus autem faciei, quas incurriſti, ſimiliter lavando,
„ ungendo, hominibus miſeris oſtendendo, eorum gratiâ quæ-
„ rendo; ego medicinam confeci, & ordinavi, hoc eſt, pro pec-
„ catis hujusmodi ſatisfeci. Nam ſputis ſordidiſſimis viliſſimo-
„ rum hominum, tota facies mea fuit inquinata, & deturpata,
„ alapis graviſſimis fuit funeſtata, panno viliſſimo ſordido fuit
„ velata. Pro oculis etiam tuis, quibus reſpexiſti vana, noci-
„ va, fuiſtique in ipſo aſpectu multipliciter delectata contra
„ Deum; Ego ſatisfeci. Oculis enim meis amariſſimas fudi
„ lachrymas, illos velatos habui, ſanguine denique à capite
„ manante balneatos. Pro auribus tuis, quibus Deum offen-
„ diſti, audiendo vana & nociva, fuiſtique in talibus delectata;
„ ego maximam pœnitentiam feci. nam auribus meis audivi
„ multa, quæ multam & maximam triſtitiam afferebant, ſcili-
„ cet falſas accuſationes, detractiones, inſultationes, maledi-
„ ctiones, deriſiones, ſubſannationes, blaſphemias, iniquam
„ contra me ſententiam, fletum Piiſſimæ Matris meæ, mihi

dolo-

dolorosissimè condolentis. Pro peccatis oris tui, & gulæ tuæ, quâ delectata es in comessatione, ebrietate, ciborum suavitate, ego habui os, fame, jejuniis, sitique tabefactum, aceto, myrrhâ, felle amaricatum. Pro peccatis linguæ tuæ, quam ad detractiones, calumnias, irrisiones, maledictiones, blasphemias, perjuria, mendacia, & alia peccata laxasti; ego habui os meum, & linguam coram Judicibus & falsis testibus clausum, nec habui in ore meo excusationem, sed pro malefactoribus meis Deum toto corde rogavi, & semper veritatem prædicavi. Pro peccatis Odoratûs tui, quo in floribus, & odoribus delectata es; ego fœtores abominabiles sputorum sensi, & super faciem, oculos, nareſque meas toleravi. Pro peccatis quæ feciſti cum collo tuo, illud irâ, superbiâ, & lasciviâ, agitando, & contra Deum extendendo; Ego habui collum meum, multiplicibus colaphis, & alapis verberatum. Pro peccatis scapularum & humerorum tuorum, quibus offendisti Deum, diversa contra Deum portando; Ego pœnitentiam feci. Crucem in qua suspensus fui, bajulando. Pro peccatis manuum tuarum, & brachiorum, quibus multos amplexus malos, & tactus, & mala opera feciſti. Ego habui manus, crassis clavis transfixas, & in ligno affixas, & pressas, totum meum corpus in patibulo sustinendo. Pro peccatis cordis tui, quo peccasti irâ, iracundiâ, invidiâ, tristitiâ, malo amore, malis concupiscentiis, & cupiditatibus; Ego habui cor & latus meum lanceâ acutâ transfixum, ex quo medicina validissima ad curandas omnes cordis passiones atque peccata sufficienter manavit. Aqua enim ad refrigerandum malas concupiscentias, & amores, sanguis ad remittendas iracundias, tristitias, rancores. Pro peccatis pedum tuorum, quibus peccasti, choreando vanè & lascivè, ambulando & evagando; Ego habui pedes tortuosè non ligatos, sed transfixos, clavatosque in ligno Crucis, & pro talaribus rostratis & feneſtratis, ego habui pedes sanguinolentos sanguine pedum ipsorum, totiusque corporis in eos defluente. Pro peccatis totius Corporis, quo peccasti, illud deliciis, somno, quieti dando, & diversimodè delectando; Ego fui in Cruce affixus, terribiliter verberatus, in modum pellis tractus, & extensus in Cruce, sudore sanguineo totus, usque ad terram madidus,

„ didus, & durissimo ligno strictissimè applicatus, tandemqu
„ atrocissimo tormento ibidem laborans, clamans, suspiran
„ flens, plorans, ejulans, mortuus sum, & à crudelissimis inter
„ fectus. Pro peccatis tuorum ornamentorum, vestium super
„ fluarum, vanarum, curiosarum; Ego in Cruce nudatus sum
„ vilissimis hominibus vestes meas, sibi diripientibus, luden
„ tibusque in oculis meis, Ego nudus sicut de virgine natus sum,
„ frigori, vento, aëri, omnium hominum aspectui in alto, u
„ meliùs viderer, & magis irriderer, & verecundiam patere
„ expositus sum & expansus. Pro peccatis tuarum divitiarum,
„ quæ fecisti, malè acquirendo, ipsas expendendo, & retinen-
„ do; Ego pauper fui non habens palatium, neque domum,
„ neque tugurium, ubi nascerer, ubi vivens manerem; neque
„ moriens sepulchrum habuissem, sed canibus & avibus fuissem
„ dimissus, nisi quidam pietatis intuitu, & meæ miseriæ com-
„ patiens, me in suum sepulchrum recepisset. Meum sangui-
„ nem, meam vitam, hominibus peccatoribus sum largitus,
„ & adeò nihil mihi retinui, sed in vita & morte semper pau-
„ per esse volui, & permansi. Quid plura? nullum peccatum,
„ nullum Animæ morbum Assignare poteris, cui ego reme-
„ dium non attulerim, pro omnibus satisfecerim sufficienter,
„ & pro infinitis tormentis, ac doloribus, quos misera Anima
„ tolerare in inferno debebat, pro supradictis peccatis, ego to-
„ taliter dolui, tormentatus sum, & cruciatus. Quod si in
„ negligentia tua non remaneat, ampliùs dolere te non oporte-
„ bit; dum tamen mecum hic condoleas, mihique compatia-
„ ris, & pœnarum mearum, ignominiarum, paupertatis, de-
„ spectuum, socia, dum hic vivis, existas.] Hæc Beata Ange-
„ la: seu potiùs, ad illam, & ad omnes nos, Christus.

MODVS XXIII.

VIgesimus tertius Modus Dominicam Passionem meditandi est: Assumptis peccatorum nostrorum singulis speciebus sigillatim, earum gravitatem, malitiam, periculum, pœnam ex Passionibus Christi, doloribusque, quibus eæ specialiùs expiatæ videri possunt, ponderare ac metiri, indeque ad scelerum quidem odium, & fugam, ad Christi autem, & dolorum ejus æstimationem, amorem, & gratitudinem, obedien

obedientiamque seſe conſtanter provocare, Ad hunc meditandæ Paſsionis modum faciunt iſta Divi Bernardi verba, quæ adduco. [Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere fortitudinem, facere ad quod venit, tollere peccatum mundi. Ego autem dico peccatum triplex, quod invaluit ſuper terram. Putatis quòd dicere velim concupiſcentiam carnis, & concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ? funiculus triplex eſt, & difficile rumpitur, propterea multi trahunt, immo trahuntur hoc funiculo vanitatis, ſed ille Paſſionis ternarius (Charitas ſcilicet tam inæſtimabilis, Humilitas tam admirabilis, Patientia tam Inſuperabilis) non immeritò prævalet in Electis. Quomodo enim non illius Patientiæ recordatio, omnem arceat voluptatem? quomodo non illius Humilitatis conſideratio, ſuperbiam vitæ prorſus extundat, cùm Charitas illa planè digna ejus meditatione, ſic mentem occupet, ſic totam ſibi vendicet animam, ut omnino vitium curioſitatis exſufflet? Fortis igitur contra hæc Paſſio Salvatoris. Sed aliud ego triplex æquè peccatum, quemadmodum virtus Crucis expugnat, dicere cogitavi: & id fortè utilius audiatur. Primum quidem *Originale*, ſecundum *Perſonale*, tertium, *Singulare*. Et Originale quidem, maximum illud delictum vocatur, quod à primo Adam contrahimus, in quo peccavimus omnes, pro quo morimur univerſi. A primo homine uſque ad noviſſimum protenditur, & in ſingulis quoque à planta pedis, uſque ad verticem diffunditur hoc venenum. Sed & aliter nihilominus, in univerſam dilatatur ætatem, ab ea ſcilicet die, quâ ſua quemque concipit, uſque ad eam, quâ communis eum recipit mater, ut nobis illud ſancti Iob ex omni parte poſſit aptari. Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis. Nimirum ipſe quoq; natus ex virgine, immo factus ex muliere, ſed benedicta in mulieribus, etiam brevi vivens tempore ſuper terram, nihilominus multis eſt repletus miſeriis, in illa brevitate appetitus inſidiis, interrogatus contumeliis, pulſatus injuriis, vexatus ſuppliciis, convitiis laceſſitus. Tune hanc ſufficere dubites obedientiam, quâ reatum omnem primæ prævaricationis abſolvat? immo verò non ſicut delictum, ita & donum? Nam peccatum ex uno in condemnationem, gratia autem

Fer. 4. Hebdomad. Pœnoſæ. ſeu de Paſſione Dominum. 6.

„ autem ex multis delictis in justificationem. Et grave quidem
„ omnino delictum illud originale, quod non solum personam
„ infecit, sed etiam naturam. Personale tamen cuique gravius
„ est, cùm jam laxatis habenis exhibemus undique membra
„ nostra arma iniquitatis, peccato, non modò jam alieno, sed
„ & proprio crimine compediti. Singulare verò, est gravissi-
„ mum, quod commissum est in Dominum Majestatis, cùm
„ viri impii, virum justum injustè occiderunt. Et sacrilegas
„ manus in ipsum Dei Filium injecerunt, crudelissimi homici-
„ dæ: (immo si fas est dicere) etiam Deicidæ. Quid duo præ-
„ ced entia, ad tertium? Ad hoc expalluit, & expavit tota ma-
„ china mundialis, &c. Sic omne peccatum, quantum ad
„ hoc peccatum, est quasi non peccatum. Et tamen hoc pec-
„ catum in se pertulit, qui se ipsum fecit peccatum, ut de pec-
„ cato damnaret peccatum; per hoc enim omne peccatum
„ tam originale, quàm personale deletum est, & ipsum quoque
„ singulare, eliminatum est per se ipsum. Argumentum mihi
„ est, à maximo, quòd duo minora sunt explosa.]

Hactenus Bernardus, cujus verba alicubi interciſa sunt brevitatis causâ, & videri apud eum possunt, reliqua quæ sequuntur.

Hunc in modum acceptis septem mortalibus peccatis, possunt iis septem partes Passionis Christi opponi.

I. *Superbiæ*, & inani gloriæ, ambitionique honorum. Humilitas Christi, in Horto Patrem orantis, examen de doctrina & discipulis, Nocturnæ injuriæ, & blasphemiæ: illusoria corona, purpura, arundo, postpositio ad Barabbam, medium inter latrones, Crux, & titulus Crucis.

II. *Avaritiæ*, & Cupiditati bonorum terrenorum, Paupertas usque ad nuditatem toties repetitam, direptio vestium, sindon, aromata, sepulchrum, omnia aliena, & ex misericordia tantùm impensa.

III. *Luxuriæ*, Deliciis, inverecundiæ, Nocturnæ apud Caipham pœnæ, flagellatio immanis, nudatio, ex ea confusio Christi, tam in flagellatione, quàm in aliis occasionibus, ac potissimùm pendendo in alta Cruce, totius Corporis lacerationes ac vulnera.

IV. *Gulæ*, Fames & sitis Christi, acetum, fel, vinum myrrhatum, felle mistum.

V. *Iræ*,

V. *Iræ*, Iracundiæ, impatientiæ, Manſuetudo Chriſti, & occurſus ſpontaneus hoſtibus. Hæc eſt hora veſtra. Injuriæ atque blaſphemiæ infinitæ, vincula, verbera, contemptus, dolores, falſa teſtimonia, iniquiſſimæ & malitioſæ condemnationes. Obſirmatum in omnibus ſilentium, nullum queruloſum, aut pungens, aut confundens verbum. Oratio pro inimicis, eorumque excuſatio apud Deum. Mors æquè iniquiſsima, ac crudeliſsima, probroſiſsimaque.

VI. *Invidiæ*, Tota Paſsio & mors pro eorundem ipſorum ſalute obita, à quorum ſcelere manibuſque obita. Dolor de peccatis, perditioneque eorum qui in ſe peccabant. Oratio pro eiſdem. Tota item Paſsio, ex invidia tum diaboli, tum Iudæorum, Chriſto conflata: quæ nec Pilatum latuit, ſciebat enim quòd per invidiam tradidiſſent eum, in manus ſuas. Inſultationes, quas jam pendens in Cruce ſuſtinuit, à gaudentibus de ſuis malis, inimicis omnibus ſuis. Mors denique & ſepultura, quibus quantùm ad mentem hoſtium, nomen ejus abolitum erat funditus de terra.

VII. *Acediæ*, Pavor, mœror tœdium, agonia, ſudor ſanguineus, oratio prolixior, ſomnus diſcipulorum, Simon dormis? ſic non potuiſtis vnâ horâ vigilare mecum? fuga diſcipulorum, frigus, & de longinquo ſequela Petri, ejuſdem trina negatio, fervor furioſus, furorque fervidiſsimus, & conſtantiſsima malitia Iudæorum, in ſuæ mortis ſiti & cura. Stabant conſtanter accuſantes eum: at illi magis clamabant, Invaleſcebant voces eorum, magis tumultus fiebat: demum univerſa multitudo exclamavit. Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Fervor Charitatis Chriſti, conſtantia, diligentiaque in omnibus explendis conſummandiſque ſcripturis uſque ad Conſummatum eſt: immo uſque ad plurium malorum tolerandorum pro noſtra ſalute, gloriaque & obedientia Patris ſitim; denique uſque ad ultimam ſpiritûs traditionem in manus Patris Æterni.

Hunc in modum, etiam peccatis quinque ſenſuum Corporis, peccatis Potentiarũ Animæ, peccatis in virtutes Theologicas, & Cardinales, peccatis in decem præcepta, peccatis in opera miſericordiæ, in octo beatitudines, conferri poſſunt aliæ aliæque portiones Paſsionis Dominicæ, quibus & ipſæ

ipsæ causatæ, & illa expiata sunt, per sapientissimam, misericordissimam, efficacissimamque Christi Domini charitatem, Passionisque Dignitatem. Ex quorum omnium consideratione: odium peccatorum, æstimatio & amor Passionis, Patientisque Christi, Gratitudo, Imitatio, aliorumque affectuum, nec non virtutum exercitatio discenda, proponenda, & exercenda, & omnibus peccatis nostris medicina desumenda erit. Ad quod etiam propositum, servit efficacissima illa Divi Augustini Meditatio. [Ostenditur (inquit) nobis ad quam fragilitatem homo suâ culpâ pervenerit, & ex qua fragilitate divino auxilio liberetur. Itaque Filius Dei hominem assumpsit, & in illo humana perpessus est. Hæc medicina hominum, tanta est, quanta non potest cogitari. „ Nam quæ superbia sanari potest, si humilitate Filii Dei non „ sanatur? Quæ avaritia sanari potest, si paupertate Filii Dei „ non sanatur? Quæ iracundia sanari potest, si Patientiâ Filii „ Dei non sanatur? Quæ impietas sanari potest, si Charitate „ Filii Dei non sanatur? Postremò quæ timiditas sanari po„ test, si resurrectione Corporis Christi non sanatur? Erigat „ spem suam Humanum genus, & recognoscat naturam suam, „ & videat quantum locum habeat in operibus Dei Nolite „ vosmet ipsos contemnere, nolite tamen amare carnalia, noli„ te amare temporalia, quæ si bene amarentur, amaret ea ho„ mo, quem suscepit Filius Dei. Nolite timere contumelias, „ cruces, & mortem, quia si nocerent homini, non ea patere„ tur homo, quem suscepit Filius Dei.] Ad hunc ipsum modum „ faciunt verba Divi Gregorii Nazianzeni, omnibus malis nostris impedimentisque salutis, medicinam in vita & Passione „ Christi assignantis, hoc modo.

Augusti. tomo 3. de Agone christiano cap. 11.

Orat. 1. Apologetica.

„ Huc exinanita Deitas, huc assumpta caro, huc nova illa „ mixtio, Deus inquâ & Homo. Vnum ex utroq;, & utrumq; „ per unum. Ob hanc causam Deus animæ interventu carni „ junctus est, ac res inter se disjunctæ, ac dissidentes, per inter„ positæ rei, cum utraque earum, affinitatem & cognationem, „ copulatæ sunt. Atque omnia propter omnia, & pro uno illo, „ generis nostri principe, in unum coierunt. Anima nimirum „ propter eam, quæ præcepto Divino, minimè paruit. Caro „ propter eam, quæ animæ cupiditati obsecuta est, simulque

conde-

condemnata; Christus denique propter Adam, hoc est, propter eum, qui sub peccato factus est, is qui peccato sublimior ac præstantior erat. Ob hanc etiam causam, veteri novum substitutum est, & per Passionem, is qui Passus fuerat, in pristinum statum, revocatus: ac pro unaquaque nostrarum, unaquæque res, ejus qui nobis sublimior est, repensa, novumque mysterium factum est, illa quæ circa eum, qui ob inobedientiam cecidit, per benignitatem contigit dispensatio. Idcirco generatio & virgo, idcirco præsepium & Bethleem; generatio propter effictionem, virgo propter mulierem, præsepium propter Paradisum, Bethleem propter Eden, res parvæ & conspicuæ, propter magnas & ab oculis remotas.

Idcirco Angeli, cælestis primùm, ac deinde terreni gloriam prædicantes: & Pastores ob Agni, & Pastoris ortum, gloriam canentes, & stella præiens, & Magi sese prosternentes, ac munera offerentes, ut scilicet idolorum cultus everteretur. Idcirco IESVS baptismi aquâ tingitur, & superno testimonio coronatur, & jejunat, & tentatur, & eum, qui vicerat, devincit. Idcirco dæmones ejiciuntur, & morbi depelluntur, & magnæ prædicationis munus, parvis hominibus committitur, & cum laude administratur. Idcirco gentes frementes & populi inania meditantes.

Idcirco lignum adversùs lignum, & manus adversùs manum: illæ inquam fortiter extensæ, adversùs incontinenter extensam, illæ clavis confixæ, atque constrictæ, adversùs remissam & solutam, illæ orbis fines conjungentes, adversùs eam, quæ Adamum è Paradiso exturbavit.

Idcirco sublimitas, adversùs lapsum; & fel, adversùs gustum; & spinea corona, adversùs pravum imperium; & mors, adversùs mortem; & tenebræ, propter lumen; & sepultura, adversùs illam in terram reversionem; & resurrectio, propter resurrectionem.

Hæc omnia Divinæ cujusdam erga nos disciplinæ loco erant, infirmitatisque nostræ velut medicina quædam, veterem Adamum, eò, unde exciderat reducens, & ad illud lignum vitæ adducens, à quo scientiæ lignum intempestivè & incommodè perceptum nos removerat.] Hæc Nazianzenus.

MODVS XXIV.

Vigesimus quartus Modus Passionem Dominicam meditandi, est tripartitus, sive tria materiarum genera complectens, considerandaque assumens.

Materia I. sunt Christi Domini Passiones atque Injuriæ, assumptæ eo ordine, quo ab Euangelistis, Christo describuntur irrogatæ.

Materia II. sunt vitia & peccata hominum, quæ specialiùs & directiùs videantur fuisse causa, malemeritoria prædictarum Christi Passionum injuriarumque: & quæ sint iisdem Passionibus à Christo expiata.

Materia III. sunt virtutes in iisdem Passionibus, ac injuriis Christi, seu potiùs in ipso Christo eas Patiente, singulariùs eluceſcentes, nobisque ad exemplum, & doctrinam propositæ.

Harum Materiarum I. sic erit considerandа, ut præter alios affectus effectusque, eliciatur amor, admiratio, gratiarum actio, erga Christum, qui nostras iniquitates, tantis suis ærumnis redimere ad rigorem Iustitiæ, sit dignatus.

II. Materia sic erit considerandа, ut ejus enormitas, malitia, pœna, detestatio, odium, propositumque vitandi, & expiandi, validum concipiatur.

III. Materia sic erit considerandа, ut ejus heroica & absoluta Perfectio in Christo Domino eluceſcens agnoscatur, ametur, desideretur, ad imitandum instanter & sine dilatione proponatur. Exemplis res, aliquantùm declaranda est.

I. Christus cœpit pavere, tœdere, contristari, & mœstus esse, fuitque Anima ejus tristis usque ad mortem. Hæc Christus subiit propter nostras Passionum immortificationes, concupiscentiarum rebelliones nobis familiares, & infinitorum peccatorum matrices. Timemus non timenda, non timemus timenda, &c. In his pœnis elucet Christi dominium, in suas propassiones, & affectus: quibus semper usus est, ex dictamine prævio rationis; ex rationibus æternis, ex voluntate Patris Cœlestis, atque ita hic habemus propositum ad imitandum exemplar mortificationis Passionum, & dominii affectuum nostrorum.

II. Ora-

II. Orauit Christus inter summas afflictiones, tam præsentes, quàm mox imminentes, & oravit constanter, instanter, repetitò, flexis genibus, immo facie in terram : oravit modo perfectissimo, cum omnimoda resignatione.

Hoc Christus egit, & subiit pro nostra ad orandum Deum tarditate, & raritate, pro nostra in orando tepiditate, oscitantia, inconstantia, diffidentia, pro nostra in creaturis potiùs fiducia, quàm in Dei auxilio, pro nostris etiam ad dæmonum auxilium recursibus, potiùs quàm ad Deum, pro nostris irresignationibus inter orandum, pro nostra in adversis impatientia, murmuratione in Deum.

Elucet in his heroicus modus, usus, conatus, fructus orandi, ad Deumque confugiendi ; hunc discamus, & imitemur.

III. Christus factus in agonia sudat sanguinẽ. Hoc Christus subiit, pro nostra laborum, difficultatumque, & incommoditatum fuga, pro pusillanimitate, & mollitie, pro tepiditate in agendo & patiendo : pro exiguitate pœnitentiarum, & satisfactionum pro peccatis, pro nostris conatibus, & fatigationibus in via propriæ voluntatis, & carnis, & diaboli, & omnis iniquitatis. Elucescit heroicus & admirandus conatus in laborando pro Dei gloria, pro nostra proximorumque salute, pro vincendis tentationibus, & impugnationibus, ut usq; ad sanguinem resistamus, usque ad defatigationem, Christo serviamus.

IV. Christus ab Angelo confortatur. Nostram retundens superbiam, contumaciam, arrogantiam, stultitiam, quâ dedignamur vel à sapientioribus majoribusque ipsis instrui, consilium petere, vel accipere : malumusque errare quàm discere, pergere in erroribus, delictis, præcipitiisque, quàm videri ab aliquo instructi, vel alicujus indigi fuisse.

Docet nos Christus veram mansuetudinem, & mititatem, humilitatemque cordis, quâ se etiam minoribus, etiam simplicioribus submittit, sensumque suum facilè relinquit. Docet nos amorem, gratitudinem, obedientiam, reverentiam, erga Angelos nostros, quos Deus vel custodiæ nostræ ordinariæ, vel instructioni extraordinariæ, destinare dignatur.

V. Christus licèt ipse afflictissimus, & angustiatissimus, ad suos tamen revisit, excitat eosdem, ad orandum, vigilan-

dum, tentationibus resistendum, adhortatur. Taxat, expiatq; Christus nostram, tum de nobis ipsis, tum de nostræ curæ commissis, supinam oscitantiam; Dei causas relinquimus, ad nostra studia quotidie vacamus. Dissimulamus, fratres, filios, proximos nostros, perire. Cadit asina, & est qui sublevet, cadit Anima, & non est qui respiciat. *Consuimus pulvillos*, & cubitis peccantium supponimus. Docet Christus sic Contemplationis & MARIÆ studiis vacare, ut Marthæ negotia non negligantur: sic vacemus nobis, ut non desimus proximis, sed Deum etiam propter Deum aliquando relinquamus. Mansuetissimis etiam verbis & modis IESVS suos excitat: neque charitativam monitionem asperitate verborum corrumpit. Ostendit etiam, non esse satis, ut Deus pro nobis vigilet, aliive, nisi & nos vigilemus, & oremus: & operam nostram, opi Divinæ subjungamus.

Ezech. 13. 18.

VI. Christus hostibus obviam procedit. Nos neque in eam partem torquere dignamur oculos, quâ hostem comparere credimus. Timor noster, pusillusque in adversis, ac arduis, quantumlibet longè positis, animus à Christo arguitur. Docet autem Dominus veram nos fortitudinem, in Deumq; erectam fiduciam: qui in minimis sese vincit, ad obsistendum etiam magnis difficultatibus, molestiisque, animum, immo & corpus firmat.

VII. Christus Iudam proditorem, & proditionem agere sciens, & amici nomine, & osculo, & paternâ dignatur monitione. Quotidie nos proditionis opera exercemus, in Christum, in virtutem, in conscientiam, in nostram professionem, inconstanter, malignè, tepidè, dissimulanter agendo. Discamus invincibilem mansvetudinem, & non vinci à malo, sed in bono malum vincere, discamus etiam, de desperatissimis filiis, subditis, proximis, non desperare, sed eos in spiritu lenitatis ferre, sanare, monere, pro eis orare, plus illorum malitiâ, quam nostrâ injuriâ dolere: immo hanc nescire, ut illi medicinam possimus facere? Multos ægros occidunt medici corporales: sed non tot quot medici spirituales, ignorantiâ, ac præcipuè asperitate curationis. Ama, & dic quod vis.

VIII. Christi discipulus Iudas, fit proditor Magistri: & per osculum quidem, atque Magistri salutationem. Habet

suam

suam hic effigiem hypocrisis, adulatio, ingratitudo, insinceritas, politicismus, perfidia, obstinatio in malo, & excæcatus cupiditate Animus. Tanti est minimarum rerum cupiditatibus non obstitisse; fur erat Iudas minutarum rerum, infidelisque dispensator commissorum fidei suæ; profecit ergo usque ad proditionem Magistri & Domini sui. O verè *radix malorum cupiditas?* & verè *qui volunt divites fieri, incidunt in laqueum diaboli, & desideria nociva.* Advertamus in sanctissima disciplina atque statu, in pessima proficere solere, qui in optima non nituntur. Vbi Ioannes optimus fuit, ibi Iudas pessimus evasit. Non ergo sanctitate statûs & professionis gloriemur, sed vitæ morumque integritate, statum & professionem exæquemus, alioqui in professione sancta, vita mala, bis, immo ter mala est, quia ferè desperata est. *1. Tim. 6. 10.* *1. Tim. 6. 9.*

IX. Ad vocem Christi [ego sum] hostes abeunt & cadunt retrò. Quâ voce allici debuêre, eâ repulsi sunt: quâ voce stabiliri solebant discipuli, eâ prostrati sunt inimici: illud [ego sum:] audivêre discipuli, & manserunt; audiêre hostes, & abierunt, atque ceciderunt retrò. Hoc est scilicet habere cor durum: hoc est esse gravi corde: hoc est illud: *qui non colligit mecum, dispergit; qui non est mecum, contra me est.* Obstinatio in malo, cæcitatis est mater, consummatio perditionis. *Matth. 12. 30.*

Docet Christus adversitates in adversarios recidere, & iis maximè solisque graves ac exitiales esse: potest Deus amara nostra repellere, vel solo verbo: si tamen id non facit, non ideo in impatientiam eundum est. Omni peccatori, dicit Deus. *Ego sum.* Sed quidam ad Deum veniunt, & proni cadunt, ut David, peccavi, miserere: quidam à Deo fugiunt, & retro cæcè corruunt: ut Caim, Saul, Iudæi, Iudas.

X. Christus datâ in se potestate, capitur à potestate tenebrarum. Omnis qui peccat, & Christum in potestatem tenebrarum secum unâ tradit: procul enim à luce est, qui in peccatis est. Captivat Christum omnis, qui inveterascit in peccatis suis, & ex voluntate necessitatem sibi peccandi inducit. Captivitate quoque suâ, Christus carpit inordinatam nostram libertatem, ejusque amorem.

Docet subjectionem captivitate suâ Dominus. Si enim non

dedecuit Christum propter nos capi, nec nos dedecet propter Christum subjici.

XI. Christo relicto discipuli fugiunt omnes. Socii mensæ multi; & inconstantes facilè sunt: socii vinculorum, compedum, Crucis, nullus est. Inconstantia, mutabilitas, cognatum humanæ fragilitati malum est: fugere à Christo capto, humiliato, nobis quotidianum est. O quàm miseri sunt profectus, quàm fragiles firmitates nostræ: si vel capiatur tantùm nobis Christus, si tantillùm solita nos deserat consolatio, Deive præsentiæ gustus, continuò relicto Christo, fugimus omnes.

Audeamus aliquando sumptu nostro servire Deo, subtracto etiam consolationis lacte: & condiscamus tunc maximè adhærere Christo, quando maxime instant qui nos avellant à Christo. Avellere ab illo nemo potest nisi volentes avelli, nisi parùm bene adhærentes; infirmè adhærent, qui spe tantùm successûs adhærent: qui suâ virtute nixi: qui proprii cujuspiàm solatii, honorisve intuitu adhærent. Ille firmiter adhæret, qui sibi diffisus, gratiæ autem innixus, non tantùm pati vult cum Christo, sed etiam ideo pati vult, quia adhæret Christo: maximè autem ille, qui pati vult, tanquam non adhæreret Christo.

XII. Petrus gladio defendens Christum.

Hic zelus est non secundùm scientiam, hoc est nescire cujus spiritus sis, hoc est noxiè pro innocentia sua, alienave zelare: hoc est nescire tempora agendi & patiendi.

Zelus omnis, maximè autem justus mansuetudine armandus est, hunc gladium si non habet, ferire & perdere potest, sanare & salvare non potest. Pius Samarita vinum oleo temperat.

XIII. Examen Christi apud Annam de doctrina, de discipulis.

Profunditatem cordis & occultationem nostri redarguit Dominus: laboramus hoc malo & multi, & perniciosè; vulnera carnis nisi pateant curam non habent: vulnera mentis nisi manifestentur, ruinam animæ accelerant. Nemo sibi in sua causa sapiens satis est. Christus ipsa sapientia examen subiit, nos qui filii stultorum, & ipsa stultitia sumus, à ratione

nostri

noſtri reddenda abhorremus. Et quod miſerius ſtultiuſque eſt: cùm alibi noxiè, & ſine fructu de malis noſtris gloriemur, apud Chriſti Vicarios perditè erubeſcimus, & latere gaudemus.

Amare nos docet IESVS claritatem conſcientiæ, cordiſq; perſpicuitatem. Nullâ enim ratione certiores ſumus de regimine Dei providentiaque circa nos.

XIV. Alapa infligitur, reſpondenti IESV, à miniſtro aſſiſtente.

Hæc alapa, adulationis, præcipitationis, inſcitiæ, temerarii judicii, procacitatis eſt. Eſt & eorum, qui quæcunq; ignorant blaſphemant, quid enim ſervulus iſte de Chriſti reſponſo judicaret?

Diſceremus ô utinam, ab hac Chriſti injurioſa alapa, judicium noſtrum frenare, cohibere, regere, & dum res non planè liquet, ſuſpenſum tenere. Omnibus diebus experimur, & ſæpius etiam, nos judicio noſtro falli, aliamque longè conſilii & facti alieni rationem, quàm nos opinabamur deprehendimus fuiſſe, neque tamen ab hac experimenti aſſiduitate, verecundiam judicii noſtri diſcimus, frenumque cenſuris ponimus. Diſcamus etiam pati cenſuras, & judicia aliena; & manſuetudinè indignationem frenare. Quid ſit difficilius virtuti; ferre judicium ab aliis, an non ferre judicium de aliis, valde ambigi poteſt.

XV. Falſis teſtibus Chriſtus oppugnatur.

Impotentia Iræ, ac odii, Invidentia alieni boni, mendacia, calumniæ, convitia, perjuria, juſtitiæ, ac æquitatis perverſio, impotentia affectûs, ſicut omnia in Chriſtum exeruêre vires ſuas: ita per ejuſdem Innocentiam & Patientiam amiſère vires ſuas.

Veritati & Innocentiæ inniti tutiſſimum eſt. Iniquitas & Falſitas ipſa ſe evertit, maximè quando Patientia, & Modeſtia, & Oratio ejus fluctibus opponitur.

XVI. Chriſtus adjuratus per Dei nomen, reſpondet.

Mendacia noſtra, perjuria, occultationes noſtri, & aliorum, iniquas, adjuratione ſuî Chriſtus punivit.

Reverentiam & confeſſionem Divini nominis etiam cum periculo proprio faciendam docuit.

XVII. Chriſtus reus mortis. Hacia

Hac in Christum censurâ decretoriâ, palpata est nequitia potentis, ab inferioribus & adulatoribus. Temerarium etiam judicium quid posset, probavit, nec non voluntarius error, & placendi studium, metus displicendi, & pro æquitate sententiam ferendi. Et quid hisce malis inter nos familiarius, maximè quando causa agitatur Christi, estò quidem innoxii, sed tamen odiosi, pauperculi, derelicti, adjutorem & protectorem non habentis: propter veritatem, propter noxas nostras, vitâ, moribus, verbisque reprehensas in odiû Magnatum adducti?

Non curanda hominum quantumvis dura, & firma, communiaque judicia, innocentiam docet damnatus innocens IESVS, sed neque ut evitari possint, ulli virtuti sperandû esse, exemplo instruit Idem IESVS. Quæ enim virtus tam alta sit, ut ad eam vel dens, vel oculus, vel afflatus livoris non pertingat, quando ad altissimi ipsius virtutem pertigit? Quin immo optandas esse virtuti censuras invidorum, docuit IESVS, qui in his etiam beatitudinem virtutis sitam veritatis ore asseruit. *Beati eritis cùm maledixerint vobis homines propter nomen meum.*

Matth. 5. 11.

XVIII. Petrus Christû negat in medio aulæ & militum. Pravæ familiaritatis & aulicæ conversationis hi sunt fructus. Negare Christum, mentiri, pejerare, de malis in pejora ruere, virtutis professionem erubescere. Neque prosunt gallicinia quidquam, nisi oculi IESV accedant cor vulnerantes, & foras ejicientes de medio nationis pravæ

En quàm proficuum recordari verberorum IESV? quàm salubre in oculis esse IESV? Petri glaciem quam neque ignis, neque prunæ, neque galli cantus solvere poterant, una recordatio, unus oculi ictus, in lachrimas fluere fecit.

XIX. Nocturnæ injuriæ: quando Christus infinita nefanda passus, consputationes faciei, alapas, colaphos, conculcationes, genarum lacerationes, sannas, blasphemias, pugnos, tormenta, omnem denique potestatem tenebrarum.

Prævêre Majores ad sceleta: & mox inferioris turbæ fœx, quasi ruptis repagulis, solutisque habenis, per omnia facinora exundavit: væ Principibus nequitiarum, omnia scandala gravia sunt, sed quæ à Majoribus ortum sumunt, ea solent esse maximè prægnantia & fœcunda. Nocturnæ quoque impuritates,

purʼtates, tenebrarum filiæ, quantùm audere ſoleant contra Deum, oſtenderunt auſis hiſce ſuis in Chriſtum.

Habemus manſuetudinis Chriſti tot inter nefandas indignitates invictæ ſpecimen : habemus Humilitatis plùs quàm ſtupendum, in tanta Dignitate argumentum. Quid jam viliſſimus homuncio, intoleranda & nimia ſe perpeti queritur? quid ſe nimium humiliari dolet? conferat ſe ſuaq; cum Chriſto, & reperiet ſe guttam contaliſſe Oceano.

XX. Iudæi Chriſtum prædamnatum à ſe, Pilato damnandum offerentes, metuunt contaminari ingreſſu prætorii.

O ſtulta malitia! ô hypocriſis maledicta! *excolans culicem, glutiens camelum*: non metuit contaminari ſanguine innocentis, metuit ingreſſu domûs inquinari gentilis. Verè ſimulata ſanctitas, duplex iniquitas. *Matth. 23. 24.*

Tunc valde laudabiliter errata minima vitantur, quando etiam ab enormibus delictis abſtinetur: ſed audacem eſſe ad perpetranda gravia, ſcrupuloſum ad minuta, hoc ſicut injuriam Dei multiplicat; ita viciſſim meritam iram pœnamque exaggerat. A magnis ergo peccatis procul abeſſe, & minima tanquam maxima horrere, magnus ad ſummitatem charitatis gradus eſt.

XXI. Iesvs ſtat ante Præſidem, habitu rei.

Vulgatum hominum malum, majores magiſtratuſque non revereri; hac ſuâ ante Præſidem ſtatuitione Iesvs & expiat, & emundat: oſtenditque quis honor debeatur iis, quos in poteſtate Deus poſuit, & quibus authoritatem ſuam communicavit.

Stans Iesvs ante Præſidem, exemplo præit omnibus Martyribus ſuis: quibus & ſilentio ſuo meretur os & ſapientiam, cui non poſſent reſpondere, omnes eorum adverſarii. Habet etiam quo ſe ſoletur innocentia, quando vel iniquè, vel violenter trahitur ad tribunalia. Proprium enim eſt innocentiæ ſtare, quantumcunque fracta, collapſaque & depreſſa videatur, ſurgit adverſùs pondera.

XXII. Examinatur Iesvs à Pilato.

Nox in Sole, nodus in ſcirpo quæritur: Et Iesvs ignaviã illorum arguit, qui ſcrutari vias ſuas gravantur: infringit & eorum arrogantiam qui factorum ſuorum rationem nemini conſtare volunt.

Tanti est nosse semetipsum ; ut si ad notitiam tui venire nequeas, tuo ipsius examine, eam justè tibi emas alieno, etiam hostili scrutinio. Ad notiam namque sui habendam veram: aut magno opus est Amico, aut magno Inimico.

XXIII. Iesvs in aula Herodis.

Aulicismos, curiositates, fastus, vanitates, stultitias, otiositates, adulationes, aliasque aularum pestes, ex aulis profligare Iesvs cupiens: in aula etiam Herodiana stare voluit. An fortè quo loco, quâve conditione, Virtus, Pietas, Modestia, Innocentia in aulis essent futuræ, suo in exemplo præmonere justum duxit ?

Spiritualibus & Pietatem profitentibus viris, limina Magnatum non ambienda, neque frequenter calcanda sunt: nisi vel periclitari, vel contemptui haberi virtutem suam velint. Iesvs etsi violenter ductus ad aulam, tamen irrisus est, & pro stulto judicatus, quid si ultrò se ingessisset ? Iesv & Baptistâ nemo major exstitit, neuter tamen in aula successum habuit.

XXIV. Veste albâ ridiculâ induitur apud Herodem Iesvs.

Irrisio Virtutis & Innocentiæ, illusio bonorum, & opera Pietatis exercentium propria sunt hujus mundi filiorum opera: adeò omni sanctitati inimica, ut efficacius telum nullum habeat diabolus, ad eneruandam virtutem, etiam in proprio eius regno; ferream enim virtutem esse opus est, quæ irrisionibus non expugnetur illusorum.

Qui ex illusionibus & persecutionibus, contemptibusque candidior fieri non didicit: hic delicatam teneramque se virtutem haberi ostendit; at qui gloriari in tribulationibus, gaudere in contumeliis, potest, hic togatam virtutem possidere, indueréque demonstratur.

XXV. Nudatio Christi & Præparatio ad flagella.

Inverecundis sceleribus hæc pœna debebatur. Nuditati nostræ hæc vestis parabatur.

Luctaturus cum diabolo nudus sit necesse est, ne si habeat unde teneatur facilè ad terram dejiciatur. Nuda virtus rara est, nuda paupertas, nuda Charitas, nuda Patientia, nuda Obedientia, ex mille vix una est: omnes ut plurimùm supervestiri amant, fugiunt spoliari. Pro magno habuit diabolus,

quia

quia specie tenus saltem potuit objicere Iobo. *Nunquid Iob frustra timet Deum? nonne tu* (Deus) *vallasti eum?* Ergo etiam diabolus vestitam virtutem non æstimat, nudam, gratuitamque requirit, ut metuat. *Iob. 1. 9.*

XXVI. Flagellatio Christi.

Deliciis carnis, indulgentiæque sensuum, & omni voluptatum consectationi, quâ scatebat humana lascivia, hanc ex flagellatione suæ innocentiæ medicinam confecit IESVS.

Quid satis persuadebit hominibus sensuum carnisque mortificationem, si flagellatus IESVS, eam nobis dulcem, amabilemque non faciet? si hæc non esset salubris, si mollities carnis non esset pernicioſa, utique Christus hanc non castigasset, neque illam sustinuisset. Sustinuit tamen adeò, ut dicat *totâ die se flagellatum*, & *castigationem suam à matutinis* ipsis inchoatam.

XXVII. Spinea corona, purpura, arundo, genuflexio.

Omnia superbiarum genera, hac inventione, plusquam erudeli, in sese Christus expiavit, quidquid ambitionum, gloriarum, jactationum, æmulationum, judiciorum propriorum, aliarumque hujus generis pestium, in hominibus est, totum hoc istâ injuriarum Christi immanissimâ novitate castigatum est.

Nunc demum dicit opere ipso omnibus nobis in spectaculum datus IESVS. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Quid enim est. Ecce iste Homo IESVS, nisi gymnasium mansuetudinis, & theatrum humilitatis, & schola abnegationis. *Matth. 11. 29.*

XXVIII. Barabbæ Christus collatus, & postpositus.

Nihil agitur ab omnibus sæculis in mundo, nisi collatio Christi & Barabbæ, nisi postpositio Christi ad Barabbam: jam inde à Paradiso ipso Christus Barabbæ est postpositus: neque degeneravimus etiam hodie ab ingenio majorum nostrorum; nihil agimus vsitatiùs, quàm Christi infra Barabbam dejectionem. Et faciunt hoc etiam, qui sese Christi appretiatores gloriantur.

Vera Charitas, & seria cum Deo amicitia, Christum erubescit, Barabbæ, non dico postponere, sed etiam componere. Et quis quæso aurum luto componat? Injuriam facit auro,

qui illud componit luto : & non facit injuriam Deo, qui illum postponit cuilibet desiderio suo?

XXIX. Silet Christus usque ad miraculum Pilati.

Excusatio primæva, quâ perditi olim sumus, & quâ quotidie peccata peccatis cumulamus, hanc silentii legem an pœnam? Christo imposuit : quanquam omnia linguæ nostræ peccatorum genera, hoc ipso supplicio vindicata, credere convenit.

Vtinam amorem silentii, atque cultum, à Christi silentio discamus; ut nobis silere sit in desiderio, loqui in necessitate.

XXX. Persuadetur plebi, ut desideret necem Christi.

Etiam hîc malum Majorum exemplum, innumerabiles infirmos, in scelus impellit : propter hoc *potentes potenter tormenta patientur.* *Sap. 6. 7.*

In omnem partem præsidum facta prævalent : si mala sunt, omnes malos esse permittunt, immo etiam cogunt, si autem bona sunt, omnibus quoque virtutis canonem, immo necessitatem imponunt.

XXXI. Pilatus timet Cæsarem, nisi damnet Christum.

Timor humanus, & respectus humanorum judiciorum, studium placendi, & gratiam favoremq; aliorum acquirendi, vel conservandi, gravissima est, communissimaque hominibus tentatio : cui non succumbere tam difficilè quàm rarum est ; unde nullus est Deus, qui frequentiùs ab hominibus adoretur, & à pluribus, etiam aliâs veri Dei cultum professis colatur, quàm idolum respectuum humanorum, quàm Deus qui vocatur. Quid dicent? In cultum hujusce Dei, Christus cecidit victima.

Quantas subeant jacturas bonorum suorum, æternorum inprimis, mortales miseri propter respectus, & metus, & spes humanas ; & hoc Pilati exemplum, & innumera alia satis ostendunt. Poterat enim Pilatus, si voluisset tenere constantiam, ipsius Dei servatoris, servator esse, quod tamen amisit, quia in veritate non stetit, neque justitiam quam bonis exordiis cœperat servavit. Hæc infelicium in bono infirmitas, ad malum autem sectandum assiduitas : stimulo esse justis deberet, ut simili in oppositum ratione connitantur ; ut nimirum timores hominum & respectus, susque deque habeant ; in bono autem

no autem, immoti semper consistant, & Dei gratiæ, gloriæ, voluntatis, injuriæ, præmiorum, suppliciorumque respectu, spe, metu, studio solidissimo teneantur. Turpe est enim constantiùs ab improbis idolum respectuum humanorum adorari; quàm à piis verum Deum coli, plusque percelli improbos timore vano ad perniciem, quàm justos timore Divino ad salutem.

XXXII. Sanguis ejus super nos, & super filios nostros.

Furoris, odii, pertinaciaque immanitatis, nullibi post natos homines speculum spectaculumque editum majus reor, quàm in hoc populi Iudaici contra Christum effero clamore.

Vtinam verò eandem sibi familiarem vocem faciat Charitas piorum, faciat gratitudo redemptorum. Quid enim vel à scelere nos revocet, vel ad virtutem provocet efficaciùs: quàm si perpetuò in memoria retineamus, quia sanguis IESV est super nos, &c. Hæc vox zelum omnem acuet, hæc vox labores omnes dulces reddet: hæc difficultatum omnes asperitates complanabit, hæc vox omnium proximorum salutem animasque nobis pretiosas faciet: quoniam sanguis IESV super nos & super filios, fratres, proximos nostros.

XXXIII. Condemnatur IESVS ad Crucis mortem.

Quoties consentimus in peccatum, toties damnamus IESVM, & adjudicamus fieri petitionem tentationum, tradimusque illum voluntati dæmonum, ut crucifigatur.

Condemnemus etiam aliquando nosmetipsos, nostrasque cupiditates ad Crucem, & abnegationem, & mortem spiritualem: adjudicantes de nobis, & iniquitatibus, ac voluntatibus nostris fieri petitionem Dei, tradamusque nos totos Voluntati & Gratiæ Divinæ.

XXXIV. Bajulat Crucem IESVS sibi in montem.

Ita conditi sumus: ut crucem bajulemus: sed hoc faciunt alii, fugiendo, odiendo, excutiendo, calcandoque crucem, recalcitrando contra crucem, per impatientiam, immodestiam, superbiam, præsumptam innocentiam, rebellemque proterviam: quod est nihil aliud, quàm cruci addere crucem, & quidem gravi graviorem.

Portant alii Crucem exultando, & triumphando, & gloriando in tribulationibus, exaltando Deum in afflictione,

facientes proventum cum tentatione: at horum exiguus est numerus: & soli isti ad montem bajulant Crucem. His tamen vicini sunt, qui estò gementes, attamen modesti, & humiles & absque murmure subjiciunt se Deo, & tollunt Crucem suam quotidie, & animas suas possident in patientia.

XXXV. Vinum felle myrrhâque mistum.

Non debuit gula, seu gulositas, intemperantiaque nostra in cibis & potibus sumendis esse impunita: quæ januam scelerибus ruinæque nostræ aperuit: ergo felle & myrrhâ purgatur in IESV, cui morituro vinum felle myrrhâque mistum porrigitur. Sed & quicunque benefacta corrumpunt malis admistis circumstantiis, morâ scilicet, acediâ, inobedientiâ, impatientiâ, complacentiâ, hi quoq; vinum felle myrrhâq; infectum Christo propinare noscuntur.

Bonum ex integra causa cùm sit, justè quod justum est persequendum, & bonum optimè peragendum est. Deus enim non usque adeò, quid faciamus, sed quomodo, & quanto cum affectu, quanta cum perfectione charitatis, quanto cum fervore exactionis faciamus, attendit & persolvit.

XXXVI. Vestium detractio, divisio, sortitio.

Detrahunt vestimenta Christo, eaque partiuntur sibi: *quicunque* gloriam debitam Deo arrogant suæ propriæ vanitati. *quicunque* opera Dei suæ appingunt industriæ. *quicunque* in patrimoniis sanguine Christi respersis & partis lasciviunt, superbiunt, aut de iis prædas rapinasque agunt. *quicunque* Charitatem & unionem communem inter fratres, & pacem habentes jactis improbè discordiis discerpunt. Postremò *quicunque* in pauperes Christi duri & avari sunt.

Non infructuosa sunt vestimenta IESV: operiunt illa calefaciuntq; nuditatem, & geliditatem nostram, quin & ornant nos, & odorem nostri suavissimum coram Patre cœlesti spargunt: quin etsi quis vel tetigerit ea, statim sistit fons sanguinis nostri. O IESV largire nobis hæc vestimenta tua, aut tu Mater, quæ apud te domi habes indumenta fratris nostri, Filii tui, valde bona, indue nobis, & indutos introduc in conspectum cælestis Isaaci, cum escis quibus libenter vescitur. Vestes Christi, merita Christi. Escæ Patri cælesti gratissimæ, Imitatio IESV Christi: induamus Passiones & mores meritaque

taque Christi, & erimus acceptissimi in conspectu Patris æterni.

XXXVII. Crucifixio Iesv.

Ergo hunc messuit Iesvs pro omnibus bonis suis laboribusque fructum: tandem enim tandem crucifixus est, ab iis quos beneficiis suis non tantùm cumulaverat, sed etiam quos beneficiis suis esse fecerat. O ingratitudo, tu es continuata crucifixio, tu Crux perpetua Christi; A lignea illa trabe aliquando depositus est Christus mortuus: ab hac ingratitudinis nostræ Cruce; nec gloriosus, nec beatus, esse liber potest. Propter quod etiam nostra in Christum ingratitudo omnem nobis divinæ liberalitatis fontem obstruit.

Ore & corde non desunt qui compatiantur Christo, sed qui cum Christo cruci configi, qui stigmata ejus in corpore, & in spiritu portare desiderent, ac re ipsâ portent, horum exiguus est numerus: perfecta & jugis mortificatio, tam paucos habet sectatores, ut omnes una crux capere possit.

XXXVIII. Christus inter latrones medius.

Malorum conversationi, & cum peccatis alienis communicationi hanc pœnam deberi indicavit Sapientia incarnata, ut inter medios latrones ipsa sibi crucem defigi eligeret. Et revera nulla unquam malorum societas sinè cruce Christi esse potest: nisi enim Christum crucifigeret, mala non esset.

Si latrones medium habent Iesvm: nullius ergo desperanda est salus & emendatio. Novit Dominus qui sunt ejus: etiam in patibulis electos habet, etiam ibi eos quærit, & apostatantibus, inque proditores degenerantibus discipulis illos substituit, atque de latronibus martyres facit. O Beatum te latro, qui prædabaris nuper, jam ipse in prædam Christi cessisti.

XXXIX. Iesvs crucifixus blasphematur ab omnibus.

Effera crudelitas & immite cor ad condolendum afflictis, insultatio etiam & exultatio in aliorum, estò auperum, estò inimicorum calamitatibus, detractio & irrisio virtutis alienæ: non aliorum sunt propria quàm crucifixorum Christi: perinde enim sunt acerba coram Deo, ut istæ insultationes Iudæorum & gentilium fuêre Christo.

Vt discceremus non exambire compassiones in nostris acerbitati-

bitatibus: ut autem compati consuescceremus aliis in suis adversitatibus: hæc improperia pati cum humillimo silentio voluit Dominus & Magister noster IESVS: Sicut enim vulnerat Christum, qui afflictum exacerbat ludibrio proximum, ita medicinam & solatium exhibet Christo, qui compati in malis posito novit proximo.

XL. IESVS pro inimicis orat Patrem.

Hac oratione omnes iras, odia, vindictasque jugulavit Dominus.

Eâdem oratione veram charitatem inimicorum, quorum peccata etiam excusare non est gravatus, & super quos mansuetissimæ protectionis suæ nubem contra furorem Dei expandit, nobis ita Dominus indixit, ut luculentiore præcepto non potuerit.

XLI. In siti IESVS potatur aceto.

Dum bona malè facimus, tunc Christo acetum in siti propinamus. Malè autem bona fiunt, quando ægrè, tardè, repugnanter, oscitanter, ex usu, perfunctoriè, ad oculum, metu pœnæ fiunt.

Omnia nostra opera acetum sunt, & in Domini mensam inferri digna minimè sunt, si non condiuntur Dei voluntate, meritorum & charitatis Christi, atque fraternæ dulcedine.

XLII. IESVS à Patre derelictus.

Pusillanimitatis nostræ malo, à sua Dominus derelictione medicinam paravit: fecitque ac obtinuit, ne quis se à Deo derelictum queri posset. Itaque neminem deserit Deus: nisi ipse desertus sit à nobis.

Credamus & fidamus Deo, illique causas nostras committamus ex animo, & ipse faciet, quod voluntatis voluptatisque suæ, nostræ autem salutis esse sciverit. Nunquam enim deserit nos & nostra Deus, nisi priùs nos fiduciam & spem sustinentiamque nostram in ipsum amiserimus.

XLIII. Consummatis omnibus moritur IESVS.

Peccatum cùm consummatum fuerit generat mortem, tam peccatoris, quàm Christi; non enim moreretur peccator, nisi moreretur simul Christus, nec Christus moreretur, nisi priùs moreretur peccator; propterea contestatur Dominus, nolle se mortem peccatoris, sed ut vivat: ut sic etiam simul ipse cum eo vivere possit.

Nemo

Nemo speret mortem in Domino, nisi consummaverit omnia quæ Divini placiti sunt. Monitum Domini est. *Cùm omnia feceritis quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus.* Mortui sumus, mortui nobis, viventes Deo, ô amare; ô ire, ô sibi perire! ô ad Deum pervenire!

XLIV. Vulneratur in latere, & corde IESVS.

Qui peccatum peccato addit, is quasi jam mortuo IESV insuper latus & cor ferit.

Qui post peccati mortem ad pœnitentiam compungitur, is mortui IESV cor aperit, unde vivificetur.

XLV. Deponitur IESVS de Cruce, & ungitur.

Qui aliorum peccata, quæ vel ex officio, vel ex charitate sanare, aut ut sanarentur ab aliis, suâ manifestatione facere poterant, celando & excusando incurata relinquunt: quid aliud agunt, quàm occisum Christum de Cruce deponentes ungunt? crudeliter misericordes: qui perdere malunt palpando, quàm sanare lædendo.

Deponunt de Cruce IESVM & ungunt, illi, qui infirmum fratrem mansuetudine & charitate fovent, & in spiritu lenitatis instruunt ac sanant. Veri Samaritani ad instar: oleum vinumque affundentes, & curam vulnerati gerentes.

XLVI. Sepultura IESV.

In petra IESVM sepeliunt, advolutoque lapide claudunt & abeunt: qui postquam in profundum peccatorum venerunt, contemnunt, & duro impœnitentique corde, omnem correptioni, & correctioni spem, viamque obstruunt.

IESVM in petra sepeliunt: qui quotidianis pœnitentiæ operibus præteritas culpas ab oculis Dei abscondunt: quique constantiâ virtutis, & perfectionis solidæ, semel adeptam IESV possessionem, sese ad gratiam consummatæ perseverantiæ Deo disponunt.

MODVS XXV.

VIgesimus quintus modus Dominicam Passionem meditandi est; Constituere sese coram Dei Iudicio, audireque accusationem sui, quam contra se instituat vel propria conscientia, vel aliqua alia creatura, una, vel plures: objecta porrò sibi Anima diluat sanguine, vulneribus, doloribus, meritis,

virtutibusque IESV Christi Domini sui Patientis pro se. Elegantem formam talis meditationis legimus in libro revelationum sanctæ Mechtildis: quam ipsis verbis, quæ ibi sunt, describo.

Lib. 1. Cap. 2. Revelat. seu Spiritualis gratiæ fol. 50.

[Cùm esset Beata Mechtildis in recordatione, quòd Christus horâ primâ Præsidi judicandus adstitisset, dixit ad eam Dominus. Veni mecum ad judicium, & assumens eam ante Patrem suum Cœlestem, statuit eam secum. Tunc omnes sancti, cum omnibus creaturis super eam sunt conquesti. *Seraphim* accusabant eam pro eo, quòd divinum amorem, quo in corde fuerat accensa, sæpe in se per tepòrem extinxerat. *Cherubim* proclamabant eam, eò quòd secundùm lumen Divinæ cognitionis, quo præ cæteris illuminata erat, non se regebat. *Throni* conquesti sunt, quòd pacatissimum Regem eorum, qui thronum suum in ea firmaverat, sæpe inutilibus cogitationibus inquietando turbasset. *Dominationes* dicebant quòd Regi & Domino Deo suo, se cum debita reverentia non subdidisset. *Principatus* Conquerebantur, quòd Divinam nobilitatem, quâ ad Dei imaginem factâ est, nec in se, nec in aliis esset venerata. *Potestates* accusabant eam, quòd se Divinæ Majestati cum tanta reverentia & tremore, ut dignum fuerat non inclinasset. *Virtutes* Conquerebantur, quòd se in virtutibus sanctis debito modo non exercuerat. *Archangeli* dicebant, quòd suavi Dei colloquio, prout debuit non intendisset, nec per Angelos, qui ei ministri deputati sunt, suavia & amatoria susurria ad dilectum suum direxisset. *Angeli* querulabantur quòd eorum ministerio indignè uteretur. *Beata Virgo* MARIA conquerebatur, quòd dulcissimo Dei filio, quē sibi genuerat, infidelis exstitisset. *Apostoli* clamabant, quòd eorum doctrinam, diligenti studio non fuisset secuta. *Martyres* dicebant, quòd impatienter pœnas & infirmitates in vita sustineret. *Confessores* eam accusabant, quòd in Religione & in spirituali exercitatione negligenter egisset. *Virgines* querulabantur, quòd tam amantissimum sponsum totis viribus non amasset. *Omnes Creaturæ* simul conclamabant, quòd eis indignè usa fuisset. Tunc benignissimus IESVS dixit ad Patrem. De omni querimonia ei objecta, ego ad singula pro ea respondebo, quia ejus amore me fateor captum.

Cui

Cui Deus Pater dixit. Et quid te ad hoc coëgit? Respondit, mea electio, qui eam ab æterno mihi prælegi. Tunc Anima confidens de gratia tanti fidejussoris sui, confidenter accepit eum inter brachia sua dicens ad Patrem. Ecce præsento tibi Pater colende, humillimum Filium tuum, qui Tibi plenè pro me persolvit, quidquid deliqui per superbiam. Ecce præsento Tibi etiam Filium tuum mansuetissimum, qui pro me satisfecit quidquid peccavi per iram. Præsento etiam Tibi Filium tuum amantissimum, qui est amor cordis tui: qui plenè supplevit, quidquid deliqui odio. Largiflua ipsius liberalitas, omne quod Avaritia peccavi, exsolvit. Sanctissimum ejus studium, Acediam meam, emendavit. Summa ejus abstinentia, omnem Intemperantiam meam supplevit. Ejus innocentissimæ vitæ Puritas, exsolvit pro me, quod malis cogitationibus, verbis, vel factis deliqui. Ejus summa Obedientia, quâ factûs est Obediens usque ad mortem, omnem Inobedientiam meam delevit. Ejus deinde Perfectio omnem Imperfectionem meam excusat. Esto igitur sancte Pater Placabilis super nequitia mea, tantæ placationis receptâ hostiâ, & clementi pietate indignationem tuam averte à me, & recipe me, in gratiam sempiternam.] Hucusque Beata Mechtildis, cujus ad instar, etiam perfectissimus quisque meditationem de Passione instituere ex eaque patrocinium in Iudicio Divino sibi assumere, ad virtutemque & omnis Perfectionis studium, stimulos sibimet addere poterit: quòd multò etiam utilius facient imperfecti & peccatores in bonum animarum suarum, ut pote qui in sese longè plus materiæ reperient accusationis, & Iudicii apud Deum, si noluerit mentiri, aut blandiri iniquitas sibi.

MODVS XXVI.

VIgesimus Sextus Passionem Dominicam meditandi Modus: conferre atque contraponere Christi Domini exinanitiones & humiliationes, & Passiones pro nobis susceptas, & ex nostro mutuatas, ejusdem dignitatibus, majestatibus, plenitudinibus ex suo, hoc est, ex Divinitate habitis, atque ex hac collatione, seu contrapositione multiplices Fidei, Spei, Fiduciæ, Venerationis, Exaltationis, Dilectionis, Gratulationis,

Admirationis, Gratiarum actionis, Supplicationis, Exultationis, Imitationis, similesque alios affectus haurire.

Collationis, contrapositionisque hujus specimen ostende in Gregorii Nazianzeni Oratione 4. quæ est de Filio, 1. ubi totam ferè Christi vitam mortalem, & non tantùm Passionem, tali contrapositione cum gloriis ejusdem decurrit. Verba ejus sunt.

[Vt uno, rem omnem, capite complectar, quæ sublimiora
» sunt Divinitati ac naturæ affectionum, & corporis experti, ac-
» comoda: humiliora composito, ac tuâ causâ inanito, & in-
» carnato, immo etiam homini facto, ac deinde exaltato, ut
» carnalibus tuis humoque affixis doctrinis eversis, sublimior
» esse, & cum Divinitate sursum contendere discas, neque rebus
» sub aspectum cadentibus inhæreas, sed in altum cum iis eve-
» haris: quæ mente considerantur, & quæ naturæ, quæ admini-
» strationis Christi ratio sit cognoscas. Fuit enim aliquando
» quum is ipse, qui nunc abs te contemnitur, supra te esset, qui
» nunc homo est, etiam non compositus aliquando erat. Quod
» erat permansit, quod non erat assumpsit. Erat in principio,
» & quidem sinè causa: quænam enim Dei causa fuerit? Nihilo-
» minus etiam posteriùs natus est, propter quandam causam: ea
» verò erat, ut tu salutem consequereris, qui contumeliâ ipsum
» afficis, quique propterea Deitatem contemnis, quòd molem
» tuam in se receperit, per mentem intermediam, contubernio
» quasi carnis usus, & factus homo Deus ille inferior. Etenim
» temperamento quodam coaluit cum Deo, & factus est unus,
» cùm vicisset illud, quod erat præstantius, ut & ipse tantumdem
» Deus fiam, quantùm ipse factus est homo. Natus quidem est,
» sed idem etiam genitus erat; de fœmina quidem, sed eadem
» virgine: hoc humanum, illud divinum. Hinc Patris expers
» est, illinc Matris, totum hoc Divinitatis. Materno quidem
» utero gestatus est, sed idem agnitus à Propheta, qui & ipse ma-
» terna in alvo gestaretur, quasique prosiliret coram Salvatore,
» propter quem factus erat. Fasciis est involutus, at idem re-
» monstratus à sidere, à Magis cultu adorationis affectus. So-
» lum quidem vertit in Ægyptum fugiens: sed idem Ægyptiis
» propria (idola) velut in exilium abigit. Nullam neque spe-
» ciem, neque pulchritudinem apud Iudæos habebat, verùm

Davidi

Davidi venustus erat formâ, supra cæterorum hominum liberos, verùm in monte fulget, Heliâq; fit lucidior, hoc ipso nos arcanè deducens ad id quod futurum erit. Baptisatus quidem est ut homo: sed idem peccata solvit ut Deus: non quòd ipse lustralibus aquis egeret, sed ut aquas sanctificaret. Tentatus est ut homo, sed vicit ut Deus, sed fidenti ut animo simus hortatur, quòd mundum vicerit. Esuriit, sed idem aliquot millia pavit, sed panis vitalis & cælestis est; sitivit, sed clamavit idem, si quis sitit accedat ad me & bibat, quin etiam promisit futurum, ut ex credentibus fontes scaturiant. Fessus fuit; sed idem fatigatorum & oneratorum est requies. Somno gravatus fuit: sed in mari fit levis; at increpat ventos: at Petrum efficit levem, cùm jam mersatur. Dat vectigal, sed de pisce sumptum, sed imperat iis, qui vectigal ab ipso poscebant. Samaritanus audit, & obsessus à dæmone, sed idem servat eum, qui Hierosolymis descendebat, inque latrones inciderat: sed idem à dæmonibus agnoscitur, dæmones abigit, legionem spirituum mergit, fulguris instar Principem dæmonum cadentem videt. Lapidibus petitur, sed non capitur. Orat, sed idem exaudit. Lacrymatur, sed idem lachrymas sistit. Interrogat ubi situs esset Lazarus, erat enim homo: sed idem Lazarum resuscitat, erat enim Deus. Venditur, & quidem vili admodum pretio, triginta scilicet argenteis, sed idem mundum redimit, at magno sanè pretio, proprio nimirum sanguine. Tanquam ovis ad jugulationem ducitur, sed pascit Israëlem, & quidem modò universum orbem. Vt Agnus mutus: sed idem sermo est, per vocem clamantis in solitudine annuntiatus. Languorem sensit, vulneratus est: sed idem morbum omnem, omnem languorem curat. In lignum attollitur, affigitur, sed idem nos ligno vitæ restituit, sed latronem secum in crucem actum servat, sed tenebris involvit, quidquid usquā cerneretur. Acetum potûs, fel cibi loco accipit: at quis? is ipse, qui aquam in vinum commutavit, qui gustum amarum sustulit, dulcitudo ipsa, totusque desiderium. Tradit animam, sed potestatem habet rursus eam sumendi: sed velamentum scinditur (nam supernа nobis ostenduntur) sed saxa rumpuntur, sed mortui ante tempus resuscitantur. Moritur, sed idem vivificat, ac morte mortem destruit. Sepelitur, sed idem resurgit. Ad inferos

descendit: sed idem animas sursum ducit, sed in Cælos ascendit, sed veniet ad judicandos vivos ac mortuos.] Hucusque Nazianzeno digna verba, cujus sanctissimi Patris ad instar, devotus Passionis Dominicæ Meditator, omnes & singulas Christi dolentis & morientis miserias, per succedentes ac (ut Beatus Petrus loquitur) posteriores glorias, poterit veluti adimplere, seu adimpletas à Patre æterno gaudere, atque congratulari, quin etiam pro sua parte, tam suo, quàm omnium hominum, immo creaturarum nomine, affectuque partim quidem de miseriis compati, partim vero de gloriis congaudere, gloriasque cumulare, iisque miserias veluti compensare ac rependere, quin etiam (exemplo Apostoli Pauli) suis passionibus easdem adimplere, venerari, honorare, remetiri, prout unctio spiritûs meditatorem pleniùs edocebit.

1. Pet. 1. 11.

Coloss. 1. 24.

MODVS XXVII.

Vide supra modum. 6. Med. 4. Parte introd. §. 3.

VIgesimus septimus Passionem Christi meditandi modus est: per applicationem sensuum internorum animæ nostræ, ad singula Passionis Dominicæ mysteria. Dabo hunc modum, ipsis sapientissimi Patris Ludovici de Ponte verbis, qui eum sufficienter explicat his verbis. [*Primùm* Oculis Animæ aspiciendo externam Christi Domini figuram, omnes ad compassionem permoventem: & simul interiorem Animæ ejus figuram, ex una parte adeò pulchram, ex altera adeò afflictam, & admirabor dolens, quòd *qui est splendor gloriæ Patris, & figura substantiæ ejus*, sit ob mea peccata ita deformatus. *Deinde* Audiendo interne blandâ illa, & amore plenissima hujus Domini verba, clamores item duros adeò, & furiosos inimicorum ejus contra ipsum, strepitum colaphorum, flagellorum ictus, & malleorum, ut sentiam in corde meo, quod sensit Christus in suo. *Tertiò* Interno odoratu percipiendo tam fætorem peccatorum, quæ mortem summo huic sacerdoti attulerunt, quàm sacrificii suavitatem, quòd ipse pro illis obtulit, & virtutum, quas ipse exercuit in hac adeò pœnali sua Passione; simulque perpendam, quâ ratione Æterni Patris ira fuerit hujusmodi sacrificio placata, qui in hujus reconciliationis signum, non jam arcum suum in nubibus, sed proprium filium arcûs instar in cruce extensum posuit, pluentem

Heb. 1. 3.

tem sanguinem, in signum fœderis inter se & terram. *Quartò.* Gustando etiam amaritudinem, & fel illud Christi Domini, acerbitatem & mœrorem ex eis persentiendo, atque si corpore illa degustarem; Gustando item dulcedinem ilius Amoris, quo omnia illa tolerabat, & quam Deus iis confert, qui aliquid amoris ipsius intuitu perpetiuntur. Et vehementer admirabor in tanta amaritudine, tantam esse Amoris dulcedinem. *Quintò.* Demum interno Animæ tactu, contingam horrenda illa Passionis Christi instrumenta, rigorem & asperitatem funium, flagellorum, spinarum, Crucis, & clavorum, sentiens spiritu totum id, quod ipse Dominus in corpore sensit, & affectus eliciens, qui ex hujusmodi sensibus solent provenire.] Hactenus verba Ludovici, apud quem etiam fusior praxis ejus meditandi modi videri potest, eâdem Parte 4. Medit. de gestis in horto. *Gen. 9. 13.*

MODVS XXVIII.

VIgesimus octavus modus Passionem Dominicam meditandi est: Assumere aliqua congrua sacræ scripturæ verba, ad eaque Passionem Christi reducere, & secundùm latitudinem sensûs, quem verba assumpta pati commodè possint, omnem Passionem considerando decurrere, piosque ac utiles & devotos affectus elicere atque depromere. Ejusmodi verba sententiæque esse possunt.

I. *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet*] viride, florens, fructiferum, de Cælo radicem trahens, insitum ipsi Divinitatis glebæ: plantatum atque insitum Verbum à spiritu sancto Christus est. In eo fecerunt quæcunque voluerunt: tam qui eum amaverunt, ut Pater Æternus, quàm qui oderant, ut dæmones & impii homines. In hoc viridi ligno faciunt hæc, quæ totius Passionis series historiaque clamat: hæc quæ in horto, hæc quæ in captivitate, hæc quæ in domo Annæ, hæc quæ apud Caipham, apud Pilatum, apud Herodem, apud columnã, hæc quæ in spinea coronatione, quæ in condemnatione, patibuli bajulatione, crucifixione, in Cruce facta esse scimus. Si ergo hæc tanta, tam dira, & fera immaniaque in viridi & innocenti, & innocentia sanctitateque ipsa faciunt, facit Iustitia, facit Misericordia, facit sapientia, facit Charitas, facit Bonitas

nitas Dei; facit malitia, invidia, odium, furor Iudæorum & gentilium; facit culpa originalis & actualis omnium hominum. In arido ligno, in Synagoga, in uno quoque impio, in omni cœtu impiorum, quid fiet? Aspice ô homo agonisantem, & sanguineo sudore ac rore stillantem IESVM, & dic tibi ipsi; si hæc in viridi ligno, Redemptore, ac Deo meo Christo; in me arido, sterili, mortifero, pestilentique ligno, carduo, spineto, ramno, quid fiet? & sic deinceps meditationis filum protrahere licebit.

II. *Nolite flere super me, sed super vos ipsos flete*] Christus hæc loquitur omni Animæ, omni homini, iusto simul ac peccatori. Cogitas Christum in tœdio, pavore, mœstitia, usque ad mortem positum, audi illum tibi dicentem: Noli flere super me, sed super te ipsum fle. Super te, qui causam tantis angustiis meis dedisti olim, & adhuc dare non desinis, super te ingratum, super te indignum, super te mala pro bonis retribuentem, super te, in obsequio meo, tam rarum, parcum, tepidum, super te tantis meis sumptibus emptum, ablutum, sanatum, super te tanto labore quæsitum, & à perditionis æternæ faucibus erutum. Et sic per reliqua Passionis Christi puncta procedendum erit.

III. Par Meditatio Passionis Dominicæ fieri potest, super illa Pilati ad Christum verba. Quid feciſti?

IV. Item super illa ejusdem Pilati ad Populum de Christo. *Ecce Homo.*

V. Item super illa Christi Domini ad Nicodemum. *Sic Deus dilexit mundum.*

VI. Item super illa etiam Christi. *Vt cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.*

VII. Item super illa Christi quoque verba. *Ego sum Pastor bonus, & animam meam pono pro ovibus meis.*

VIII. Item super illa unica Christi Domini voce. *Sitio*; quam à Christo pronuntiari cogitare licebit ad singula Passionis Puncta. Sinè dubio enim quidquid Passus est Christus in Corpore, & in Anima, totum ex immensa quadam siti passus est. Siti inquam Gloriæ Paternæ, siti explendæ voluntatis ejus omnis. Siti satisfaciendi Iustitiæ Dei ad æqualissimum redundantemque rigorem. Siti abolendi peccati omnis. Siti tollendæ

lendæ omnis inter cælum & terram, inter Deum & homines dissensionis. Siti redemptionis, sanctificationis, ablutionis, sanationis, ditationis, beatificationis nostræ. Siti demonstrandæ & effundendæ in nos bonitatis, miserationis, charitatisque suæ. Siti explendæ cupiditatis suæ, quâ ardebat ad humiliandum exinaniendumque se propter nos, ad saginandam quoque patientiâ interiùs & exteriùs, charitatem suam, tam erga Patrem æternum, quàm erga nos. Siti denique exhibendi nobis omnimodi, omnium heroicarum virtutum, exempli, relinquendi quoque nobis quàm copiosissimi inexhaustissimique meritorum suorum, & beneficiorum thesauri. Hanc sitim omnem prævíam præducemque Dominus IESVS secutus est in omni puncto Passionis suæ. Hac siti arctatus dicebat aliquando suis. Baptismo habeo baptisari, & quomodo coarctor usque dum perficiatur?

IX Par Meditatio fieri potest super illa Christi ad discipulos verba. *Potestis bibere calicem, quem ego bibo?*

X. Par item fieri potest super illa Christi ad Matrem sub Cruce sua stantem. *Mulier Ecce Filius tuus.* Potest enim quælibet anima seu justa, seu peccatrix, cogitare sibi dici à Christo Patiente quodlibet doloris genus. Mulier, Anima, Ecce Deus, ecce Redemptor, ecce Frater, ecce Sponsus, ecce Amator, ecce Dilectus, ecce Pater, ecce Medicus, ecce Dominus, ecce Rex, ecce Iudex, ecce Fidejussor, ecce Exemplar, ecce Pastor tuus, ecce in agonia, ecce in sudore, ecce ad osculũ Iudæ, ecce in vinculis, ecce in flagellis, ecce in spinis, ecce sub Cruce, ecce in Cruce, ecce mortuus, ecce sepultus, &c.

Horum ipsorum verborum Christi ad suam Matrem meditatione uti quispiam commodè potest, in recogitatione dolorum Piissimæ Christi Matris, si nimirum decurrens ac designans singulos Passionis Christi articulos, eosdem, vel potiùs Filium in iisdem positum ostentans Matri dolorosæ dicat. Mulier, Ecce Filius tuus. Quo genere meditationis dolorum tam Christi, quàm Matris ipsius usum quempiam fuisse, & nunquam à devotissimis lachrymis abstinere se potuisse, testis est Ludolphus Carthusianus celebris vitæ Christi meditator.

Posset quoque eorundem verborum usus esse, in Meditatione Passionis Christi, ad Æternum Patrem ea referendo, & di-

cendo, Pater Æterne; Ecce Filius tuus: ille unigenitus, ille consubstantialis, ille Deus de Deo, ille splendor gloriæ, & figura substantiæ tuæ: in tanta abjectione, in tanta obedientia, in tanto dolorum mari, in tanto crucis probro. Ecce Filius tuus.

Vide Car. Scribanũ in Christo Passo ad finem.

Plures ejusmodi ex scripturis sacris (aut etiam ex Patribus sanctis) desumi possunt sententiæ, omnibus Passionis Dominicæ particulis substernendæ per meditationem. Verùm hasce Paradigmatis causâ attulisse sufficiet.

MODVS XXIX.

VIgesimus nonus Passionem Christi meditandi modus est: assumere varias figuras veteris testamenti, in quibus est Christi Passionis veritas adumbrata, & quarum adumbratio est veritate Passionis Dominicæ ad vivum expressa. Exploratissimum quippe est, totam Christi vitam, potissimùm verò, Passionem in gestis veteris Ecclesiæ, omnino fuisse delineatam, adeò, ut inter causas mortis suæ, ipsemet Christus, eam quoq; non semel numeraverit: adimpletionem scilicet scripturarum. hoc est figurarum, & Prophetiarum in scripturis antiquis præmissarum. Vt alia verba Christi non recenseam: sufficit adduxisse illa Domini verba ad Petrum ante Passionem dicta. [*Quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri.* Et illa ad discipulos post resurrectionem. [*Nonne hæc oportuit pati Christum & ita intrare in gloriam suam: Et incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant.*] Cùm ergo plenæ sint veteres scripturæ Christo: & omnes omnem ejus vitam, doctrinam, mores, opera, Passionem, mortem, resurrectionem, Ascensionem, Ecclesiam, & Ecclesiæ regimen loquantur, commodè simul ac facilè possumus Passionem Christi veram in figuris veteribus elegantissimè delineatam scrutari: spectare, ac meditari. Dabo ejus rei paucula Paradigmata: quorum ad instar devotus meditator reliqua colligere poterit.

Matth. 26. 54.

Lucæ 24. 26.

Gen. 37. 28.

I. Ioseph, filius Iacob Patriarchæ, odio fratrum suorum, operâ & consilio potissimum Iudæ, venditus, in Ægyptumque ductus: evidenter Christum, ab Iuda discipulo hostibus suis venditum figuravit.

II. David Rex fugiens ex Ierusalem à facie Absalonis Filii, eiq́ue adhærentium conjuratorum, torrentemq́ue Cedron transiens: Christi Domini, ex eadem urbe, trans eundem torrentem, cum discipulis egredientis, tumultum & turbam ciente Iuda, atque cohortes & ministros ad comprehensionem Domini Patrisq́ue sui congregante, manifesta figura fuit. *2. Reg. 15. 23.*

III. Iacob totâ nocte colluctans cum Angelo, roburq́ue contra metum Esau fratris sui ab oratione accipiens, figuravit Christum orantem in horto, ubi & apparuit ei Angelus confortans eum. *Gen. 32. 24.*

IV. Ioab Amasæ obvians, eumq́ue osculans, &, salve mi frater compellans, interim tamen gladio confodiens: Iudam proditorem Christi per osculum, & per vocem, Ave Rabbi, luculenter expresit. *2. Reg. 20. 9.*

V. Samson à Philistæis captus, vinctus, excæcatus, ludens coram Principibus, graphicè Christum captum ab Iudæis vinctum, ad Principes Sacerdotum adductum, ibi oculis velatum, varièq́ue indignissimis modis illusum, & blasphematum depinxit. *Iud. 16. 25.*

VI. Iob à vertice capitis ad plantam pedis ulcere pessimo percussus, vulnere super vulnus concisus: viva fuit imago Christi flagellati adeò immaniter, ut multis vulnerũ millibus conscinderetur, ut non tam flagellatus, quàm aratro aratus, instarq́ue terræ, sulcis prolongatis, dissectus esset. *Iob. 2. 7.*

VII. Aries hærens cornibus inter vepres: à Patriarcha Abraham, pro Isaac immolatus, Christum spinis coronatum expresit. *Gen. 22. 13.*

VIII. David apud Regem Achis, pro insano & stulto habitus: Christi ab Herode Rege ejusq́ue exercitu illusi, inq́ue stultitiæ ejus signum albâ veste induti figura fuit. *1. Reg. 21. 13.*

IX. Salomon in die desponsationis suæ à Matre coronatus, & spectandus filiabus Ierusalem propositus, IESVM purpurâ indutum, spineo serto redimitum, sceptrum arundineum in manu gestantem, genu flexo, consputatione, alapis, Regiâq́ue salutatione illusum, à Pilato ad Populum cum illa voce; Ecce Homo, productum efformavit. *Cant. 3. 11.*

X. Isaac ligna in montem portans, super eadem à Patre immolandus, Christum bajulantem sibi Crucem, usque in eum, *Gen. 22. 6.*

Is.53. 8. qui dicitur Calvariæ locum, ubi à Patre Æterno, propter scelus populi sui erat percutiendus, atque mactandus, immo re ipsâ est mactatus: adeò vivis figuræ coloribus depinxit: ut etiam locus loco planè respondeat: in quo enim monte, & montis colle Isaac immolandus fuerat, in eo ipso Christus re ipsâ oblatus est.

Exodi 12. 8. XI. Agnus Paschalis anniculus, immaculatus, igni tostus, cum lactucis agrestibus, festinanter ad vesperam sacrificatus, & sinè ullius ossis confractione devoratus: universum Christi in Cruce cruentum sacrificium, sacrificii ritum, atque fructum etiam, planissimè delineavit.

Num. 35. 28. XII. Mors summi Sacerdotis: postquam revertebantur exules in Patriam impune: Christi mortem omni humano generi à Paradiso exulanti salutarem, Patriamque cælestem aperientem & restituentem demonstravit.

Gen. 2. 10. XIII. Quatuor fluvii de Paradiso egredientes, universamq; terram circumeuntes, ac irrigantes: Quatuor præcipua Christi in manibus pedibusque vulnera, quæ vivens subiit præsignarunt. Quinque autem Civitates refugii; quinque lapilli Davidici ad debellandum Goliam electi; quinq; vulnera Christi ostenderunt.

Num. 35. 11. 1. Reg. 17. 40.

Gen. 6. 16. XIV. Ostium in latere arcæ à Noëmo factum: vulnus lateris Christi figuravit.

Exodi 14. 22. XV. Mare rubrum per quod sicco vestigio filii Israël ex Ægypto versùs terram promissionis egressi sunt, Ægyptiis omnibus interim in mari demersis ac sepultis: Redemptionem nostram & salutem per Christi sanguinem nobis procuratam, omnem autem diaboli potestatem, omnem peccatorum nostrorum labem, in eodem sanguine sepultam & abolitã ostendit.

XVI. Omnes denique veteris testamenti victimæ; omnis tabernaculi Mosaici & templi Salomonici structura, figura, supellex, ipsissimæ Christi Domini Passionis & mortis imagines fuerunt: quarum omnium recensendarum hic locus non est. Recensentur earum non paucæ in toto super Passionem Dominicam Tractatu seu commentario: ad initium cujusque ferè Paragraphi, unà cum Prophetiis, quodlibet pæne Passionis membrum concernentibus, inde eas petere cuilibet licebit.

MO-

MODVS XXX.

TRigesimus Modus Passionem Dominicam meditandi potest esse, per modum experimentalis, desiderii, seu desiderati experimenti, practicæque, ac (quoad fas erit) realis communicationis Passionum Christi cum Christo, propter Christum. Est enim hic modus exercitii, tum naturâ suâ præclarissimus, Christoque optatissimus, tum nobis maximè necessarius, ac utilis, tum à spiritu sancto crebro commendatus. Disertè enim per Apostolum loquitur: Christo *in carne Passo, & vos eâdem cogitatione armamini: quia qui passus est in carne, desiit à peccatis: ut jam non desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est, in carne vivat, temporis.*] Et rursum. *Charissimi, communicantes Christi Passionibus gaudete, ut & in revelatione ejus gloriæ, gaudeatis exultantes.*] Et rursum. [*Christus Passus est pro nobis: vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Omitto alias scripturas. Eodem spiritûs sancti sensu Divus Bernardus loquitur. [Christi imitatio in laboribus & doloribus ejus; validissimum mihi argumentum est: quòd Passio salvatoris, & similitudo humanitatis, in meam transeunt utilitatem. Hic enim sapor, hic fructus est, & laboris & doloris.] Compati ergo Christo, maximum est hujus vitæ bonum nostrum, maximus Christi pro nobis Passi cultus, maximum ejus à nobis pro sua Passione atque morte præmium: proinde & præclarissimum nostrum hoc debet esse studium, unicumque exercitamentum, ut hoc nimirum sentiamus in nobis, quod & in Christo IESV. Cùm autem non semper liceat, nec omnino in nostra potestate sit revera tribulationes & Cruces, doloresque perpeti cum Christo, ac propter Christum: expedit pio & fideli Christi Crucifixi servo, ejusque Crucis Amatori, saltem per meditationem practicam, desideriaque viva, & quoad fieri potest experimentalia, immiscere sese quà corde, quà etiam corpore, quà imaginatione, quà sensu, quà mentis præparatione, quà etiam efficaci quadam applicatione Passionibus, laboribus, ignominiis, desolationibus, angustiis, universimque toti Cruci Christi. Cujus rei etsi quisque meliùs sibi effingere ideam poterit, aliquod tamen Paradigma proponere in præsenti libet.

1. Petri 4. 1.

ibid. vers. 12

1. Petri 2. 21.

Fer. 4. Hebd. Sanctæ paulo ante finem.

I. Sanctissima Trinitas, Pater, Fili, Spiritus sancte, unus Deus, qui nos per Passiones & tribulationes multas, currere ac pervenire vis ad bravium : placetque Tibi omnino, ut *delicati tui ambulent vias difficiles* : Et in exemplum eorum Deus-Homo ipse esse voluisti, teque Patientem nobis in formam proposuisti, ut sic *in Patientia nostra* laboraremus *possidere animas nostras* : afferremusque Tibi fructum tricesimum, sexagesimum, centesimum in Patientia, largire mihi nunc Domine gratiam & desiderium, & experimentum patiendi pro Te, & pro Domino, atque cum Domino nostro IESV Christo.

Lucæ 21. 19.

Lucæ 8. 15.

II. IESV Patientiæ sponse, Patiendi Magister, & Patientium Rex, qui voluisti per Patientiam intrare in Gloriam tuã ; infunde cordi omnium electorum tuorum, & meo, abundantem gratiam, efficax desiderium, constans & insatiabile experimentum patiendi omnia adversa, & amara tua, tecum, & pro Te, & da ut in me regnet Crux Passioque tua, & ego sim regnum ejus omnibus diebus vitæ meæ.

III. Pretiosissima Parens ac virgo MARIA, Martyrum Regina, Dolorumque Mater, & amaritudinum mare, cum omnibus Crucis Christi amatoribus, patiendique cum Tuo, & pro Tuo Filio, siti ac fame conspicuis electis, impetra & concede mihi gratiam, famem, sitimque omnimodæ Passionis pro Filio, & cum Filio tuo, Domino meo IESV Christo.

IV. Nunc igitur tuo Patientissime Domine IESV Christe adjutus auxilio, roboratus merito, inflammatus exemplo, colloco me in apice & excellentia omnium dolorum tuorum, externorum & internorum pro nobis, in tota quidem vita tua, sed præcipuè in tota Passione tua abs te toleratorum : in eo gradu, qui creaturæ in hac vita possibilis fuit ad tolerandum.

V. Colloco me Domine IESV Tecum in tuo illo statu, in quo fuisti tristans usque ad mortem : agonisans usque ad sanguineum sudorem, proditus ab immiti ingratoque discipulo, derelictus à discipulis, captus & ligatus à satellitibus, tractus & raptatus usque ad urbem cum omnibus indignitatum modis.

VI. Colloco me Domine IESU Tecum in vinculis coram Anna & Caipha, & toto inimicorum tuorum crudelium cœtu, in medio conciliabuli nequam, inter falsa testimonia, inter adjurationes, consputationes, colaphos, & alapas, inter tractiones,

ctiones, tunsiones, irrisiones, subsannationes, insultationes; inter omnia alia innumerè injuriosa studia improbissimæ hominum fœcis.

VII. Colloco me Domine IESU Tecum inter probra, inter contumelias, sannas, vituperia, inter rigidos & amaros affatus, sarcasmosque: inter indignas compellationes, inter sordida & inhonesta cognomina, inverecundos gestus, scurriles jocos, pudibunda ludibria, motus fœdè fractos, insanos cachinnantium clamores, improbissima illiberalissimaque dicteria.

VIII. Colloco me Domine IESU Tecum inter omnia illa, & in omnibus illis, quæ totâ illâ nocte, verè nocte, plùs quàm indignissimè passus es Dignissimus Deus, passus es fons omnis dignitatis Deus: passus es ipsa essentialis Dignitas Deus: & passus es ab impiorum indignissimis, ab indignissimorum impiissimis, à vilissimorum vilissimis. Eaque omnia mihi quoque assumo, & ea in me quoque cum tua gratia derivo, me his ingero, in his me Tecum esse cogito, imaginor, eligo, amo, desidero, posco, gaudeo, glorior, propter Te, toto me.

IX. Colloco me Domine IESU Tecum in judicio matutino, in quo rursus rigidè examinatus, injustè damnatus, denuo vinctus, & ad Pilatum raptus, illi oblatus, ab illo superbè cum supercilio discussus, ad Herodem tandem rejectus es.

X. Colloco me Domine IESV Tecum in viis Ierusalem, quas pertransisti, proh quantis indignitatibus, tumultuationibus, injuriarum variationibus, plenas & superplenas.

XI. Colloco me Domine IESU Tecum coram Herode, apud quem stetisti verecundus & tacens, accusatus constanter ab Iudæis, interrogatus levissimis à Rege sermonibus, irritatus & sugillatus ab ejusdem scurris & satellitibus, ab omnibus tandem spretus, illusus, pro stulto, fatuo, insanoque reputatus, ac veste fatuorum amentiumque indutus, Pilato demum denuo remissus es. Hæc omnia Domine, ærumnarum tuarum genera, mihi quoque assumo, mihi induo, in his me esse cogito, eligo, amo, desidero, gaudeo, glorior Tecum, propter Te, toto me.

XII. Colloco me Domine IESU Tecum denuo apud Pilatum, Tecum judicor, Tecum accusor, Tecum examinor, Tecum blasphemor, Tecum Barabbæ latroni, & seditioso insigni com-

componor, Tecum Barabbæ postponor, Tecum ad flagella denudor, Tecum ad flagella columnæ alligor, Tecum ad columnam virgis, flagris, loris, catenis, spinisque cædor, lividor, lanior, cruentor, vulneror, excarnificor, Tecum *castigatio mea in matutinis*, & flagellatio mea Tecum totâ die, seu quasi totius diei. Hoc Domine pati me cogito, imaginor, amo, desidero, peto, gaudeo, glorior Tecum, propter Te, toto me.

Psal. 72. 14.

XIII, Colloco me Domine IESV Tecum inter militum cohortem, purpureâ chlamyde indutum, spineâ coronâ redimitum, abjecto in trunco saxove obvio collocatum, arundineo sceptro illusum, genu flexo adoratum, alapisatum, ridiculum Regem illusoriè salutatum, facie consputum, in Regem denique ac virum dolorum transformatum, & sublatâ omni hominis specie atque formâ, Ecce Homo, quasi minimè jam esset Homo, furiosæ plebi demonstratum, denominatumque. O mi IESU! ô mi Homo! & vix jam propter me Homo: ecce & ego homo: ô si fiam Tecum & propter Te Tui simillimus, Homo? Ecce me talem esse, qualem Te video esse, Tecum cogito, amo, desidero, peto, gaudeo, glorior, statuo, toto me propter Te.

XIV. Colloco me Domine IESU Tecum coram Pilato metuente tumultum effrenatæ plebis, & metum suum faciente crimen tuum, audio sanguinolentarum belluarum cruentas voces contra Te, Tecumque contra me. Tolle, tolle, Crucifige eum. Audio sanguinem tuum unico haustu exsorptum; & tam sibi, quàm suæ toti posteritati ab infelici, ab ingrato, ab immani populo propinatum. Audio contra Te latum mortis verbum, audio Te traditum voluntati hostium tuorum, audio adjudicatum esse, ut de Te fiat satis petitioni inimicorum tuorum: audio de Te Majestatis Domino [Crucifigatur.] decretoriè esse pronuntiatum. Video Te Domine cruce onerari, onustum patibulo, foras produci, ad locum supplicii, ipsum supplicium Te bajulare, cum iniquis reputatum esse: aceto, felle, myrrhâque potari, in cruce expandi, Cruci clavis affigi, in cruce sublimari, medium latronum statui & pendere. Et hoc demum est Domine IESV, quod Tecum & pro Te, me esse cogito, imaginor, amo, desidero, peto, æstuo, sitio, efflagito, gaudeo, glorior, profiteor, debeo, debere volo, & gaudeo, propter Te, toto me.

XV. Col-

XV. Colloco me Domine IESV Tecum in cruce crucifixum; cum nudo nudum, cum confixo confixum, cum dolente dolentem, cum illuso illusum, cum despecto despectum, cum blasphemato blasphematum, cum irriso irrisum, cum maledicto maledictum, cum vulnerato vulneratum, cum derelicto derelictum, cum cruento cruentum, cum excruciato excruciatum, cum deficiente deficientem, cum moriente morientẽ, cum mortuo mortuum, per omnia Tibi socium, Tibi similem, Tibi conjunctum, Tibi conformem, Tibi confixum, alterum Te, & unum Tecum. Et ita Tecum esse, pro nunc & pro omni vita mea, pro quolibet momento vitæ meæ, me cogito, imaginor, colloco, statuo, volo, amo, desidero, peto, ardeo, famesco, gaudeo, glorior, toto me, propter Te, propter Te toto me. Auge Domine & exple & serva desiderium meum patiendi Tecum, propter Te toto me.

Hoc aut simili modo, per internam animæ nostræ operationem, potentiarumque applicationem, possumus meditando, communicare Passionibus Domini nostri IESV Christi, atque stigmata illius circumferre. Quo genere persentiscendæ in nobis Dominicæ Passionis, Paulus Apostolus vult nos exerceri, quando ita seu præcipit, seu hortatur. *Hoc sentite in vobis quod & in Christo* IESV: *qui cum in forma Dei esset*, &c. Hoc genere persentiscendæ Passionis Christi plurimos Sanctorum legimus divinitus fuisse dignatos, & sinè dubio cum majori redundantia gratiæ cœlestis, quàm nos imaginando cogitandoque assequi possumus. Hoc profectò dono dignatus fuit Petrus, Andreas, Paulus, Apostoli. Hoc sanctus Franciscus de Assisio, hoc sancta Catharina de Senis, hoc Beata Margarita de Cortona, Beata Angela de Fulgino, Beata Clara tam Assisias, quàm à Monte Falcone, Beata Maria de Oegnies, aliique plurimi sanctorum, de quibus legimus, peculiari privilegio indultum eis fuisse, non rarò à Christo Domino intimum quendam gustum, sensumque experimentalem Passionum & dolorum suorum. *Philipp. 2. 6.*

MODVS XXXI.

TRigesimus primus meditandi Passionem Dominicam modus est: facere sibi lavacrum, seu balneum, atque baptis-

simum, ex passionibus, doloribus, ærumnis, vulneribus, atque sanguine IESV Christi. Notum est, quòd Dominus IESVS Passionem suam, baptismum suum, vocaverit. *Baptismo, inquit,* *habeo baptisari, & quomodo coarctor usq; dum perficiatur.* Paulus quoque Apostolus nos ablutos esse, & ablui in Sanguine Christi, pronuntiat. Similiter Ioannes Euangelista Electos Dei affirmat lavisse stolas suas in sanguine Agni, easque dealbasse. Quin & Iacob Patriarcha asserit, Christum, *abluturum in Sanguine stolam suam.* Beatæ Catharinæ Senensi legitur dixisse Deus, [Sanguinem Christi esse veluti salubre balneum, ad abluendas ejus & aliorum iniquitates.] De Beato Francisco Patriarcha suo scribit Divus Bonaventura, eum in more quotidiano habuisse, animam suam à quotidianis defectibus, sinè quibus hæc vita non vivitur, etiam à sanctissimis, abluere, sive balneare in sanguine IESV Christi: quod etsi variè sanctissimus vir præstare potuerit, non ambigo tamen, id eum potissimùm ope considerationis, & applicationis ad sese Passionum & meritorum Christi Domini factitasse. Quare unicuique devoto Amatori puritatis internæ, studioso que placendi oculis Majestatis Divinæ, accurrere ad Passionem Christi, ex eaque tanquam ex fonte patente tollere aquas salutis, ad ablutionem peccatricis animæ suæ licebit.

Marc. 10. 38. Lucæ 12. 50. 1. Cor. 6. 11. Apoc. 7. 14. Ibid. 22. 14. Gen. 49. 11. in Dial. c. 126.

Gen. 15. 5. I. Aliquando ergo omnia peccata sua in unam veluti sarcinam congregans atque colligens: in rubrum Mare Passionis ac Sanguinis IESV Christi descendet cum omnibus, & ea ibidem tanquam Ægyptios persecutores suos demerget, atque in profundum, quasi lapidem aut plumbum, eos descendere faciet.

4. Reg. 5. 14. II. Aliquando tanquam Naaman Syrus leprosus in Iordanem Passionis Christi descendet, ibi septies lavabitur, & lepram deponet vetustæ conversationis, induet autem Carnem Innocentissimi pueri, hoc est, ipsius IESV Christi Hominis Dei mores.

III. Aliquando particulares quaslibet noxas suas præteritas, aut præsentes assumet: & eas mananti Sanguineis rivulis Christo supponet, immerget, in eisque deterget & abluet. Superbiam & ambitionem suam, Sanguini Capitis Christi spinis horridi immerget. Tepiditatem, negligentiam, & pusillanimitatem

mitatem suam, Tristitiæ, tœdio, mœrori, agoniæ, sudoriq́ue IESV Christi intinget. Immundissimas inverecundias, voluptuositatesq́ue carnis suæ, sanguinolento à flagellis ad columnam IESV injiciet, & in vulneribus illius tanquam in Natatoria Siloë emundabit. Impatientias suas, iras, amaritudines, odia, invidias, perfosso clavis, & lanceâ Christo, deq́ue Cruce pendulo, atque cruore stillanti supponet, in iisq́ue fontibus, ab omni malitia & rancore, cor suum lavabit. Atque in hunc modum omnibus & singulis peccatis suis, peccatorumq́ue pœnis, balnea assignabit in Passione Domini, & quidem vel per partes Dominicæ Passionis progrediendo, vel certè universam simul Passionem, omnemq́ue Sanguinem, ac omne meritum IESV Christi, huic ablutionis usui deputando. *Ioan. 8. 7.*

IV. Aliquando non ad eluendas tantùm peccatorum maculas atque pœnas, sed etiam ad ornandam, divinisq́ue conspectibus & amoribus exhibendam Animam, Passionis & Sanguinis, & meritorum Christi aquis balneoq́ue utetur. Itaque partim sese totum cum omni sua interna & externa substantia, Passionibus ac meritis Christi immerget: partim singulas potentias suas, potentiarum actiones, virtutum habitus, & actus, Sanguini Christi intinget, eoq́ue decorabit, & pretiosos coram Deo faciet, & quidem tam factos jam, quàm etiam faciendos.

V. Aliquando, quemadmodum Regi Assuero, Reginæ sponsæq́ue suæ, unguentis, omniq́ue cultu Regio præparabantur; sic & homo, Animam suam cœlesti sponso, per sanguinis IESV Christi balneum atque unguentum præparabit, vesteq́ue passionum ac dolorum, & meritorum ejusdem induet, & omnes unitivos, sponsalesq́ue affectus suos, vulneribus Christi, ab ignita sua charitate sauciati, conditos, ornatos, & pretiosos faciet, ut impleatur in Anima & Christo illud. *Venerunt nuptiæ Agni, & uxor illius præparavit se, & datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti & candido.* *Esther. 2. 12.* *Apoc. 19. 7.*

Ita Passionis Christi balneum serviet meditatori devoto, & ad abluendas sordes peccatorum, & ad sublimandos appretiandosq́ue apparatus virtutum, & ad consociandam, conjungendam, conglutinandamq́ue animam, tanquam sponsam Deo, animarum vero & amabili sponso, atque amatori.

MODVS XXXII.

TRigesimus secundus Passionem Christi meditandi modus est: recogitare illam, tanquam Beatitudinem Christi Domini, & simul nostram. Quia enim Dominus IESVS Beatitudinem definivit, atque sitam esse docuit in Paupertate Spiritûs, in Mansuetudine, in Luctu, &c. hæc verò omnia quàm maximè eluceſcunt, atque à Christo exercita sunt in Passione: sequitur in Pasione Dominum IESVM fuisse beatissimum: sequitur etiam nostram beatitudinem quàm maximam, sitam esse in Pasione Christi, & in imitatione Pasionis Christi; Est autem sermo hîc, non de Beatitudine simpliciter seu Patriæ, quæ consistit in visione Beatifica Dei: sed de Beatitudine viæ, quæ consistit in Participatione Pasionis Dominicæ: & est medium planum ad Beatitudinem Patriæ, juxta illud S. Leonis *Certa atq; secura est expectatio promissæ Beatitudinis, ubi est Participatio Dominicæ Passionis.*

Matth. 5. I. Dixit ergo Dominus IESVS. *Beati Pauperes Spiritu quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum.* Quia verò Dominus IESVS, in omni quidem vita sua fuit pauperrimus, sed tamen in Pasione ultimam Paupertatis substantiam complexus est: certum est, Christum Dominum in sua Pasione, quemadmodum spiritu pauperrimum, ita & Regni cœlestis Dominum, ac tandem & Beatissimum fuisse.

Matth. 5. II. Dixit etiam Dominus IESVS. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Si quis in Pasione Domini Mansuetudinem ejus non videt, non discit, non amplectitur, in nullo alio loco eam agnoscet, in nullo libro discet, in nullo exemplo amplectetur. Nullibi enim majora argumenta, magisque convictivas demonstrationes ad Mansuetudinem suadentes, immo cogentes reperire posibile est, quàm in IESV Patiente. Atque ita hîc quoque IESVS Beatissimus fuit: hîc ditissimus terræ possessor, hîc etiam nobis Beatissimæ mititatis ad imitandum amplectendumque persuasor, & demonstrator exstitit.

Matth. 5. III. Dixit quoque Dominus IESVS. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Consideret jam qui vult, quis magis lugens, quàm IESVS? Vbi magis lugens IESVS, quàm in Pasione? quid tam luctuosum, quàm Pasio IESV? Vbi tam lugendus

lugendus IESVS, quàm in Passione, & ob Passionem? quæ magis lugenda atque luctuosa causa cogitari potest, quàm illa propter quam Passus est IESVS? & quàm hæc ipsa, quia passus est IESVS? Nemo unquam adeò lugens fuit, quomodo IESVS, qui quantus quantus fuit (quantus autem aut quid non fuit IESVS?) totus lugens, totus luctus fuit in suæ Passione: adeò, ut non tantùm oculis, sed omnibus membris, omnibus viribus, omnibus potentiis, omnibus substantiis suis, planxerit; & insuper totum universum cum omnibus suis partibus, in societatem luctûs sui assumpserit, totoque se, toto universo, in sua Passione ploraverit. Quare cùm maximè lugens sit IESVS in Passione: maximè etiam Beatus, maximè consolatus, maximè beatificatus est in Passione. Quisquis ergo beatus esse cum IESV vult, cum IESV lugens, instar IESV lugens, ad mensuram IESV lugens, sit oportet. Lugeat lugente IESV, lugeat lugentem IESVM, lugeat causam luctûs IESV, lugeat dedisse se causam lugendi IESV, lugeat non lugere se lugente IESV, lugentemque IESVM: lugeat non lugeri lugentem IESVM, & lugente IESV? lugeat ridere & insanire nos lugente pro nobis, & super nos IESV? Imitetur lugentem IESVM: & luctu suo consoletur luctum IESV, & hac ratione accipiet communionem consolationis IESV, & erit luctu suo beatus, sicut luctu suo fuit Beatissimus IESVS.

IV. Dixit præterea IESVS. *Beati qui esuriunt & sitiunt Iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur.* Si Iustitia est Dei gloria aut Voluntas; si Iustitia est Salus, Redemptio, Sacrificatio nostra: si Iustitia est Eruditio, & Instructio, & deductio recta ad vitam æternam, & beatam omnium nostrum. Si Iustitia est cum Deo Pax & reconciliatio nostra: quis hanc omnem Iustitiam esuriit aut sitiit magis quàm IESVS? Vbi verò hujus Iustitiæ fame ac siti exarsit, & extabuit emarcuitque magis IESVS, quàm in Passione? Hæc illa fuit sitis, quam IESVS in Cruce etiam moriturus testatum Deo & universo voluit, cùm exclamavit, sitio. Hæc illum Iustitiæ sitis ussit, hæc fames ursit, hac fame sitique mortuus est, hac fame sitique redempti sumus. Hac siti & fame Iustitiæ, beatissimus factus est IESVS. In hac siti & fame, usque modò per salutem efficacem electorum subvenitur IESV, & satiatur IESVS. Hac siti & fame *Matth.* 5.

usque modò laborat IESVS, usque modò vult nos cruciari & laborare IESVS. Hac siti & fame, nos laborare gaudet IESVS. Laborate, laborate hac siti, hac fame, omnes, omnes, qui diligitis IESVM, & siti fameque vestrâ, sitim famemque restinguite in IESV; erit enim merces operi vestro; quoniam Beati qui esuriunt & sitiunt Iustitiam, ipsi enim saturabuntur, hic quidem salute & Iustitiâ tam propriâ, quàm fratrum suorum, in Cœlo autem, gloriâ & beatitudine IESV, & omnium Electorum. Sed nos esurimus & sitimus injustitiam magis quàm Justitiam. Nauseamus potiùs Justitiam, & famem, sitimque Justitiæ; plenis autem buccis edimus & bibimus nostræ aliorumque salutis & perfectionis negligentiam, nostram aliorumque perditionem. Cadit asina, & est qui sublevet; perit anima, & non est qui vel respiciat: hæc scilicet est sitis ac fames Justitiæ beatificans & satians.

Matth. 5. 7. V. Dixit ad hæc JESVS. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Considera quis magis misericors, quàm Patiens JESVS? considera quæ major misericordia, quàm Passio JESV? ubi videbis misericordiam Dei, ubi Misericordiam Deum, ubi misericordiarum Patrem Deum, ubi multitudinem miserationum Dei, si non in Patiente, si non in Passione JESV? Ibi ergo JESVS misericordissimus, ibi misericordiam omnem universo generi humano consequutus, ibi beatissimus. Hanc tu misericordiam recogita, hanc edisce, hanc ebibe, hanc sectare, hanc imitare, in hanc transi, & transmutare: & sic miserebitur tui Deus: & sic beatus eris, sicut est beatus JESVS. Alioqui nisi quis fuerit ita misericors, sicut fuit JESVS, nequaquam misericordiam consequetur, nequaquam beatus erit ut JESVS. Misericors est Deus, misericors est etiam JESVS: sed aliter Deus, aliter JESVS. Deus misericors est, at sinè miseria sua; JESVS misericors est, per miseriam, passionem, & mortem suam: qui ergo vult esse beatus miseratione, sit misericors cum sua miseria & passione. talis enim misericordia est beatitudo; tali misericordiæ, miseretur Deus; talem misericordiam, in suæ Passionis exemplo docuit nos JESVS.

Matth. 5. VI. Dixit insuper JESVS, *Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt.* Si cor mundum habentes Beati sunt, &

Deum

Deum vident: quantò magis ipsa cordis munditia vera, & sinè qua, nulla est in ullo corde munditia; & à qua, & per quam, est omnis omnium cordium munditia, & quæ est ipsius munditiæ cor, & medulla, & substantia: beata erit, beatitudo erit, Deumque videbit: Atque talis citra omnem dubitationem est JESVS, semper quidem & ubique, at specialiter & maximè in Passione sua: in qua lavit nos ab omnibus inquinamentis nostris; & in qua mundavit sibi omnem Electorũ Ecclesiam, exhibuitque eam sibi non habentem maculam aut rugam. *Ephes. 5. 27.* Attende jam ô Anima quanti constiterit Christo JESV Cordis tui munditia? attende quanta se impendit munditia, pro expurganda tua immunditia? attende quanta fuerit tua immunditia, cui abolendæ supereffudit se tanta tota munditia? attende quantùm appretianda tibi fuerit, & sit, tanto tibi sumptu indulta, & collata munditia? *Quotquot baptisati estis, Christum induistis*, clamat Apostolus. *Galat. 3. 27.* quod est dicere; Quotquot emũdationem cordium & animarum in baptismo Christi accepistis, Christi ipsius munditiam superinduistis, & per gratiam ejus sanctificantem, ad esse, naturamque filiorum Dei, transiistis.

VII. Dixit quoque JESVS. *Beati pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur.* *Matth. 5.* Scimus JESVM Pacificatorem esse: immo ipsammet pacem nostram, Principemque Pacis esse: qui fecit utraque unum, reconcilians ima summis, & dissolvens maceriam, tam peccati inter nos, & Deum dividentis, quàm legalium observantiarum, inter Gentes & Judæos separationem statuentium. Hæc autem Pacificationis opera potissimùm in Passione & per Passionem suam adimplevit: unde meritò non tantùm Pacificus, non tantùm Beatus, non tantùm Filii Dei nomine vocatus: sed verissimè Pax ipsa, verissimè Pacis Princeps, verissimè Beatissimus, verissimè Filius Dei connaturalis consubstantialisque existere inventus & probatus est. Discamus à Pacifico nostro JESV Christo, veram pacis viam, veram pacificationis normam, veram & supremam pacis curandæ, statuendæ, servandæ legem. Patientia ducit ad Pacem, patientia docet pacificationem, patientia facit pacificatores, facit pacificos. Sicut Jmpatientia & impotentia seminat discordias. *Vnde enim bella, lites,* (ait Apostolus) *nonne ex concupiscentiis vestris? Si adhuc Zelus* (alius loquitur) *& contentio sunt inter vos,* *Iac. 4. 1. 1. Cor. 3. 3.*

vos, nonne carnales estis? Qui carnalis est, brutus etiam & bestialis est, immortificatus & impatiens est, contentiosus, zelans, & belliger est. Patientia ergo pacatum, patientia pacificum, patientia Filium Dei, patientia Patris & Pacificatoris JESV fratrem, patientia beatum, beatissimumque facit.

Matt. 5. VIII. Dixit denique JESVS. *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam: quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum. Beati estis cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversùm vos, mentientes, propter me; Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in Cœlis.* Et quis, aut ubi, majorem persecutionem propter Justitiam passus est, quàm in Passione morteque sua JESVS? cui tam maledixerunt homines? adversùm quem ita omne malum mentientes dixerunt homines, quàm contra JESVM Patientem? & in Cruce morientem? Ergo gaude & exulta & beatissimus esto mi JESV: quoniam qui præ omnibus, immo & pro omnibus persecutionem passus es, præ omnibus, etiam, & pro omnibus *merces tua copiosa est in Cœlis*: quin & ipse factus es merces magna nimis omnium nostrûm in Cœlis. Vade & tu homo fac similiter; ama, & sectare, & sustine, & veluti suavissimum bolum degluti persecutiones, maledicta, mentientium adversùm te hominum, propter justitiam, propter innocentiam, propter virtutem, propter bonitatem, propter veritatem, propter beneficentiam, propter JESVM, & beatus in tali facto eris, & gloriari in isto nomine poteris & copiosæ mercedis in Cœlo hæres eris.

Matth. 5. 12.

Hunc in modum Dominus JESVS, quam nobis beatitudinem commendavit, eam ipse amplexus est: utque eam amplectamur magis facto, quàm verbo, proprio hortatus est. hunc etiam in modum nobis, & ostendit, & complanavit, facilitavitque viam rectissimam, simul ac altissimam compendiosissimamque ad omnimodam Sapientiam, Justitiam, Sanctitatem, & Beatitudinem. hunc quoque in modum, correxit errores nostros inveteratissimos, qui ea, quæ sunt & ipsa bona maxima, & maximorum insuper bonorum, ipsarumque adeò beatitudinum, & materia, & seges, & via, & causa, malorum & detestabilium, & miseriarum infelicitatumque nomine appellare consuevimus. Ita scilicet *quod stultum est Dei, Sapientius est*

1. Cor. 1. 25.

omnibus

omnibus hominibus, quod miserrimum est Christi, beatius est omnibus humanis beatitatibus. Vtinam homines istud Sapientiæ beatitudinisque arcanum, tam ardenter, tam solidè, tam constanter discant, & teneant; quàm irrefragabilibus argumentis, & irrefutabili magisterio, & irreprobabili exemplo, illud docuit in omni quidem sua vita, sed speciatim in omni Passione sua, IESVS.

Arbitror minimè fore pio lectori vel grave, vel inutile, si eundem ipsum meditandæ passionis Christi modum, verbis Sapientissimi Patris Ludovici de Ponte hic exposuero. habent enim verba ejus succum, & efficaciam sibi solitam. Sic igitur ille, dum expendit heroicas virtutes à Christo in Passione exercitas, loquitur. [Perpendam multitudinem & præstantiam harum virtutum, discurrendo per octo heroicos actus, quos Christus Dominus in suo sermone, quem in monte habuit, beatitudines apellavit, quasque ipse in sua Passione valde eminenter exercuit. 4. *Parte Med. 1. Puncto 6. n. 2. Matth. 53. & sequ.*

I. Nam primò exercuit *Paupertatem Spiritûs*, dum rebus omnibus, etiam propriis vestimentis renuntiavit, nudus omnino in Cruce manens. Cum Paupertate verò simul exercuit Humilitatem, quæ in ea includitur, dum vanos honores, undique pompas calcavit, amplexus verò est omne genus opprobriorum.

II. Exercuit etiam heroicam *Mansuetudinem*, in medio tot ferarum, quæ ipsum mordebant, & lacerabant; ipse verò tanquam agnus nec loquebatur, nec se defendebat, aut indignabatur: tantam verò simul ostendit Fortitudinem, atque si adamas esset, in omnibus quæ patiebatur.

III. Flevit amarè pro nostris peccatis, *clamore valido, & lachrymis, preces & supplicationes offerens.* Etiam usque ad sanguinem, quem per omnes corporis sui delicatissimi poros sudando effudit. *Hebr. 5. 7.*

IV. *Esurivit* insatiabiliter Iustitiam, quia nunquam satiatus fuit in faciendis bonis, nec in perferendis malis, ut nos justificaret, & Sanctitatis exempla præberet, & hanc ob causam in Cruce pendens, dixit, Sitio.

V. Fuit etiam singularis in *Misericordia* erga miseros, distribuendo illis, quidquid haberet, facultates omnes, honorem,

„ sanguinem, vitâ, ut eorum miseriis occurreret. Corpus quoq; „ suum in cibum dedit, ut eorum famem expleret, & sangui- „ nem suum in potum, ut eorum siti satisfaceret.

„ VI. *Cordis Munditiam* habuit eminentissimam, conservans „ se in gravissimis occasionibus, absque peccato ullo, & potiùs „ occasionem accipiens ex eis, ad præstantissimos virtutum actus „ exercendos.

„ VII. Fuit excellentissimè *Pacificus*, quia nos cum æterno „ Patre suo pacificavit, veramque pacem nobis obtinuit, quam „ etiam erga eos retinuit, qui bellum ipsi gravissimũ inferebant.

„ VIII. Passus denique est propter *Iustitiam* maximas perse- „ cutiones, quas ullus unquam sit passus, idque maximâ Patien- „ tiâ, quàm ullus unquam habuerit: ut propterea jure optimo „ omnia ei præmia debeantur, quæ in his omnibus virtutibus „ correspondent, eademque promeritus est illis, qui ipsum in iis- „ dem virtutibus imitarentur.

„ O Supreme Magister, si te loquentem in primo illo monte, „ audivissem, cùm de his virtutibus sermonem instituisti, & vi- „ dissem postea, dum in Calvario Monte Patiens eadem exerce- „ bas! Idem ipse eras, eundemque finem, in utroque monte ha- „ bebas, loquens & faciens, docens alios pati, dum ipse patereris. „ Concede mihi Domine gratiam ut audiam quæ me docuisti, & „ exerceam quæ ipse exercuisti, me ipsum his quæ fecisti & Passus „ fuisti tecum in omnibus conformando.] Hucusque Pater „ Ludovicus.

MODVS XXXIII.

TRigesimus tertius Modus meditandi Passionem Christi est: Perpendere quomodo illa omnia, quæ quondam Passus est in Corpore suo Humanitateque sua, nunc etiam patiatur moraliter in corpore suo mystico, quod est Ecclesia, & uniuscujusque hominis peccatoris anima atque vita. Satis notum est illud quod quibusdam peccantibus ab Apostolo objcitur, dicente eos esse *rursum crucifigentes* sibimet ipsis *Filium Dei, & ostentui habentes*, quod si crucifigentes, quidni & denudantes, quidni & flagellantes, quidni & coronâ spineâ illudentes, quidni abnegantes, & Barabbæ postponentes, quidni vendentes, & oscŭli signo tradentes, &c. Neque absimilis est alia illa Apo-

Hebr. 6. 6.

stoli

stoli ejusdem exclamatio. *Quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos* IESVS *Christus proscriptus est, in vobis crucifixus.* quâ Apostol⁹ peccata Galatarũ perstringit: quorũ proprius effectus est, Mors Christi. Quid enim aliud est peccatum, nisi Christicidium, & carnificina, crucifixioque Redemptoris? quare, quotquot sunt qui peccatum in conscientia sua gerunt, & vident, ii in sese Crucifixum Christum portant & spectant: quotquot verò scelera sua aggravant & innovant, ii Christi lanienam & crucifixionem exaggerant & restaurant. Cùm ergo hoc ita sit, rectè Passionis Christi Meditatio sic instituti potest, ut quotidiana ejus instauratio spectetur defleaturq́; & quidem toties repetita, quot sunt ii qui peccant, quiq́; peccata seu cumulant, seu renovant: & tantò etiam indigniùs sceleratiùsque id faciunt, quàm olim Iudæi fecerẽ: quia hi quidem ignorantes Dominum gloriæ mori & pati fecerunt, at isti fidem in Christum profitentes, in eundem nihilominus jam glorioſum, jamque immortalem, & mori impotentem, scelceratissimam carnificinam exercent. Gal. 3. 1.

Itaque hodie adhuc venditur Christus: ab omnibus turpis lucri cupidis, & quæstum pietatem æstimantibus.

In horto Christus timet, tœdet, contristatur: apud omnes delicioſos voluptatumque amatores.

Et sæpe hoc in horto oliveti sustinet IESUS: apud eos scilicet, quos per misericordiam suam peculiarem, in hortum, sive Ecclesiæ, sive Religionis alicujus sacræ, induxit.

Agonisat IESUS apud eos, qui sese peccandi occasionibus, ultro immiscent.

Sudat sanguinem: apud oppressores pauperum, & devoratores eorum, sive in abscondito, sive in aperto.

Vigilat Christus, nobis interea per socordissimam securitatem negligentiamque stertentibus.

Osculo traditur Christus, ab his qui speciem licèt pietatis præferant, virtutem tamen ejus abnegant, qui dicunt Deo, Domine, Domine, & non faciunt, quæ imperat Dominus.

Captus est Christus apud eos, qui veritatem sive fidei, sive Iustitiæ in iniquitate detinent.

Affligitur in Concilio Sacerdotum IESUS, quia, ut ait Gregorius, à nemine tantum præjudicium patitur Deus, quàm à malis Sacerdotibus.

Falsi testes in IESVM subordinantur: apud iniquos rerum, morum, causarumque æstimatores, apud innocentûm calumniatores.

IESUM totâ nocte excruciant, infandæ, innominandæque turpitudines.

Tacet IESUS apud Pilatum: quia potentes ea solum audire sustinent, quæ ad illorum sensum, & intentum sunt: solis adulatoribus & palpatoribus aures accommodant. Veritatis & æquitatis sinceros enarratores, foras excludunt.

In aula IESUS pro stulto habetur, multis quæstionibus exagitatur, constanter accusatur, illuditur. Pietati enim, virtuti, sinceritati, æquitati, modestiæ, veræ prudentiæ, quis locus in aulis? Exeat aulâ, qui vult esse pius.

Discipulus unus Christum vendit, alter abjurat, alii deserunt omnes. Quis enim cæcus, nisi Dei servus: aut quis surdus, nisi ad quem nuntii Dei, semper mittuntur? Sicut non invenies meliores, quàm qui in Religione profecerunt; sic non invenies deteriores, quàm qui in Religione defecerunt. Optima vina, in mordacissimum degenerant acetum.

Flagellis emendatur IESVS: apud omnes detractores & persecutores, invidentesque bonis alienis, & quod bonum, pium, rectum, verumque est, hoc mordacitate linguarum suarum perfricantes & flagellantes: in quibus flagellis, qui IESVS, hoc est, qui solidus virtutis amator est, is proficit, & fortior evadit: sed qui infirmus, & pusillo corde est, hic coram flagello linguæ, evanescit.

Coronat IESUM: superbia, vana gloria, jactantia.

Nudat IESUM. Omnis inverecundia, omnis avaritia, omnis infamatio.

IESVM conspuit convitiator, contemptorque Dei & proximi.

Alapam dat IESU, quisquis Potestati resistit, obstrepit, quisquis impotenter Probitatem opprimit.

Barabbæ IESUM præponit: quisquis dicit bonum, malũ: malũ, bonum: quisquis creaturæ & cupiditati postponit Creatoris voluntatem & dignitatem, quisquis respicit personam, non causam.

Sanguinem Christi super se, suosque accipiunt: qui vindictam

ctam quærunt, qui implacabilibus odiis ardent, qui aliis scandalo, & ad perditionem exemplo, aut incitamento sunt.

Damnant IESVM ad mortem, quotquot pravæ voluntati suæ, aut alienæ, in peccatum consentiunt: quotquot timorem hominum timent; Deum verò offendere non timent.

Aceto & felle potant IESUM: gulosi ebriosique omnes: nec non illi, qui vitæ emendationem in extremas vitæ horas differunt.

Crucem IESU imponunt: qui in malis alienis lætantur, rident, insultant, qui imponunt onera gravia aliis, quæ ipsi digito non tangunt.

Affigunt IESVM Cruci, qui in peccatis sunt hærentque obstinati.

Inter latrones IESUM deputant: qui alios propter Iustitiam persequuntur: & calumniis inter pessimos pestilentissimosque ponunt.

Occidunt IESUM in Cruce: qui aliis perseverantiam in bono, seu statu, seu opere, vel invident, vel auferunt: qui etiam impatientes sunt in adversis, & unde meliores esse per flagella debuerant, deteriores ex impatientia evadunt: qui denique in malo finaliter moriuntur.

Extra urbem IESUM ejiciunt, & necant: qui meliorum convictum exosi, eos à se, vel se ab illis subtrahunt, ne illorum conspectu lædantur, aut eorum exemplis, ad meliora vel inviti stimulentur.

Sed lubet hunc ipsum meditandi modum, verbis Pretiosissimæ Dei Matris, Beatæ Brigittæ propositum, hic etiam proponere, multam enim poterit utilitatem lectori afferre. Igitur Dei Mater cùm dixisset, Christo Filio suo ab inimicis quatuor mala illata. *Lib. 1. Revel. c. 37.*

I. Coronam spineam impositam. II. Manus & pedes perfossos. III. Fel propinatum. IV. Latus punctum. Ita deinceps pergit. „

[Sed nunc conqueror, quia Filius meus ab inimicis suis, qui nunc sunt in mundo, amariùs crucifigitur, quàm tunc Iudæi crucifixerunt eum. Nam licèt deinceps impassibilis sit, nec mori possit: tamen cum propriis vitiis crucifigunt eum. Sed tu fortè potes quærere, quomodo crucifigunt eum? utique primò po-

„ mò ponunt eum in Cruce, quando de præceptis Creatoris sui &
„ Domini non curant. Et dehonestant eum, quando ipse monet
„ eos per servos servire sibi, & ipsi hoc contemnentes faciunt quæ
„ sibi placent. Deinde crucifigunt dexteram manum, quando te-
„ nent Iustitiam pro Injustitia, dicentes. *Peccatum non est sic gra-*
„ *ve & odiosum Deo sicut dicitur, nec Deus in æternum affligit quen-*
„ *quam, sed propter timorem minatus est.* Deinde crucifigunt si-
„ nistram manum ejus, quando virtutem vertunt in vitium, vo-
„ lentes usque in finem peccare, dicentes. *Si dixerimus in fine se-*
„ *mel: Miserere mei Deus, tanta est misericordia Dei, quòd habebi-*
„ *mus veniam.* Hoc non est virtus, velle peccare, & non emen-
„ dare. Postea crucifigunt pedes ejus, quando delectantur in fa-
„ ciendo peccatum: & non semel cogitant amaram Passionem Fi-
„ lii mei, nec regratiantur ei semel de intimo corde, dicentes. O
„ quàm amara erat Passio tua Deus! Laus tibi sit pro morte tua.
„ Coronant eum deinde Coronâ derisionis: quando derident ser-
„ vitores ejus, & vanitatem reputant servire ei. Dant ei etiam fel
„ bibere, quando gaudent & exultant in peccato, nec ascendit se-
„ mel in corda eorum, quàm grave & multiplex sit. Pungunt
„ latus ejus, quando voluntatem habent perseverandi in peccato.
„ Verè dico tibi, & hoc amicis meis dicere poteris, quia tales
„ sunt ante Filium meum, injustiores judicantibus eum. Immi-
„ tiores crucifixoribus ejus, impudentiores venditoribus ejus, &
„ major pœna debetur istis, quàm illis. Pilatus scivit bene Filium
„ meum non peccasse, nec dignum aliquâ morte, tamen quia ti-
„ muit temporalem potestatem & seditionem Iudæorum, judi-
„ cavit quasi invitus filium meum ad mortem. Quid autem ha-
„ berent isti timere, si ei sevirent? aut quid de honore suo ac di-
„ gnitate amitterent, si ipsum honorarent. Ideo gravius isti ju-
„ dicabuntur, & deteriores Pilato, in conspectu Filii mei; quia
„ Pilatus judicavit eum propter petitionem & voluntatem alio-
„ rum, cum timore quodam: isti autem judicant eum propter vo-
„ luntatem propriam absque timore. Vsque huc Beata Virgo lo-
„ quitur sanctæ Brigittæ, videri autem possunt sequentia in eun-
„ dem sententiam, quæ brevitatis causâ hîc omitto.

Hunc aut similem in modum non inutiliter Christi Passio ex-
pendi potest. Sive quis hac meditatione IESUM à se ipso, sive
ab aliis Crucifixum esse, crucifigive meditetur; habebit enim

ex hac

ex hac meditatione uberem pœnitentiæ de suis, ac alienis peccatis materiam, habebit copiosam pro Deo, ejusque honore ac voluntate zelandi causam, habebit efficaces, ad lugenda sua & aliena, immo & Dei Christique mala, ad procurandam suam & aliorum salutem, conversionemque stimulos: habebit multam occasionem ac segetem considerandæ Dei super peccatores patientiæ ac miserationis, deprecandæ ac amovendæ ab eis justæ Divinæ vindictæ: agendi gratias Deo, à quo se fortè sentiet ex talibus in Christum lanienis vel eductum, vel certè (quod majus est) etiam præservatum, &c.

Hujusmodi Meditationem de Christi Passione quæ etiam in præsenti tempore, ab ipso sustinentur, servatâ proportione potest facere homo aliquis, minimè quidem ille malignus & gravibus mortiferisq; peccatis implicatus, statui tamen suo, quem fortè profitetur, item ubertati gratiarum, & auxiliorum Dei, quibus abundanter ad perfectiora studia, insignioremque sanctitatem impellitur, minimè uti deberet respondens, quotidianis iisque voluntariis imperfectionibus, immortificationibus, sensualitatibus, levitatibus, otiositatibus, alienorum factorum, morum, talentorum, censurationibus, bonorum omissionibus, ac dilationibus, in bono languoribus, vanæ gloriæ, honoris proprii venationibus, de se præsumptionibus, tepiditatibus, regularum suo statui propriarum transgressionibus, ac observantiarum communium vilipensionibus, in proximos quà domesticos, quà extraneos malorum exemplorum exhibitionibus, aliisque similibus tepidorum propriis modis, Christum perfectionis Magistrum, animarumque specialiùs à se dilectarum & præventarum Zelatorem, excruciant, & ejus Passionem innovant, adeò quidem intimo & penetrativo doloris sensu, ut Dominum IESUM tactum dolore cordis intrinsecùs, non rarò pœnitere necesse sit, quòd tantam gratiarum copiam, in tales profuderit, adeòque demum incipiat eos evomere ex ore suo, tantò abominandos magis, irrevocabiliterq; ejiciendos, quantò id quod nauseâ compellente aliquando dejecimus, odibilius detestamur.

MO-

MODVS XXXIV.

TRigesimus quartus Meditandi Passionem Domini Modus est: assumere ad considerandum miracula, quæ in Passione Domini facta legimus: quæque nunc etiam in nobis spiritualiter fieri experimur & videmus: quæ & agnoscere, & mirari, & æstimare, & Deum in eis, pro eisque laudare, & à nobis desiderari, acceptarique, summopere nobis salutare, Deo autem & Christo Redemptori nostro honorificum est. Est autem certũ, plurima valde miracula in Passione Domini facta esse: immo tota Passio Domini, totusque patiens ac Passus IESUS, miraculum est sanè miraculosissimum: hoc tamen loco miracula pressiore modo assumpta consideranda propono, adductis aliquibus eorum in exemplum.

I. Miraculum fuit, Christum initio Passionis tristatum fuisse tœdioque affectum, tam valido, ut juxta naturæ cursum mori ab illa vehementia debuerit, neque tamen mortuus sit: Hoc miraculum Passio Domini operatur frequentissimè in servis suis, ad obsequium Domini, à sæculari & mala vita accedentibus, quos initia conversionis, & conversationis austerioris, naturæq; ad talia insuetæ repugnantis, sæpe vehementer concutiunt atque tam timore, quàm tristitiâ, quàm tœdio inundant, neque tamen absorbent, Dei virtute, Passioniseque Christi efficaciâ adjuvante.

II. Miraculum fuit in Passione, Christum sanguinem sudasse, & salvam tamen illæsamque vitam conservasse: quam connaturaliter in tanta naturæ violentia, & complexionis teneritudine, auferri oportuit. Tale miraculum usque hodie operatur, & ab exordio Ecclesiæ operabatur Passio Christi, tum in Ecclesia tota universim, tum in particularibus fidelium Christi, Ecclesiæque filiorum personis. Quantis enim sudoribus, atque imbribus sanguinis, Ecclesia Christi à prima sui ætate ad usque hæc tempora sudavit? quantis etiam adhuc in diebus novissimis sudabit, in pœnitentibus, in Confessoribus, in Martyribus? Et tamen Ecclesia Christi, quæ tantis in angustiis fluctibusque persecutionum & tyrannidum, humano & naturali sensu peritura erat: tantùm abest ut perierit, ut potiùs in eam, quâ orbem impleuit occupavitque universum, magnitudinem excreverit.

Quod

Quod etiam suo modo miraculum patrat Passio Domini quotidie in singularibus Dei servorum personis: qui dum ad Deum convertuntur: usque adeò carnem sanguinemque omnem exuunt, usque adeò curam carnis sensûsque omnis deponunt, usque adeò etiam semetipsos sibi adimunt, sibique ipsis pereunt: planè ut mortui sepultique reputentur: qui tamen interea longè meliorem, ac diviniorem vitam in Christo absconditam assequuntur & vivunt.

III. Miraculum fuit in Passione, quòd neque Iudas, neque assecłæ ipsius, Christum aliâs sibi cognitissimum, anteque oculos positum agnoscere potuerint. Ita omnino etiam nunc omnibus peccaturis peccantibusque evenit: quòd Christum, in quem peccant, non agnoscant. Si enim cognoscerent, nunquam utique ad injurias illius, nocemque in suis animabus illi inferendam prosilirent, neque ejus proditores fierent; sed enim nesciunt quid faciunt.

IV. Miraculum fuit in Passione Christi, omnem illam impiorum cohortem, unico Christi verbo, *Ego sum*, retro repulsam, & in supinum casum impulsam dejectamque. Tali scilicet miraculo quotidie peccatores terræ omnes cadunt, & inimici Christi terram lingunt. Hoc solùm discrimine, quòd quidam supini corruunt, qui scilicet in reprobũ dati sensum, non resurgunt in Iudicio, sed in peccatis suis moriuntur, & Deus memor eorum non est amplius. Quidam verò proni cadunt, qui scilicet post lapsum ad veniam & pœnitentiam veniunt, & convertuntur ad cor; in quibus peccata quidem corruunt, & quasi plumbum in profundum descendunt, ipsi tamen lavant stolas suas in sanguine Agni. Nimirum Christus Passus, positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum.

V. Miraculum fuit in Passione, auricula per Petrum abscissa servo Christum invadenti, ab eodem Domino mox sanata. Quale miraculum Passionis Dominicæ passim experiuntur peccatores, qui quo tempore maximè in Deum ejusque legem aut gratiam aut veritatem insanire festinant, ad unicum interioris Gratiæ Christi contactum, auriculam dextram recipiunt, & ex infidelibus fideles, ex inobedientibus obedientes, ex persecutoribus amatores, ex lupis agni, ex peccantibus pœnitentes evadunt. Exemplo est ipse Petrus, quem negantem & abjurantem

respexit, hoc est, tetigit, in corde Christus, & statim auriculam ejus sanavit, quâ ille recordatus verbi Domini, exivit foras, & flevit amarè. Exemplo est Paulus, exemplo Magdalena, &c. Exemplo etiam est unusquisque nostrûm sibi: qui toties ad tactum Domini auriculas recipimus, &c.

Serm. Fer. 4. Hebd. sanctæ ab initio. Ludov. de Ponte quartâ Parte Med. ab initio introductionis.

Miracula alia, ne longus sim, non persequar: paucis ea cum sancto Bernardo perstringam, dicente. Passionem Domini usq; in hanc diem facere ut terra tremat, lapides confringantur, & aperiantur sepulchra, atque velum templi medium à summo usque deorsum scindatur. Qui enim Passionem Dominicam recogitant, ii si *Terra* sunt ob affectiones terrenas, & ob culpas cordium suorum, commoti tam severæ Dei in ipsum suum unigenitum Iustitiæ timore sancto, contremiscunt, & ad terrenos illos affectus suos deserendos, excitantur. Quod si *Petræ* sunt ob duritiem cordis, emolleſcunt, & confringuntur, ob magnitudinem doloris, quem & de suis peccatis, & Christi pœnis, quas pro eis subiit, concipiunt. Si sunt *Sepulchra* clausa, fœtentia, & plena ossibus mortuorum, ob multitudinem criminum, & ob pudorem ea confitendi, aperiuntur virtute Passionis

VI.

VII. in confessionibus, ut mortem à se repellentes, ad vitæ novitatem consurgant, & veniant in sanctam beatitudinis æternæ Civitatem.

VIII. Omnibus denique *Scinditur Velum*, quod dividebat inter nos & Deum, ut possimus juxta Apostolum *revelatâ facie gloriam Domini*, & abyssum cœlestium ejus secretorum *speculari*. Nec absque causa divisum est velum à summo usque deorsum, sed ut significaretur per Christum Crucifixum licere nobis contemplari altitudinem Divinitatis, & excelsas ejus perfectiones: profunditatem quoque & humiliationem ejus Humanitatis, & perfectissimas maximèque exemplares ejus virtutes.

IX. *2. Cor. 3. 18.*

X. Obscuratur etiam *Sol* in morte Christi, vel quia ubi Christus mortuus est, ibi proculdubio cæcitas cordis est, uti in infidelibus & peccatoribus videre est. Vel quia, ubi efficacia Passionis mortisque Christi mentes invadit ac possidet, ibi omnes terrenæ mundanæ sensualesque deliciæ, vanitates, felicitates, & claritudines evanescunt, & in tenebras abeunt, contemptibilesque fiunt, & tanquam stercora reputantur propter Christum: eligiturq; potiùs abjectio in domo Domini, magis quàm habitatio in tabernaculis peccatorum, & in luce prosperitatum temporalium.

His

His, hunc aut in similem modum, devotè consideratis: quidni cum Divo Bernardo pia anima exclamet? [Mirabilis Passio tua Domine IESU, quæ passiones omnium nostrûm propulsavit: propitiata est omnibus iniquitatibus nostris; & nulli unquam pesti nostræ invenitur inefficax. Quid enim tam ad mortem, quod non tuâ morte salvetur?]

MODVS XXXV.

TRigesimus quintus Passionem Domini meditandi modus est: Assumere Passionem Christi meditandam, tanquam Materiam summi gaudii, & Patris Æterni, & Christi Domini, & totius universi; faciunt ad hoc propositum verba Beati Laurentii Iustiniani ita scribentis. *Nihil eorum quæ in sacro continentur eloquio, sic humanum valet excitare affectum, mentem erigere, temperare laborem, peregrinationis tædium auferre, & æternæ felicitatis spem immittere, quemadmodũ Redemptionis humanæ sacrosanctum mysterium. In illo siquidem Divinæ miserationis reseratur abyssus, Cœlorum aperitur janua, caritatis latitudo ostenditur, & quantus sit homo apertissimè manifestatur. Vile esse non potest, quod Filii Dei sanguine comparatur. Habet in illo Homo, unde gaudeat, habet unde tristetur.*] Et post pauca. *Pro tuis facinoribus ô homo tristare in Christo: atque de ipsius tibi collatis beneficiis lætare in illo.* Quibus ex Beati Patriarchæ verbis colligere est, Passionem Dominicam, esse posse meditandi materiam, tum lugubrem, quam superius tractati ferè omnes modi exhibent, tum lætam, & triumphalem, quam in præsenti modo explicamus.

Lib. de triumphali agone Christi, c. 20. ab initio.

Primum ergo meditari licet, quomodo Passio Christi fuit materia gaudendi Patri Æterno. Nam si gaudium Domini est Fortitudo nostra; quantò magis fortitudo sui unigeniti: at hæc fortitudo unigeniti Dei nusquam luculentiùs apparuit, quàm in Passione; Passio igitur Christi, gaudiũ fuit Patris Æterni. *Pari ratione*, si Deus delectatur quando nos habet sibi subjectos, & facientes voluntates omnes ejus: ob idque nos vocat Dominus juxta Cor suum: quantò magis delectatus est ex subjectione unigeniti sui; tantâ quidem subjectione, quantam in Passione exhibitam ab illo habuit, quam descripsit Apostolus, Exinanitionem sui, & obedientiam usque ad mortem, mortem autem Crucis

Ad hæc Deus unicè delectatur & desiderat exaltationem nominis sui, & gloriæ suæ propagationem, atque perfectionum suarum excellentissimarum manifestationem: at hanc nemo meliùs, quàm Christus, & hic ipse, nullibi ampliùs, quàm in Passione complevit. Sinè dubio igitur Passio Christi Patri Æterno peramplam delectandi, gaudendique materiem exhibuit. *Accedit quòd Deus* Sacrificia antiquæ Synagogæ sæpe gratissimo animo acceptasse, odoremque suavissimum eorum odoratus esse legatur, solo intuitu Passionis Christi futuræ: quantò ergo magis acceptavit; & suavissimè odoratus est ipsammet Passionem Christi? Hæc enim fuit omnium sacrificiorum, & holocautomatum incensorumque consummatio. Ergo Passio Christi materia fuit gaudii & gloriæ, Æterno Patri. *Denique certum est*, quòd Deo nihil sit, post suam ipsius Beatitudinem, quâ beatus est ipse ex se, gratius, suavius, glorioſius, quàm electorum suorum salus, & beatitudo: atqui hanc Passio Christi electis procuravit; nihil igitur Passione Christi Deo gratius, glorioſius, jucundiusque, aut fuit, aut esse potuit.

Iam verò ipsi Christo Passionem suam gaudii triumphique materiam fuisse, multa quidem evincunt fidei nostræ mysteria, scripturæque sacræ testimonia, sed illud inprimis factum ipsius Domini, quando imminente jam Passione suâ, pauculis ante diebus, triumphaliter ingredi Ierosolymâ voluit, tanquam præludens Passioni suæ, quâ revera triumphaturus erat de omnibus inimicis Dei, & suis, & generis nostri: quem triumphalem ingressum suum, immo & victoriosam Passionem suam, tantò ante vocaverat, diem in quo coronavit eum Mater sua, utique Synagoga, diademate spineo, ornavitque sceptro arundineo, induit etiam coccineo vestimento, ac denique collocavit in alto Crucis throno, adjectâ etiam Epigraphe, IESUS *Nazarenus, Rex Iudæorum*; vocaverat diem desponsationis suæ, diem lætitiæ cordis sui. Etsi enim dies ille minimè fuit Lætitiæ Carnis & sensûs ejus: Cordi tamen ejus dies fuit gaudii & triumphi, & desponsationis cum sponsa Ecclesia.

Matth. 21. 1.

Cant. 3. 11.

Ad hoc propositum servit & aliud Christi Domini factum, quando nimirum in Monte Thaboreo, paulo etiam ante Passionem suam, transfiguratus est, non solùm corpore, sed etiam ipsâ veste, non ob aliud, quàm quia illa temporaneâ Corporis sui glo-

Vide infra modum. 54.

riâ

riâ voluit carni suæ patibili, gustum quendam facere, illius gloriæ, illiusque gaudii, quod & tunc jam in Anima erat, & deinde in corpore futurum erat ex fructibus Passionis suæ. Inde est, quòd Dominus IESVS in sua glorioſa transfiguratione, per quandam antitheſim omnem suâ Passionem efformavit: quidquid enim ferme posteà passurus erat, horum omnium oppositum, veluti præmium Humanitati suæ passuræ præostendit, atq; prægustandum exhibuit. v. g.

I. Erat Christus in sua Humanitate passurus immaniſſimam vultûs sui divini deformationem, ut non esset ei species neque decor; in transfigurtione, facta est *ſpecies vultûs ejus* altera: *& reſplenduit facies ejus ſicut Sol.* *Lucæ 9. 28. Matth. 17. 2. Marci 9. 2.*

II. Erat Christus Passurus vestis albæ, seu splendentis ludibriũ: in transfiguratione *facta ſunt veſtimenta ejus ſplendentia & candida nimis, velut nix.*

III. Erat Christus in Monte Oliveto coram solis, Petro, Iacobo, Ioanne in oratione ad Patrem agoniſaturus, & sudaturus sanguinem: in monte quoque Thabor, coram iisdem solis tribus, facta est, cùm oraret, species vultûs ejus altera, & totum corpus ejus glorioſum.

IV. Erat Christus ab Anna & Caipha Sacerdotum & synagogæ Principibus, reus mortis damnandus: in monte Thabor *Moyſes & Elias viſi in majeſtate loquentes exceſſum ejus, quem completurus erat in Hieruſalem.* *Lucæ 9. 31.*

V. Erat Christus à gente sua & Pontificibus suis tradendus & abnegandus omnino, & ab iisdem tanquam ementitus Dei Filius, in Cruce sugillandus & illudendus: In Monte Thabor, Pater cæleſtis confitetur eum filium suum dilectum.

VI. Erat Christus toto corpore flagellis conscindendus, spinis coronandus, conspuendus, alapis cædendus; in transfiguratione totus effectus est, gloriâ & honore coronatus, luce majore quàm Solis est vestitus.

VII. Erat Christus inter latrones medius suspendendus: in Monte sancto, inter Moysem & Eliam, majestate utrumque plenum, conspicitur.

VIII. Erat Christus felle & aceto cibandus potandusque; in transfiguratione gustum glorificationis suæ percepit, & calicâ Passionis, calice transfigurationis præbibit.

IX. Erat Christus in sua Passione obscurato Sole, & Lunâ, tenebris involvendus, & veluti à luminaribus Cæli lugendus; in monte sancto, & ipse totus resplenduit, & Moyses Eliasque in Majestate visi sunt, & discipulos nubes lucida obumbravit.

X. Erat Christus postquam in Cruce clamans exspirasset, post terræ motum, post scissas petras, post monumenta Sanctorum aperta; à plerisque glorificandus, & quòd verè Filius Dei esset: confitendus. In monte etiam Thabor adsunt sancti Moyses & Elias, & Pater cælestis ipse IESUM filium suum dilectum atque charissimum denuntiat.

Heb. 12. 2. *2. Pet. 1. 12.* In hunc modum Dominus noster *proposito sibi gaudio, & magnificâ gloriâ & honore* in monte Thabor, *contemptâ confusione, sustinuit crucem*: Et quasi calicis unius haustus esset, suaviter atque sitibundè, totam Passionem exhausit.

Ioann. 18. 11. *Marc. 14. 36.* *Lucæ 12. 50.* Servit & huic Proposito, quòd Dominus IESUS Passionem suam ut plurimum calicem, aut Baptismum vocitare solitus fuerit, quasi illi Passio sua solatii, gaudii, jucunditatisque immensæ, & interminatæ, molestiæ verò valde exiguæ, & omnino transitoriæ, unicoque haustu exsorbendæ causa futura esset. Vnde etiam Apostolus non dubitat affirmare Christum Dominum proposito sibi gaudio sustinuisse Crucem confusione contemptâ. Iam si quis consideret in Christo Domino Charitatem, Obedientiamque erga Patrem Æternum, studium promovendæ gloriæ ipsius, tam in terris, quàm in Cælis, per Redemptionem humani generis: quæ fuit illi singularissimè proposita ab Æterno Patre, tanquam medium unicum atque præcipuum glorificandi Patrem in oculis universitatis: dubitare non poterit, summi gaudii, exultationisque materiam fuisse Christo, Passionem suam: quam ob causam à Davide describitur Christus Dominus *exultasse ut Gigas ad currendam viam vitæ mortalis*: Et præceptum de morte acceptum à Patre, deposuisse *in medio cordis sui*, instar amabilissimi & pretiosissimi pignoris, à Deo Patre sibi oblati: hinc dissuadentes, aut impedientes Passionem suam nunquam non molestè audiit, nunquam non durè excepit. Nimirum Passio, fuit Christo Campus quidam ingens exercendæ charitatis suæ, obedientiæque erga Patrem: fuit materia, immo, ut ille vocare solebat, cibus unicus propriusque, explendæ famis suæ apparatus, per expletionem Paternæ voluntatis. Accesit

Psal. 18. 6.

odium

odium peccati, quo Christus immensè flagravit, aboleréque de mundo, & ab oculis Patris Æterni per sanguinis sui diluvium amovere, inter felicitates suas magnas reputavit. Accessit etiam zelus Iustitiæ, quo stimulabatur ad resarciendam condignè læsam Majestatem Dei. Accessit Amor salutis nostræ, & studium reconciliationis nostræ cum Patre Æterno, & sitis ereptionis ex servitute peccati, atque diaboli, & damnationis æternæ, collocationis verò nostri in beatitndine, gratia, gloriaque cœlesti. quæ sitis tânta fuit in Christo, ut de ea dictum sit illud in Canticis. *Fortis ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: lampades ejus lampades ignis, atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam: si dederit homo omnem substantiam domûs suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Cant. 8 6.7. quod ad literam à Christo in Passione pro nobis susceptа impletum est; quamvis enim Passio illa fuit tanquam mare vastû, quamvis fuerit tanquam infernus hujus vitæ, quamvis omnes potestates tenebrarum, fecerint in ea de Christo quidquid tandem voluerunt, obruta tamen est omnis ista violentia, & æmulatio infernalium aquarum, & sepulta in charitate Christi erga nos. Adeò ut exhausto ad mum Passionis calice, & necdum suæ Charitatis ardore refrigerato, clamaverit in Cruce insuper, Sitio, & licèt omnem substantiam suam, domûs suæ, Humanitatis nempe, Animam, Carnem, Sanguinem, Vitam, reliquaque omnia profudisset, quasi tamen profudisset nihil, post resurrectionem suam oblitus pœne & ignarus, quid nuper in Passionis hora egisset, interrogat duos discipulos in Emaus euntes, Quænam gesta fuissent in Hierusalem, proximis diebus. Hæc ergo Charitas Christi, volens ad plenum triumphare de Christo, quo neminem habuit unquam magis sibi subjectum atque subditum, Passionem adornavit, in qua totum Christum circumduxit, & veluti triumphabunda sese ostentavit, fecitque in eo quæcunque voluit. Mitto alia capita, quæ ostendunt, Passionem fuisse Christo materiam triumphi gaudiique, quorum longa series adhuc pertexi posset: concludo illo unico, quod copiosè recenset explicatque Apostolus, qui cùm dixisset, quomodo *Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos, & cùm essemus mortui peccato, convivificavit nos in Christo (cujus gratiâ sumus salvati) & conresuscitavit, & consedere fecit* Ephes. 2. 4.

dere fecit in cœlestibus, in Christo IESU, *ut ostenderet in sæculis supervenientibus divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo* IESU. cùm inquam hæc admiranda, & planè ineffabilia dixisset, post pauca subdit. *Eratis sinè Deo in hoc mundo, nunc autem in Christo* IESU, *vos qui aliquando eratis longè, facti estis prope, in Sanguine Christi. Ipse enim est Pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne suâ, legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso, in unum novum hominem, faciens Pacem, & reconciliet ambos in uno corpore Deo per Crucem, interficiens inimicitias in semetipso.* Quod est dicere, Deum Patrem, nimiâ Charitate suâ impulsum in nos, objecisse Filium unicum Passioni: Filium autem ipsum, Amore & studio pacificandi Deum cum Hominibus, Cœlestia cum terrestribus, Israëlem cum Gentibus, Sanguine suo tabulas pacis conscripsisse, Passione suâ pacta conventaque firmasse, morte tandem suâ totum fœdus testamentumq; validum & irrevocabile reddidisse, & per hoc glorioſum illud nomen cum re, Principis Pacis obtinuisse.

Ibid. V. 13.

Denique toti universo Passionem Christi, materiam gaudii esse, jam ex prædictis satis constat. *Nam inprimis tota* rerum universitas peccato primo turbata, & veluti sauciata, Passione Domini IESV instaurata est, & ordini suo, paci, statui, quietique restituta. *Deinde Angelicæ* creaturæ ruinæ per Passionem Christi instauratæ atque impletæ sunt; haud dubiè non absque ejus solatio & gaudio. *Denique* humano generi Passio Domini materia gaudii, exultationis, lætitiæque inenarrabilis fuit, tam indubitatè, quàm indubitatum est extremè collapsum fuisse genus nostrum, & consurgere convalescereque ex casu, nonnisi per Passionem Christi potuisse. Quocirca de Patre fidei Abrahamo, ipse Christus Dominus testatur, eum quando pro Filio Isaac, arietem in spineto cornibus hærentem obtulit, tunc in mysterio agnovisse mortem unigeniti Dei, diemque Christi tunc vidisse, videndoque gavisum esse. Non enim Sanctus Abraham gavisus est, pro Filio arietem à se immolatum, sed potiùs exultavit tam pro se, quàm pro Filio, quàm pro universo genere humano, olim esse immolandum Dei Filium, propter quod & dedit loco illi nomen [in monte Dominus videbit.] Pluribus bona humano generi ex Passione Christi enata recensere, nec hujus

Ioan. 8. 56.

Gen. 22. 14.

jus loci est, neque necessarium est, & hæc meditando potiùs quàm legendo pius animus scrutari, ac in gratiarum actionem perpetuam, incessabilemque lætitiam, & Christi Passi Amorem inextinguibilem, magis ac magis semper accendi debet.

MODVS XXXVI.

TRigesimus sextus Passionem Domini meditandi modus est; Patiendo eam in Laborem & Dolorem, quem Christus Dominus patiendo sustinuit. Dulciùs sapiet hæc Meditatio, à Bernardi, quàm à meis verbis: quæ proinde hic appono.

Duo nobis reliquerat in hæreditatem vetustus Adam, qui fugit à facie Domini. Laborem videlicet & Dolorem. Laborem in actione, Dolorem in Passione. Non hoc ipse audierat in Paradiso, quem acceperat ut operaretur, & custodiret illum: operaretur delectabiliter, custodiret fideliter sibi, & posteris suis. *Fer. 4. Hebd. sanctæ ante finem.*

Christus Dominus laborem & dolorem consideravit, ut traderet eos in manus suas: immo se magis in manus eorum, infixus in limo profundi, & intraverunt aquæ istæ usque ad Animam ejus. *Vide* (inquit ad Patrem) *humilitatem meam & laborem meum, quia pauper ego sum & in laboribus à juventute mea. Laboravit sustinens, manus ejus in laboribus servierunt.* De Dolore vide quid dixerit. *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus. Verè languores nostros ipse portavit.* Vir dolorum, pauper & dolens, tentatus per omnia absque peccato. Et in vita passivam actionem, & in morte Passionem activam sustinuit, dum salutem operaretur in medio terræ. *Psal. 87. 16. Thren. 1. 12. Isaiæ 53. 4.*

Proinde memor ero, quàmdiu fuero, laborum illorum, quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in jejunando, vigiliarum in orando, lacrymarum in compatiendo. Recordabor etiam dolorum ejus, convitiorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horumque similium, quæ per eum, & super eum, abundantiùs transierunt.

Facit ergo mihi Fortitudo, facit similitudo, sed si accesserit etiam Imitatio, ut sequar vestigia ejus. Alioquin exquiretur à me sanguis justus, qui effusus est super terram, nec immunis ero ab illo tam singulari scelere Iudæorum, quòd videlicet tantæ

„ charitati fuerim ingratus, quòd spiritui gratiæ, contumeliam fe-
„ cerim : quòd sanguinem testamenti pollutum duxerim : quòd
„ conculcaverim Filium Dei.

„ Sunt plerique qui laborem & dolorem patiuntur, sed neces-
„ sitas in causa est, non voluntas ; & hi non sunt conformes imagi-
„ ni Filii Dei. Sunt qui ex voluntate sustinent ; sed non est eis pars
„ neque sors in sermone isto. Vigilat totâ nocte luxuriosus, non
„ solùm patienter sed etiam libenter ut expleat suam voluptatem ;
„ vigilat raptor vestitus ferro, ut diripiat prædam. Vigilat fur, ut
„ domum perfodiat alienam : sed hi omnes, & horum similes,
„ longè sunt à labore & dolore, quem considerat Dominus. Ho-
„ mines autem bonæ voluntatis, qui Christianâ voluntate, divitias
„ paupertate commutaverunt, vel etiam non habitas tanquam ha-
„ bitas contempserunt, relinquentes omnia propter ipsum, sicut
„ & ipse reliquit omnia propter ipsos, sequuntur eum quocunque
„ ierit.

„ Hujusmodi autem Imitatio validissimum mihi argumentum
„ est. quòd Passio Salvatoris, & similitudo Humanitatis, in meam
„ transeunt utilitatem. Hic enim sapor, hic fructus est & laboris,
„ & doloris.] Hæc Bernardus. cujus verbis nihil præter uberio-
„ rem & intimiorem mentis considerationem addendum arbitror.

MODVS XXXVII.

TRigesimus septimus Passionem Domini meditandi est. Assu-
mere ad considerandum quinque præcipua genera rerum in
Christi Passione elucescentium ; qualia sunt. 1. Dolores interni
Animi Christi. 2. Dolores externi Corporis Christi. 3. Virtu-
tes excellentes & Heroicæ in Passione à Christo exercitæ. 4. Ope-
ra & labores admirandi à Christo, tam in vita quàm Passione
perfecti. 5. Excessiva Charitas Christi, quâ omnia priora perfe-
cit patravitque. Hæc quinque Capita possunt per totidem vul-
nera Christi distribui, in eisque expendi, adorari, aliisque acti-
bus piis, ac utilibus honorari. Hoc meditandi Passionem Chri-
sti modo, usus est, & aliis tradidit Pater Ioannes Argentus, vir in
Societate nostra, magnæ perfectionis atque Sapientiæ Spiritua-
lis : tum verò de hac nostra Polona Provincia optimè meritus.
Cujus exercitium hoc libenter insero, tum grati animi mei in vi-
rum illum studio, tum quia illud ad profectum Spiritualem, in

cujus-

cujuscunque statûs persona promovendum perutile judico, qua etiam de causa, totam exercitii hujus dispositionem & praxim, prout eam à prudentissimo illo Patre traditâ in adversariis meis ascēticis ante annos triginta notatam habeo, in præsenti exhibēte volo. Sic igitur Praxis & dispositio illa se habet.

I. *Consideratio*, Dolorum internorum Animæ Christi in vulnere sinistri pedis ejusdem. Saluto te, adoro, glorifico, gloriosum sinistri Pedis vulnus Domini mei IESV Christi, & in honorem tuum genuflexionem hanc adoratoriam facio, illo toto affectu, quo te omnes creaturæ adorant adorareq; debent in æternum.

Sequatur contemplatio Dolorum Animæ Christi internorum; qui fuêre tædia, timores, contristationes, agoniæ, contemptus, odia, confusiones, contumeliæ, calumniæ, blasphemiæ, desolationes, insultationes, ingratitudines, indignitates, furores, injuriæ, &c. Expendam quàm intensi, quàm puri, quàm longi, à quibus, pro quibus, propter quæ peccata fuêre susceptī? Ex quibus considerationibus, surgent in me affectus gratitudinis, compassionis, admirationis, deprecationis, confusionis, imitationis, atque instructionis, quomodo nimirum ad hujus Exemplaris in Christo elucescentis normam, regendæ sint mihi passiones meæ, potentiæque interiores Animæ, tum omnes, tum eæ potissimùm, quarum inordinatione frequentiùs delinquo.

Propter merita glorioſi adorandique hujus vulneris tui mansuetissime IESV, postulo à Te misericordiam, & gratiam tuam copiosam, & efficacem, ad mortificandas in me passiones meas: ad moderandam in me curiositatem intellectûs: malitiam & effrenitatem voluntatis, labilitatem & brutitatem memoriæ: ad expellendam quoque ex me superbiam mentis, inobedientiam, impatientiam, vindicandi temeritatem, gulam, tepiditatem, inconstantiam, omnemque omnino inordinationem, efferveſcentiam, rebellionem partis inferioris, & superioris, Animæ.

Neque solùm mihi, sed etiam omnibus amicis benefactoribus, tam privatis, quàm communibus meis; omnibus quoque, quos Tu Domine scis & vis esse, in Te & propter Te meos, omnibus denique proximis meis, ista peto, ut Tibi una mecum, ab omni sensuum passionumque perturbatione, ab omni sæculi & suâ

sui amore liberati, integro corde, pleno affectu, sincerâ inhæsione serviant in æternum.

Porrò mi IESV omnes istas Sanctissimæ Animæ Tuæ extremas acerbitates, amabili tuo cordi offero. Offerens Tibi simul, per Te autem Æterno Patri Tuo, Spirituique Sancto meipsum totum, petens à Te, & Patre Tuo, Spirituque Sancto, ut hanc oblationem mei ipsius suscipientes, repleatis me Spiritu veræ de peccatis meis contritionis, passionum quoque mearum mortificationis, & solidissimæ mansuetudinis. Patet noster & Ave MARIA.

II. *Consideratio*, Dolorum externorum Corporis Christi in vulnere Dextri Pedis ejusdem.

Saluto Te, adoro, glorifico, suavissimũ dextri pedis vulnus, Domini mei IESV Christi: & in honorem tuum, hanc genuflexionem adoratoriam facio, toto illo affectu, quo Te creaturæ omnes adorant, & adorare debent in æternum.

Sequatur Contemplatio affectiva Dolorum externorum in Corpore à Christo susceptorum, statuendo omnia Passionis genera, & instrumenta ob oculos, IESVMque his omnibus subjectum. Nunc ergo IESVS Sanguinem sudans, nunc inter milites manus, nunc in carcere nocturno, nunc ad columnam, nunc Homo ille purpuratus coronatusque, nunc sub cruce gemens, nunc in Cruce pendens, nunc in sepulchro cadaver jacens, &c. horumque omnium, opus, modus, causa, dispiciatur. Inde autem ego discam quàm severè corpus meum, sensusq; meos tractare, quàm avidè saginari incommodorum corporalium patientiâ, & Crucibus debeam pro Christo. Propter merita hujus Tui in dextro Pede vulneris suavissimi, mi IESV, postulo gratiam tuam, ad sustinendum aliquid pro Te hodie, & semper, cum omni patientia, & alacritate, cum gaudio & fame, ampliora patiendi; postulo amorem sincerum, omnium meorum inimicorum, ingratorum, malefactorumque: plenam etiam & veram injuriarum oblivionem, ac propter Te condonationem, Tibi verò earum donationem: postulo ut omnia adversa tanquam prospera, nec tanquam à creatura, sed tanquam à tua manu Divina in me Paterno affectu collata & immissa acceptem, manum tuam exoscular, ipsique me humiliter subjiciam.

Quod ipsum postulo omnibus quocunque modo, etiam per inimi-

inimicitiam odiumque mei, meis, quoſque Tu Domine vis & ſcis eſſe in Te, & propter Te meos: ut Tibi unà mecum, pleno & fideli corde, ſeruire, propter Te omnia manſuetè perpeti, ac in ferventi tui dilectione perſeuerare valeant in æternum.

Super hæc omnia verò, propter omnes hoſce tuos mi IESV cruciatus Corporis tui, ſuſcipe me à me in donum, Patriq; Tuo Æterno, & Spiritui Sancto me ſimiliter in donum ſimul cum doloribus tuis omnibus exhibe: ac mihi unà cum illis veram patientiam, cordis munditiem, ac puritatem, cumque veſtra Diviniſsima voluntate concordiam æternam elargire. Pater noſter. Ave MARIA.

III. *Conſideratio*, Heroicarum virtutum Chriſti, in vulnere ſiniſtræ manus ejuſdem.

Saluto, adoro, glorifico, Te digniſsimum ſiniſtræ manûs vulnus Domini IESV Chriſti, & in honorem tuum, genuflexionem hanc adoratoriam facio, illo toto affectu, quo Te omnes Creaturæ adorant, adorareque debent in æternum.

Sequatur Contemplatio Heroicarum Chriſti virtutum, in Paſsione eluceſcentium. Summa nempe in Deum & proximũ, etiam inimicum, & interfectorem Charitas, ſumma Humilitas, ſumma manſuetudo, patientia, obedientia, reſignatio, paupertas, puritas, ſilentium, modeſtia, compaſsio, innocentia, juſtitia, miſeratio, conſtantia, prudentia, abſtinentia, moderatio, zelus Dei gloriæ, & ſalutis animarum, mortificatio, fortitudo, fiducia, perſeverantia. Ex quarum omnium virtutum contemplatione, accendar deſiderio & ſtudio ſimilium in ſpecie, & in gradu, in me, & in aliis, perpetuâ praxi & exercitatione, in quavis occaſione plantandarum.

Propter merita hujus Tui digniſsimi in ſiniſtra manu vulneris, piiſsime IESV, poſtulo gratiam tuam, ad cognoſcendam, exoptandam, exercendam, obtinendamque, heroicarum tuarum virtutum omnium perfectionem. Poſtulo humilitatem internam, odium & contemptum mei, manſuetudinem, obedientiam, fidem, ſpem, inimicorum amorem, injuriarum oblivionem & condonationem, Dei timorem, animarum zelum, prudentiam & ſpirituum diſcretionem, fervorem, conſtantiam, modeſtiam, perſeverantiam in bono & perfectione finalem; omniaque omnino alia bona, quæ me Tibi gratiorem reddere poſſunt.

Neque soli mihi, sed omnibus etiam, quoscunque meos esse scis & vis, ista eadem postulo, ipsosque in hoc tuo pretioso vulnere abscondo, ut Tibi, mecum una, in omnium virtutum plenitudine, potissimùm in plena Christianaque Sanctitate, serviant in æternum.

Eam ob rem ô Dulcissime IESV, totam Animæ, cordis, ac voluntatis meæ substantiam, Tibi in præsenti dedico, & consecro, in habitaculum, in thronum, in templum. Simul autem id ipsum Tibi ô Pater Æterne, Tibique ô Sancte Spiritus facio, dedicans me totum Tibi, per omnes IESV Christi virtutum ac meritorum gratissimos oculis tuis thesauros. Accipe, quæso, ô Æterne Pater, thesauros istos immensos cum hoc minuto meo, dedicationisque meæ, & ad me servum tuum cum Filio & cum Spiritu Sancto, in plenitudine virtutum gratiarumque veniens, gratam Tibi & æternam fac in me mansionem. Pater noster. Ave MARIA.

IV. *Consideratio*, Mirabilium operum, & laborum Christi in Dextræ manûs vulnere ejusdem.

Saluto, adoro, glorifico Te speciosum venerandumq;, dextræ manûs vulnus Domini mei IESV Christi, & in honorem tuum, hanc adoratoriam genuflexionem facio, toto illo affectu, quo Te omnes creaturæ adorant, adorareque debent in æternum.

Sequatur contemplatio, mirabilium, & nostræ saluti utilium IESV Christi operum, & laborum, ab ejus dextera patratorum, tum in omni vita, tum in Passione, atque morte potissimùm. Talia sunt: Prædicatio, itinera, jejunia, vigiliæ, orationes, fatigationes, perpessiones famis, sitis, æstûs, frigoris, morositatis, & ruditatis, & importunitatis humanæ, insidiarum quoque & dolositatum, & violentiarum. Talia quoque sunt Miracula omnis generis, ab ortu suo usque ad mortem, Institutio, institutio, redemptioque Ecclesiæ, nec non ordinis ejusdem, Sacramentorum quoque & Sacrificii, tum præceptorum, consiliorum, votorum, perfectionum, mysteriorumque, &c. Ex quibus consurget in me vehemens desiderium faciendi laborandique, quàm plurima & quàm dignissimè: estò sint vilia & abjecta in hominum oculis, estò contradictionis, & confusionis, & crucis plena, pro Gloria Christi, pro voluntate Dei, pro salute animarum.

Pro-

Propter merita hujusce speciosi ac venerandi vulneris in dextra manu tua mi IESV, postulo misericordiam tuam, ad operandum & laborandum semper aliquid, tum hodie, tum in omni vita mea, quod sit Tibi Deo meo gratum, & glorioſum, mihi autem & proximis meis, tuo pretioso sanguine redemptis salutare. Ac si indignus sum, aliquid aliud operis propter Te facere, opto saltem, ut me, & omnes redemptos tuos facias in Sanctitate, donorumque perfectione magnos: opto ut Ecclesiam tuam universam idoneis operariis, ac secundùm cor tuum, per omnia factis locupletes; opto denique, ut nos redemptos tuos omnes, in gratia tua stabilias, confirmes, perseverare & mori in dilectione tua facias: quos omnes ideo, mecum unà in hoc speciosò vulnere tuo demergo, & Tibi in eo protegendos committo, ut Tibi mecum in magnis & Sanctis laboribus, cum magno gloriæ tuæ incremento, cum longa & laboribus multis magnisque pari valetudine & vita deserviant in æternum.

In quem finem mi IESV, Tibi, & per Te Patri tuo Æterno, Spirituique Sancto, me unà Tecum Sacrifico, tuoque quod in ultima cœna & in ara Crucis (Sacrificium ipse & Sacerdos existens) obtulisti, Sacrificio, meum hoc Sacrificium unio & dignifico, petens à Te, Tuoque Æterno Patre, & Spiritu Sancto, ut hoc meum de me ipso Sacrificium in odorem svavitatis accipientes, me nunquam ab isto, me ipsum vobis per multos, magnos, assiduosque labores sacrificandi munere, ac opere cessare faciatis. Pater noster. Ave MARIA.

V. *Consideratio*, Charitas, amorosissimique Cordis IESV. Christi in vulnere Cordis ejusdem.

Saluto, adoro, glorifico Te Amorosissimum lateris & cordis, vulnus Domini mei IESV Christi: & in honorem tuum genuflexionem hanc adoratoriam facio, toto illo affectu, quo Te omnes creaturæ adorant, & adorare debent in æternum.

Sequatur Contemplatio humilis, sed ardens & diligens Amorosissimi Cordis IESV Christi, ejusque vulneris. Mirabor ignes illos & æstus excessivos ac verè divinos, quibus Dominus IESVS, erga humanum genus, & erga Patrem Æternum arsit in Passione sua. Hic verò etiam ipse accendar desiderio ignito, respondendi tantæ Charitati, flagrando eâdem incessabiliter, practicè, quàm maximè,

Pro-

Propter merita Amorosissimi vulneris in latere & corde tuo, mi IESV, postulo gratiam & misericordiam tuam, ad redamandum Te, puro corde, amore casto, forti, fideli, dulci, prudenti, humili, ignito, efficaci, æterno. Quod si non licet tanto qui sit par tuo, tanto saltem qui sit simillimus, & dignissimus tuo. Quod non soli mihi, sed etiam toti universo, toti Ecclesiæ, toti Regno, toti Provinciæ, Vrbi, domui, communitati, ordini huic, omnibus præcipuè, quos meos in Te, & propter Te scis, & vis, humillimè ardentissimèque postulo, & illos omnes in hoc centrum, officinam, & mare amoris, in vulnus scilicet ignitissimi tui cordis, mecum unà injicio, & demergo; ut in eo tanquam in centro immobiliter maneamus, tanquam in mari plenissimè absorbeamur, tanquam in officina exactissimè perficiamur. Vt Tibi Deo, Redemptori, Patri Sponso, Amori nostro, omnes & singuli ardenter, perseveranter, superabundanter, consummatè ad usque mortem, & post, per omnem æternitatem deserviamus. Quod ut fiat, postulo tam mihi, quàm omnibus, guttulas Sanctissimi Amorosissimique Sanguinis tui, quas in cordibus nostris perpetuò circumgestemus, iisque ad inextinguibilem, & incessabilem Amorem tuum, semper magis ac magis accendamur.

Propter quod mi Dulcis & superadmirabilis Amator IESV, ego me Tibi Tecumque, ac per Te Patri Æterno, Spirituique Sancto, super altare Cordis Tui, igne Tuæ Charitatis, in Patrem, in Mundum, in Electos, in me, holocaustum facio: purè ad gloriam tuam, Patrisque Tui, & Spiritûs Sancti. Petens & rogans à Te suppliciter, ut me ignito amore tuo, & Tui, in favillam redigas, meque totum in vulnus Amoris, in amoremq; ipsum, quantùm in toto me capax sum, quantùm verò Tu cum Patre & Spiritu Sancto in toto Te dignus es, convertas. neque ab hoc vulnere unquam sanari, cessareque sinas, sed potiùs illud in me semper vivum, recens, ampliùs ampliùsque recrudescere, per omnem æternitatem facias.

Pater noster, Ave MARIA; Credo. Anima Christi, &c.

MO-

MODVS XXXVIII.

TRigesimus octavus modus meditandi Passionem Christi esse potest. Si assumendo Passionis Dominicæ partes ad expendendum, Anima conetur Christo Domino Passionem suam compensare, vicemque quàm maximè Christo gratam, animæ verò salutarem rependere. Modum hunc meditandæ Passionis, docuit Christus Dominus ipse, Beatam Gertrudem, istâ, quæ sequitur, ratione.

[Dum in die Sancto Parasceves circa memoriam Dominicæ Passionis suaviùs afficeretur Beata Gertrudis, vicemque Amoris Dilecto ex intimo cordis affectu rependere desideraret, dixit ad Dominum. Eia, doce me ô unica spes, & salus animæ meæ, quomodo Tibi, pro tua Passione, saltem aliquam possim reddere vicem? Ad quod Dominus. *Insinuat. Divinæ Piet. lib. 4. c. 26. ante finem.*

Si quis alienum sensum sequitur, & non suum: ille mihi Captivitatem, quâ, horâ matutinali, captus, ligatus, multisque injuriis affectus sum, pro salute humana, rependit. Qui verò humiliter culpabilem se reddit, Iudicium, quo, horâ primâ, multis, falsisque testibus accusatus, & morti adjudicatus sum, mihi recompensat.

Qui autem sensus suos continet à delectabilibus: flagella, quæ sustinui horâ tertiâ, mihi rependit.

Et qui se subdit discolis Prælatis, spineam coronam mihi alleviat.

Qui verò læsus primus ad pacem humiliatur, Crucis mihi bajulationem restituit, seu recompensat.

Si quis autem supra posse se extendit, ad opera Charitatis erga proximum; Extensionem, quâ, horâ sextâ, in Cruce acriter distentus sum, mihi rependit.

Qui etiam non fugit gravamen contumeliæ vel tribulationis, ut proximum retrahat à culpa, mortem meam mihi rependit, quam pertuli horâ nonâ, pro salute humana.

Qui autem convitiatus (ab alio) humiliter respondet: Me quasi de Cruce deponit.

Qui verò proximum sibi præfert, reputans ipsum majori honore vel commodo, vel alio bono se digniorem: ille sepulturam mihi rependit.] Hæc Dominus, ad dilectam suam sponsam Gertrudem.

Cujus ad instar, poterit facile Anima devota plures compensationes Dolorum & Injuriarum Christi sibimet adinvenire, & proponere, & easdem exercere v. g. ut Christo Sanguineum sudorem compenset: studeat laborare pro Christo usque ad defatigationem.

Vt proditorium Iudæ osculum rependat: mansuetè & benevolè suscipiat & alloquatur, eos etiam, quos malè sibi affectos aliâs scit.

Vt nocturnas Christo injurias resarciat: exequatur illud Psalmistæ monitum: In noctibus extollite manus vestras in Sancta, & benedicite Dominum.

Vt nudum Christum vestiat: vestiat pauperem.

Vt Herodianas illusiones Christo rependat; velit esse stultus propter Christum, & velit stultus haberi, & existimari. Atque in hunc modum poterit totam Passionem Christi, eidem Christo multiplicibus virtutum actibus recompensare: cum multo suo profectu interiori, & contentatione Cordis Divini: quemadmodum tum res ipsa per se indicat; tum etiam Christus Dominus, eidem Beatæ Gertrudi, dignatus est significare.

Libro & Capite supra citato.

Cùm enim hæc Sancta ex memoria, quòd Dominus horâ tertiâ spinis coronatus, ad columnam dirè flagellatus, suis fessis cruentisque humeris crucem dignatus est bajulare, vehementiùs fuisset succensa, dixissetque ad Dominum. Ecce Amator mi dulcissime, ad respondendum Amori tuo, pro tam indebita amaritudine Tuæ innocentissimæ Passionis, exhibeo Tibi Cor meum, desiderans omnem amaritudinem, & dolorem dulcissimi Cordis, & immaculati corporis tui perferre ab hora ista, usque in horam extremi exitûs mei, orans ut quomodocunque ex humana fragilitate horum recordatio à mea labitur memoria, facias me corporalem dolorem cordis sentire, qui dignè respondeat amaritudini tuæ Passionis. Respondit Dominus. Talis voluntas, & Fidelitas cordis tui, satis sufficienter respondet mihi. Sed ut plenam in corde tuo possim habere dilectationem, da mihi libertatem faciendi, & continendi in eo quæcunque volo, non disponens utrùm dulcedinem, sive amaritudinem tibi infundam.

MO-

MODVS XXXIX.

TRigesimus nonus meditandi Passionem Dominicam modus est: Assumere ad meditandum selectos Christi Domini dolores. Etsi enim omnes & singuli, quantumlibet opinione nostrâ minuti Christi cruciatus, fuêre Christo Domino summè doloriferi, tatione Dignitatis, Innocentiæ & Teneritudinis ipsius, tam interioris quàm exterioris; sinè dubio tamen fuit, inter dolores istos, ex aliis, aliisque pœnis & tormentis (quæ majora alia aliis fuisse evidens est) enascentes & intensionis & extensionis gradus. Hos ergo excellentiores in intensione acrimoniaque dolores, meditari licebit. Cùm autem sint doloros Christi duplices, Interni scilicet & Externi: quorum illos potissimùm in Anima, etsi per Corpus; hoc verò potissimùm in Corpore, etsi per Animam quoque persensit, ideo utrique assumi ad meditandum possunt.

In præsenti ergo modo, internos solùm assumere & expendere, metiri, & persentiscere, admirari, & imitari, gratiarum actione & adoratione prosequi licebit. Quamvis autem unusquisque juxta suum proprium vel sensum, vel affectum, poterit hunc delectum, Excellentiorum Animæ Christi dolorum facere, appono tamen ego hic eos, in quibus, meo sensu, præcipuâ quâdam ratione, si bene inspiciantur, excellentia ista dolorum internorum Animæ Christi Domini elucescere videtur. Modicum autem interest sive hæc capita, quæ recenseo, vocentur dolores, sive dolorum causæ: dummodo introgrediamur, per horum considerationem, ad statum & sensum intimum Animæ Christi cognoscendum ac delibandum.

1. Primus ergo dolor Christi interni, seu prima Causa Doloris interni Animæ Christi, fuit. Desiderium & Exspectatio, & Dilatio Baptismi, seu Passionis. Etsi enim Dominus IESVS omnia vitæ suæ momenta ita disposita habuit, ut omnia certâ & inviolatâ serie à primo instanti conceptionis, usque ad ultimum instans mortis semper egerit. Etsi etiam ad omnem voluntatem Patris, ex qua totius prædictæ seriei ordo manavit, fuit semper resignatissimus: hoc nihilominus non obstante, certum est Christum Dominum nunquam à sua memoria, nunquam à mentis suæ oculis Passionis suæ totam fabricam deposuisse, sed in ejus

perpetua recogitatione, totâ vitâ suâ perdurasse: adeò quidem cum viva & intima ejusdem Passionis quoad omnia & singula ejus membra penetratione, ut maximum miraculum censeri debeat, quòd Christus Dominus non fuerit totâ suâ vitâ, illo ipso modo affectus, quo in horto post ultimam Cænam, imminente jam & ingruente Passionis horâ: revera enim, nisi virtute interiore suâ, & habitâ ratione eorum, quæ inter homines agere statuerat, se cohibuisset, illo ipso modo, quo in Horto affectus erat, quo tristis, pavidus, tœdiosus, agonisans, sanguinem sudans fuerat, totâ antecedente vitâ suâ affici debuerat. Quamvis autem hunc in modum affici Christum exteriùs non apparebat, neque enim Christus id sinebat foras erumpere: in Animæ tamen ejus sanctissimæ, simulque sapientissimæ, ac omnium futurorum scientissimæ, recessibus, non aliter omnino semper fuit per totam vitam, quàm fuit semel sub illam in Horto moram. Id Dominus IESVS de se ipso fateri dignatus est aliquoties (prout aliâs notatum est) ut in illis verbis. Baptismo habeo baptisari, & quomodo coarctor, usque dum perficiatur? Quod coarctationis verbum cum suo interrogatorio modo, non solùm tantum dicit, quantum quis cogitando assequi potest, sed etiam longè amplius, tantum scilicet, quantum solus Christus capere ac sentire, nemo autem alius mente comprehendere posset. Id ipsum alia quoque verba Domini attestantur. illa nimirum duobus filiis Zebedæi dicta, *Potestis bibere calicem, quem ego bibo?* Quæ præsentis temporis locutio, clarè demonstrat Christum quod semel in horto passus est exteriùs, semper in omni vita passum esse interiùs: immo verò illa loquendi ratio evincit, totum hoc, quod Dominus IESVS in tota Passione sua, ab ingressu in hortum, post Cænam usque ad mortem in Cruce perpessus est exteriùs: totum inquam hoc, per omnia vitæ suæ momenta perpessum esse interiùs, & quidem non per solam reminiscentiam jugem rerum tolerandarum, quæ sola sufficeret ad maximam internorum dolorum segetem atque simul messem, verùm per realem & vivum Animæ Innocentissimæ sensum.

His positis considerati sque, licebit pio meditatori metiri, quanti doloris interni fuerit causa ista? Meum propositum hic non est ista fusiùs explanare, sed meditatoribus locum dare, quam ob causam in sequentibus recensendis capitibus succinctus esse volo.

II. Do-

II. Doloris interni Christi excellentis, Causa fuit. Conspectus in Horto Calicis illius, in quo totam Passionem suam, cum omni fœculentia ejus vidit, & gustavit, cum quanto interno horrore portionis inferioris: ea quæ gesta in horto sunt satis demonstrant: quæ ego Meditatoribus, tanquam nota ex Euangelio, relinquo.

III. Causa Excellentis Christi Doloris interni, Potestas & hora tenebrarum: quæ ab osculo Iudæ initium sumens, deinde totis furiarum diluviis in Christum refusa est usque ad articulum mortis. Cogitare possumus illo tempore quo Dominus IESVS ad discipulos dixit. *Surgite, eamus, ecce appropinquavit qui me tradet*; quando dixit ad suos hostes. *Hæc est Hora vestra & potestas tenebrarum*: illo, inquam, tempore, velut alter Ionas dixit; *Mittite me in mare*: seu potiùs, Misit se ipse in Mare Passionis, in Mare tartareæ potestatis, in Mare Iudaici furoris, in Mare pœnarum peccatis totius mundi debitarum, in Mare Iræ Dei, contra omnia omnium scelera exardescentis, in quo passu, quis fuerit sensus Innocentissimæ Christi Animæ, qui potest capere, capiat. Sensum certè illum, nullius nostrûm, ac ne omnium quidem nostrûm sensus capere sufficit. Qui tamen animæ Christi sensus toto Passionis tempore non tantùm non cessavit, sed perpetuò immensis augmentis per omnia instantia crevit. *Ionæ. 1. 12.*

IV. Excellentis Doloris Christi interni Causa, fuêre studia inimicorum suorum: de quibus ad Patrem suum per os Ieremiæ dixit. *Domine, tu ostendisti mihi studia eorum.* Quæ etiam studia per Davidem expressit multiplici explicatione. Inimicos enim suos vocat aliquando a *Tauros pingues*, b aliquando *Canes multos*. Aliquando c *Leonem rapientem & rugientem*. Aliquando d *victores captâ prædâ exultantes*. Aliquando e *vitulos multos*. Aliquando f *Lupos vespertinos*: Aliquando *inimicum* g *terribilibus oculis intuentem*. Aliquando *Leonem* h *in sylva, qui dederit contra se vocem*; aliquando *persecutores*, i *aquilis Cœli velociores*: quibus, innumerisque aliis descriptionibus, expressit Dominus studia contra se inimicorum suorum, quæ cùm & illi expresserint in omni Passionis Christi progressu, plùs quàm luculentissimè, facientes in Christo quæcunque voluerunt, seseque pœnis ejus & malis satiantes: & cùm Christo Domino essent comprehensivè perspectissima, immensum dolorem *Ier. 11. 18.*

a *Psal. 21. 13.*
b *Psal. 21. 17.*
c *Psal. 21. 14.*
d *Isai. 9. 3.*
e *Psal. 21. 13.*
f *Hab. 1. 8.*

g Iob 16. 10. rem Cordi Christi infundebant. Vnde illa tenerrima simul ac amarissima Domini ad hosce maledictè sui studiosos allocutio, h Ier. 12. 8. *Populè meus: quid feci tibi, aut in quo molestus fui tibi, responde mihi in quo contristavi te, &c.*

i Thren. 4. 19. Mich. 6. 3. V. Causa Excellentis Doloris Interni Christo fuit. Negatio & ruina Petri. Columna Cœli ceciderat tunc, Petra Ecclesiæ, Ferventissimus Amator, Patris Æterni primus revelationum Discipulus, Caput Apostolorum. Vicarius suus, corruerat, ad cujus ruinam Christus oculos suos convertere quasi coactus est, eumque collapsum respicere. Et sicut ipse de se testatus est, quòd Luc. 10. 18. ruinam Luciferi spectârit, dixit enim. *Videbam Sathanam tanquam fulgur cadentem de Cœlo*: ita prorsus dicere poterat. Videbam Petrum (quem aliquando etiam Christus Sathanam vocârat) tanquam fulgur cadentem de Cœlo Apostolatûs, Charitatis, Ecclesiæ meæ. Maximi certè doloris fuit seminarium Christo Domino hæc tanti Apostoli ruina: revera enim maximus Princeps cecidit in Israël tunc temporis, neque unquam aliâs majus damnum passus fuit, aut etiam est, Christus in sua Ecclesia.

VI. Causa Excellentis Doloris interni Christo fuit. Exiguitas efficacis fructûs dolorum suorum quantumlibet tam per omnia exaggeratorum, redemptionisque suæ quantumlibet plùs quàm copiosæ. Etsi enim Christi Passio sufficiens est pro totius mundi peccatis, immo & pro infinitorum hominum mundorumque iniquitatibus eluendis & expiandis: Nihilominus ductâ proportione fructûs efficacis, qui de facto est, cum eo, qui esse absolutè, attento valore Passionis Christi potuit, exigua valde erit illius proportio ad hunc, & planè finiti ad infinitum nulla: quod etiam ostendit indubitata reproborum multitudo; & electorum paucitas: de qua inter alias Scripturæ exaggerationes, illa est apud Isaiam. [*Hæc erunt in medio terræ, in medio populorum. Quomodo si pauca olivæ quæ remanserunt excutiantur ex olea, & racemi, cum fuerit finita vindemia.*] Hanc ergo paucitatem efficaciter à se redimendorum Christus sciens, & valori Passionis suæ collatam minimè proportionatam cernens, immenso dolore cordis angebatur: non quòd non esset perfectissimè contentus Patris Æterni decreto, atque voluntate, sed eam esse ingratitudinem mortalium videret, à quibus justo Dei judi-

cio

cio Efficacitas Passionis suæ arceretur. Hunc Dolorem expressit Dominus IESVS apud Prophetam dicens. *Terra, terra ne operias sanguinem meum.* Multitudo quippe reproborum, quos sacra scriptura, terræ nomine, sæpe compellat, perditione suâ absorbent, & sepeliunt, operiuntque fructum sanguinis Christi. In quem etiam finem, putatur Dominus IESVS in Cruce pendens dixisse illa verba: a *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* Item illam vocem: b *Sitio*, qua de re suo loco vidimus. *Iob. 16. 19.* a *Matth. 27. 46.* b *Ioan. 19. 28.*

VII. Excellentis Doloris Christi in Passione Causa fuit. Offensa Dei Patris in nece sua: omnia enim alia peccata etiam simul accepta, respectu hujus unius, quod in nece Christi patratum est, prope modum venialia, & absorpta & nulla sunt. Quodsi peccatum originale tam enormem, ac planè infinitam inexhaustamque offensam Dei peperit, ut pro ejus unius expiatione, necesse fuerit mori Christum: quantò magis hoc Deicidii peccatum, omnem excedebat offensæ Divinæ limitem & modum. Et quia Christus per sapientiam suam noverat omnem malitiam hujus sceleris plenissimè, sciebatque quantum vulnus Majestati Dei hoc scelere singulari inferebatur, amabatque summa cum appretiatione & intensione, honorem Patris sui; inde factum, ut hoc scelere, quod in sui occisione tam dira patrabatur, plus quàm omni alio scelere, plùs quàm omnibus aliis simul, plùs quàm omni Passione suâ cruciaretur & doleret. Propter quod non dubito præcipuè Christum Dominum in Horto apud Patrem tanta cum diligentia mortem deprecatum esse, ne scilicet suæ mortis scelere patrato, & Pater offenderetur insolentissimo genere injuriæ, & Christus ipse doloris causam, omni Passione majorem, haberet. Propter eandem etiam causam orans Patrem pro Crucifixoribus suis, dicere non dubitavit, Pater ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt.

VIII. Causa Excellentis Doloris in Passione Christo fuit. Præsentia dolentis, dolorque præsentis Matris, Cruci adstantis. Summus enim Amor quo IESVS & Matrem amabat ipse, & à Matre amari sciebat se, Intima quoque illa notitia, quâ IESVS & sciebat à Matre suos dolores sciri sentirique, & Mater vicissim sciebat à Filio sciri, & perferri dolores suos, ex causa Filii: eum in utriusque corde dolorē causabat, & incendebat, qualem neq; nos ratione vestigare & assequi possumus, neque IESVS & MA-

RIA,

RIA, puris humanis viribus salvâ vitâ sustinere potuissent. Quo factum, ut cùm IESVS ad manum haberet nihil, quo extremos Matris dolores leniret, in quantulumcunque solatium Ioannem illi, & cum illo omnem Ecclesiæ cultum substituit, vicissim autem Mater cùm jam tota anima in Crucifixo, seu verius in Filio Crufixa esset, Corpore etiam quantùm potuit se Cruci admovens, juxta Crucem stetit, & sic tota in Crucifixum Filium transiit.

1X. Causa Excellentis Doloris interni Christi in Passione fuit, Derelictio Paterna: cujus sensum gravissimum, adeò affectuosis verbis, adeò luctuosis vocibus ipse Dominus testatus est, ut in omni vita ejus, in omnibus verbis ejus, nihil simile invenire liceat. Quæ autem illa fuerit Christi à Patre derelictio; alibi fusiùs explicatum est: hoc loco eam solùm Divi Leonis verbis insinuo, & explico: qui sic habet. *Ideo* IESVS *voce magnâ clamabat dicens, Quare me dereliquisti? ut notum omnibus faceret, quare oportuerit eum non erui, non defendi, sed sævientium manibus derelinqui, hoc est, Salvatorem mundi fieri & omnium hominum Redemptorem: non per miseriam, sed per misericordiam, nec amissione auxilii, sed definitione moriendi.* Quia ergo Pater per suam immutabilem definitionem dereliquit Christum in damnatione mortis, hoc non potuit non tenerrimè sentire innocentissimus filius, non quia & ipse mori nolebat, qui utiq; cum Patre & Spiritu sancto suam mortem decreverat; sed quia quod statuerat, quodque etiam efficacissimè volebat superior authoritas, hoc valde sentiebat, & naturaliter horrebat inferior infirmitas. Atque ita dispensatio derelictionis non fuit aliud quàm necessitas mortis, in qua se positum sic doluit Christus in Cruce, sicut non poni se in ea supplex deprecatus fuerat Patrem, in Oratione dicens. Pater si possibile est, transeat à me calix iste. Et quemadmodum ibi dixit Patri, *Si non potest hic Calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua:* Ita hîc agnoscens non suâ, quam reliquerat, sed Patris, quam elegerat, voluntatem impletam, dicit ad Patrem, quare me dereliquisti? Nimirum *causam & rationem, quâ sit relictus, id est non exauditus, inquit, ut ostendat alium esse illum quem ex æterno placito Patris, pro mundi reconciliatione præelegit, unde ipsa vox non exaudito, magni est expositio Sacramenti, quod scilicet nihil humano generi conferret Redemptoris*

Serm. 17. de Passione.

Matth. 27.

Matth. 26. 42.

S. Leo Serm. 16. de Passione in fine.

demptoris potestas, si quod petebat, nostra obtineret infirmitas. Hæc igitur hunc in modum explicata derelictio, sicut ex parte potestatis victricis fuit summè placita & glorioſa: ita ex parte infirmitatis patientis, ſummè fuit amara & doloroſa.

X. Excellentis Doloris interni Cauſa Chriſto fuit, diſſolutio tam Nobilis & unici in rerum natura exiſtentis Compoſiti Dei-Hominis, quæ fiebat per Animæ à corpore ſeparationem. Quia enim unus ſoluſque Chriſtus toto univerſo viſibili ſimul ac inviſibili præſtantior ac nobilior fuit: uniuſque ejus jactura totius univerſi interitu ſinè ulla dubitatione juſtiſſimè redimi debuit, Chriſtus qui ſuum pretium & dignitatem, excellentiamque inæſtimabilem plenè noverat, interitum ſuum per mortem ſinè dubio graviſſimè ſentiebat. Quod ſi Dominus ipſe unum hominem toti mundo, non ſolum confert, ſed etiam præfert: dicens. *Quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur,* ſe autem perdat, quantò id ipſum de ipſo Chriſto ſentiendum eſt, qui & hominibus & Angelis & mundis omnibus dignior, pretioſior eſt, magis infinitè, quàm cogitatione aſſequi poſſumus. Nec obſtat, quòd Chriſtus Animam ſuam poſuerit pro nobis: hoc enim non ideo fecit, quaſi viliorem ſe nobis putaverit: ſed ideo, quia in pretium noſtræ redemptionis, & in oſtenſionem ſuæ erga nos Charitatis hoc impendere voluit, quod pretioſiſſimum habuit, ſeu quo pretioſius nihil habere potuit: ut ex immmenſitate impenſi ab eo pro nobis pretii, immenſitatem quoque & ejus erga nos æſtimaremus amoris, & noſtri erga ipſum infinitudinem metiremur debiti. Hoc verò totum evidenter oſtendit, ſummè fuiſſe gravem doloroſamque Chriſto Animæ ſuæ à Corpore ſeparationem, per quam nimirum res omni purarum Creaturarum etiam poſſibilium genere pretioſior, præſtantior, dignior perdebatur. Ex quo facilè colligere eſt, unius ſoliuſque Chriſti mortem nobis deflendam eſſe amariùs, quàm jacturam parentum, filiorum, fratrum, amicorum, opum, honorum, regnorum, & uno verbo, plùs quàm omnium ſimul rerum. Hinc etiam facilè eſt colligere, Chriſto ipſi, plùs amaram fuiſſe mortem ſuam, quàm eſſet ſi totius ſimul mundi ſupercœleſtis & ſubcœleſtis Machina univerſitaſque diſſolveretur, & in ſuum Chaos primævum redigeretur. Hinc etiam facilè eſt colligere noſtræ ingratitudinis enormitatem execrabilitatemque, quâ Chriſti

Matth. 16. 16.

mortem non tantùm condignâ grati animi significatione non prosequimur, verùm etiam omni genere ingratissimæ malitiæ, malitiosissimæque ingratitudinis, perpetuò, passim, & ubique & omnes despicimus, despuimus, conculcamus. O quis sapiens: & intelliget hæc!

MODVS XL.

QVadragesimus Meditandi Passionem Christi Modus est: Assumere insigniores Christi Dolores externos: quos etsi unusquisque ex proprio sensu non difficulter seligere poterit: ego tamen, quos mea fert opinio fuisse præ aliis excellentes, exponam: & quidem nullâ ferè adhibitâ (secus quàm in proximo modo feci) explicatione, aut exaggeratione. Cùm enim isti dolores externi sint, & sensui pateant: non est difficile cuivis eorum excellentiam assequi propriâ meditatione: ut proinde explicatio superflua futura esse videatur.

Primus Ergo Dolor Christi externus insignior præ aliis fuit, Agon ille totus in Horto: qui adeò durum præludium fuit Passionis, ut ipsi Passioni æquivaluerit, & sudoris sanguinei guttas decurrentes in terram ex toto Christi corpore expresserit. Certè si de sola tristitia sua non dubitavit Dominus asserere eam esse parem inferendæ sibi morti: longè id de toto illo Passionis futuræ rudimento magis affirmare potuit.

Secundus Dolor Christi externus fuit insignis, Carcer ille nocturnus in Caiphæ domo, gestaque per totam illam noctem: quorum cùm initium narrassent Euangelistæ: quemadmodum postquam omnes condemnaverunt eum esse reum mortis, tunc expuerunt in faciem ejus, & colaphis eum ceciderunt, & velaverunt eum & percutiebant, & alapis eum cædebant, & palmas in faciem ejus dederunt, & interrogabant eum dicentes, Prophetisa nobis Christe, quis est, qui te percussit? reliquum tandem nocturnorum dolorum & probrorum, aliorumque gestorum in compendium redigens unus eorum concludit. Et alia multa blasphemantes dicebant in eum. Vt minimè mirum sit, nullius pii scriptoris, aut meditatoris parem esse cogitatū hisce nocturnis Christi injuriis & doloribus explicandis, in quibus explicandis, ipsius Sancti Euangelistæ calamus, videtur defecisse.

Tertius

Tertius Christi externus dolor maximè insignis fuit. Denudatio ad flagella, & flagellatio ipsa. Denudationem suam volens exprimere Dominus, quàm sibi fuerit onerosa: usus est per Prophetam illo loquendi modo: *Operuit confusio faciem meam.* Non ait se confusum pudore, & verecundiâ affectum, sed omnè veluti confusionem, quæ uspiam fuisset aut esse posset, in suam tunc faciem convolasse, & præ enormitate erubescentiæ eam omnino operuisse. Eandem confusionem exprimit idem Propheta ex sensu Christi dicens. *Totâ die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me.* Quibus verbis eandem Passionem suam, quam ex nuditate perpessus est gravissimam, declaravit. Non absimilem sensum flagellationis suæ enormissimæ per eundem Prophetam sæpius declaravit Dominus noster, nunc quidem dicendo: *Congregata sunt super me flagella, & ignoravi.* Vbi mirificè flagellationis suæ diritatem expressit, adducens in medium, flagellorum multitudinem, seu congregationem super se: si enim multa flagella, sinè dubio & multi flagellantes, & longè magis multa ipsa flagellatio: nunc verò dicendo. *Et fui flagellatus totâ die, & castigatio mea in matutinis.* Quâ voce nihil exaggeratius dici videtur posse. Non enim Dominus totâ die à mane flagellatus legitur, sed tanta fuisse tamque enormis illa flagellatio significatur, qualis esset illa, si quis totâ die à summo manè flagellatus fuisset. Nec minor est illa ejusdem diritatis in flagellatione expressio, quâ dicit Dominus, *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam.* Alia lectio habet, araverunt, & sulcum suum produxerunt. Vt enim fabri super incudem ferrum tundunt sinè ullo metu, ut aratores sulcos trahunt per agrum, ita impii vulnera super Christum.

Psal. 68. 8.

Psal. 43. 16.

Psal. 34. 15.

Psal. 72. 14.

Psal. 128. 3.

Quartus. Immanis Dolor fuit Externus Christi, à Corona Spinea, quæ ad intimas usque Capitis partes, aculeos suos plures adactos habuit, & cùm semel imposita aut potiùs infixa fuisset, nequaquam ita permansit, sed iterum iterumque detracta & imposita est, cum multiplici vulnerum dolorumque innovatione: accessit spineo serto, purpura, arundo, consputatio, colaphorum impactio, genuflexio, & irrisio; quibus omnibus dolor dolori additus, & contumelia omnimodis exaggerata est.

Quintus. Immanis quoque Dolor Christi fuit externus. Mo-

ra seu Trihorium in Cruce: quo toto tempore agonisavit Christus, & universa membra ejus, sedibus suis evulsa sunt, pectus verò cum costis suis, ita distractum distentumque, ut hunc unum solumque pectoris in Cruce convulsi dolorem, quisquis debitè aliqua ex parte considerârit, fuisse præ omnibus gravissimum atque maximè dirum & intolerandum necessariò affirmaturus sit.

Sextus, Dolor Christi externus insignis fuit à venenatissimarum linguarum aculeis, quibus intima & extima Christi depasti sunt inimici ejus, insultantes ei verbis, quando jam verberibus non potuerunt, ut dicere potuerit Dominus IESVS hostibus suis illud: *Invaluerunt super me verba vestra, dicit Dominus. Et dixistis: quid locuti sumus contra te? dixistis. Vanus est qui servit Deo: & quod emolumentum quia custodivimus præcepta ejus, & quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes, siquidem ædificati sunt facientes impietatem, & tentaverunt Deum, & salvi facti sunt.* Quid enim minus ab his dixerunt illi, qui dixerunt. a *Confidit in Deo, liberet nunc si vult eum.* b *Christus Rex Israël, descendat nunc de Cruce, & credimus ei. Dixit enim quia Filius Dei sum.*

Mal. 3. 13.

a *Marc. 15.*

b *Matth. 27.*

Septimò. Ad insigniores Dolores Christi externos, pertinuit quoque Detractio ultima vestium Christi ad Crucem affigendi; vestes enim ad saucium plurimis in locis Corpus adhæserât, ita, ut avelli à crucifixuris Christum, cum ingenti carnificina, cumque avulsione partium adhærescentis sanctissimæ & oblæsæ carnis, cum multa sanguinis effusione debuerint: per quod & renovatus dolor, & vulnera dilatata necessariò fuerint in Christo. Hujus Doloris enormitatem ipsa cujusque non dico experientia, sed etiam imaginatio, facilè docere meditantem potest.

Octavus. Dolor enormis Christi Exterior fuit. Potus in siti oblatus Christo, conflatus felle, myrhâ, & aceto. Novercale revera poculum, de quo Dominus tantò ante, per Prophetam conqueri non omisit, dicens. *Dederunt in escam meam fel: & in sitim meam potaverunt me aceto.* Quomodo illud non sathanico majus odium fuit, quod homini ad extrema deducto (cujuscunque tandem conditionis fuerit ille,) homini inquam præ doloribus, & sanguinolentis vulneribus exhausto, animamque agenti, ac inter Crucis tormenta morienti, pro aquæ hausto acetum porrigere, & extre-

Psal. 68. 22.

& extremum illud corporis miserrimè excarnificati membrum, fauces scilicet atque linguam sitis ardore exustam, ultimato, & ad odii sui exsaturationem, adinvento poculo, cruciare? verè, *Fel Draconum, vinum eorum, venenum aspidum insanabile.* Deut. 32.

Nonus. Dolor externus Christi enormis fuit, à conspectu & orbitate Matris. 33.

Decimus Dolor Externus fuit Christi à Morte Corporis, etenim cum summa violentia à Corpore illo dissolvebatur recedebatque anima: utpote quod optimè dispositum habebat, & quod diutissimo tempore informare naturali cursu debuerat. Vtrumq; hoc punctum in præcedenti modo utcunque exaggeratum est, propterea hoc loco ampliùs nihil addo: sed campum meditatoribus piis suum relinquo.

MODVS XLI.

QVadragesimus primus Meditandæ Passionis Domini Modus esse potest, Contemplari Passionem ipsam, in doloribus & compassione Beatæ MARIÆ Virginis: expendendo scilicet, quos & quantos illa dolores sustinuit, ob dolores Christi Filii sui, & ex his illos, vicissimque ex illis hos metiendo, ponderando, ac perpendendo, simulque Matri condolenti ac Filio dolenti, intimo ex corde nostro compatiendo: quin etiam nostra peccata, nostram malitiam, nostram ingratitudinem, nostram indignitatem, nostram obligationem recognoscendo, ex hoc, quia non solùm Christum peccatis nostris crucifiximus, & occidimus, verùm etiam Matri Christi eâdem operâ maximorum luctuum dolorumque causam dedimus. Nisi enim nostra peccata Christum mori coëgissent, Mater, nullas tantorum dolorum causas habuisset. Quare peccata nostra sicut dolorum Christi, ita Matris ejus causa fuerunt: & nos sicut Christo pro nostris peccatis dolenti, ita & Matri ejus occasione eorundem peccatorum afflictæ, compassionis, gratitudinis, imitationis, amoris debitores sumus. Ad quam rem, id est, ad ejus debiti cognitionem, consequenterque exsolutionem, ut efficacissimè excitemur, expedit mensuram dolorum Beatissimæ Matris penetrare: ad hanc porrò penetrationem duplici viâ pervenire licebit. *Primò*, Si expendatur Amor Sanctissimæ Matris in Filium suum: quantò enim hic fuit major, tantò etiam necessariò & dolor debuit esse,

ac re ipsâ fuit gravior, amoris namque hoc est proprium, ut Amantem in Amatum transferendo, atque transformando, faciat illum participem & compotem, complicemque eorum omnium, quæ sunt acciduntve Amato. Sive illa sint bona & prospera, sive mala & adversa: quo fit ut qui alterum amat, ejus bonis lætetur, tanquam suis, ejus malis crucietur, tanquam suis: sæpe etiam plusquam suis, pro magnitudine scilicet, puritate, intimitateque amoris *Secundò*, Penetrabimus in dolorum Beatæ Matris mensuram immensam, si expenderimus cognitionem dolorum Christi, quam habuit Beata Mater de illis: quo enim cognitio ista fuit magis intima, vivax, & omnium conditionum circumstantiarumque Patienti & Passioni annexarum possessiva, & comprehensiva, hoc fuit evidentior comprehensio enormitatis dolorum Christi, & consequenter, hoc fuit atrocior dolor in Matre, dolentem Filium cognoscente.

Attingo breviter aliquot fontes Amoris Beatæ Virginis erga Christum Filium, qui considerati, ostendent ejus magnitudinem, & ex hac notam quoque facient dolorum ejus Excellentiam.

Primus, Præcipuusque Fons Amoris fuit MARIÆ Matris in Christum Filium, qui erat Christus simul ejus, & simul Dei Filius: adeò, ut quantum ad Personam Christi, non fuerit alius Filius Dei, & alius ipsius, sed unus omnino idemque individualiter & Hypostaticæ: ex quo fiebat, ut MARIA esset vera Dei Mater. posset*que* dicere longè verius, ac justius de se, deque sua Maternitate, quàm alia illa dixerat. *Possedi hominem per Deum*: vel etiam possedi hominem Deum. Ex hoc fonte Amor MARIÆ erga Christum, fuit specialis cujusdam sicut generis, ita etiam ordinis, ac altitudinis, diversæ nimirum, & ab ea quæ continetur in præcepto diligendi Deum super omnia, seu ex toto corde, tota anima, & ab ea quæ continetur in præcepto diligendi proximum sicut se ipsum, & adhuc ab ea quæ continetur in præcepto instinctuque naturali Parentum ad diligendum suos filios: quoniam MARIA Christum dilexit, non tantùm ut Deum suum, nec tantùm ut hominem purum, proximum suum; nec denique tantùm ut hominem solum filium suum, sed dilexit eum ut Mater Dei, Deum Filium, Deum Hominem, Filium suum. Superaddens, vel certè intermiscens dilectioni suæ jus maternum, quo attingebat non tantùm humanam in Christo de se sumptam naturam,

n. 4.

Lucæ 10. 27.

turam, sed etiam Divinam, suo sanguini hypostaticè unitam personam. Quale motivum amandi sive Deum, sive Hominem, sive Filium, nulla unquam creatura, habet habuitque; ac proinde amori MARIÆ, in Christum nullus est, nulliusque potest esse similis, nullus par, in ulla, immo in omni simul creatura. Omnes enim creaturæ si amabunt condignè Christum, non possunt aliter condigniùs, quàm amando illum ut Deum Hominem, ut Dei Filium, ut MARIÆ Filium: at MARIA, ultra & supra totum id, amat Christum Hominem, Deique ac suum verum Filium. Cujus motivi Excellentiam sicut sola Virgo MARIA possidet, ita sola etiam ejus mensuram cognoscebat, & sola etiam hanc mensuram amoris sui vehementiâ & excellentiâ implebat. Et quia in Passione tam indigna atque amara Filium suum ita dilectum demersum planissimè videbat, jam qui potest capere capiat, quantum ex Passione illa sui Filii MARIA capiebat dolorem. Mihi certè nullus creatus intellectus par videtur, ad abyssum istam subintrandam, nedum penetrandam.

Secundus, Fons Amoris MARIÆ erga Christum fuit. Conceptio ejus de Spiritu Sancto: juxta illud Angeli ad eam dictum. *Spiritus* a *Sanctus superveniet in te*, & juxta Symbolum fidei. *Qui conceptus est de Spiritu Sancto.* Cùm ergo Spiritus Sanctus, sit author conceptionis atque Maternitatis MARIÆ: is verò sit substantialis amor: quemadmodum Spiritus Sanctus operatus est in MARIA conceptionem, ita etiam idem illi indidit dilectionem Christi: ita ut MARIA habuerit in se & Humanitatis Christi de suo sanguine formatorem, & Charitatis etiam erga Christum inflammatorem unum eundemque Spiritum Sanctum. Quia ergo MARIA ex eodem Sancto Spiritu concepit & carnem & Charitatem Christi: inde est: quòd sicut non habet similem MARIA in Conceptione Carnis Christi, ita etiam parem non habeat in Charitate ac dilectione ejusdem Christi. Quod evidenter evincit ulteriùs, nullum quoque socium, nullum parem fuisse aut esse posse, MARIÆ in persentiscendis doloribus Christi.

a *Luc.* 1. 35.

Tertius, Fons Amoris MARIÆ erga Christum fuit. Quia Christus fuit MARIÆ verus, connaturalis, consubstantialisq; & quidem solius MARIÆ, filius: Christus enim sicut in Cælo seu in Divina generatione Matrē non habet, ita in terra in humana

mana conceptione, Patrem non novit: sed in sola atq; una MARIA Matre, dilectio tam Patris quàm Matris erga Christum, resedit: quo factum est ut in MARIA major fuerit dilectio erga Christum, quàm in ullis parentibus unquam fuerit, erga aliquam suam prolem: atque hinc etiam factum est, ut MARIÆ dolor, fuerit major dolentis ob dolores Christi, quàm ullius Patris vel Matris esse potuerit ac possit, ex dolore prolis suæ.

Quartus, Fons Amoris MARIÆ erga Christum fuit, Magnitudo & multitudo beneficiorum Christi erga Matrem suam: quæ tanta fuit, ut puræ creaturæ divinitus majora contingere non potuerint, perinde ut pura creatura nulla, Matre Dei, major esse potest. Quia verò benificentia solet amorem conciliare, inter beneficiarium & benefactorem, inde conficitur, maximum fuisse amorem in MARIA erga Christum, quoniam constat, maxima fuisse & esse beneficia Christi erga MARIAM. Quæ autem ea fuerint vel sint beneficia Christi Domini erga Matrem suam; dicere nihil attinet, cùm sint vulgo satis nota, & in uno Maternitatis beneficio satis comprehensa. Porrò amor beneficiarii in benefactorem suum, talis esse solet, (& debet) ut obligatione gratitudinis velit, gaudeat, curetque, omnia bona benefactori evenire ac inesse: contra autem nolit, impediat, & doleat quidquam mali & adversi eidem accidere. Necesse itaque fuit MARIAM summè cruciari malis filii sui; quæ se noverat, totam quanta quanta esset, beneficium esse filii sui.

Quintus, Fons Amoris MARIÆ erga Christum fuit, Dignitas, Sanctitas, Innocentia, Sapientia Filii sui. Vera quippe Charitas, quæ in dilectionem alicujus rei fertur propter solum Deum, eam rem necessariò solet atque debet plùs diligere, in qua plus eluceſcit Dei siue naturæ, sive bonitatis, atque perfectionis: quoniam ergo in Christo: non tantùm plurimum fuit Bonitatis Divinæ, sed planè tota Divinitatis plenitudo, in eo habitabat corporaliter, quod MARIAM minimè latebat: inde fiebat, ut MARIA Christum summè amaret, æstimaret, veneraretur, appretiaret; accedente præsertim eo, quòd Christus esset simul aliquid suum proprium, Filius nimirum suus proprius, unigenitus, ex purissimis suis sanguinibus, operâ Spiritûs Sancti conceptus, de se natus, educatus, &c. factum est inde necessariò quod MARIA summè Christum dilexerit, factum etiam quòd eadem

dem summè injurias ejus senserit, & amarissimo animo tulerit.

De Cognitione, quam MARIA habuerit de doloribus Filii sui dicere nihil attinet, cùm satis constet, illam & fuisse naturâ suâ sapientissimam, & mysteriorum Scripturæ, maximè Filii sui, valde gnaram, & luce Spiritûs Sancti illustratam: ac proinde dolores Christi intimè cognoscentem, consequenter, eosdem vivacissimè penetrantem, ac sentientem. Quam penetrationem Simeon explicare volens; Gladium animam pertranseuntem vocavit, &c.

Ex his igitur duobus capitibus consideratis, Amoris scilicet ac Cognitionis, quæ fuit in MARIA erga Christum Filium suum, licebit nobis subintrare aliquantulum atq; metiri immensitatem Dolorũ Matris Virginis ex doloribus Christi: ita ut non dubitemus accommodare verba illa Prophetæ dicentis. *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus.* Non dubitabimus etiam eam, compassivo affectu, alloqui verbis illis ejusdem Prophetæ. *Magna est velut mare contritio tua, quis medebitur tui?* Ex his quoque duobus capitibus bene perpensis. discemus nos ideo dolores Christi Domini, tam parum sentire, quia & in cognitione stupidi, & in dilectione, frigidi valde sumus, tam ejus, qui patitur, quàm earum rerum, quas patitur. Inflammemus ergo nos amore Christi: & exerceamus nos in Cognitione illius, dolorumque ejus: & dabitur nobis gratia bibendi cum ipso Calicem Passionis ejus: quæ est vera & unica beatitudo hujus vitæ, omnium fidelium servorum ejus.

Thren. 1. 12.

Thren. 2. 13.

MODVS XLII.

QVadragesimus secundus Modus Passionem Christi meditandi est; Considerando & vestigando illam, in & ex virtutibus perfectissimis planèque Heroicis MARIÆ Matris Christi, quas illa tempore Passionis ipsius exeruit, & exercuit, ad nostrũ omnium speculum & exemplum. Duæ sunt enim rationes cognoscendi Passionem Domini IESV Redemptoris nostri per Matrem ipsius: una quidem considerando dolores ipsius Matris, quos illa ex dolente, & cum dolente filio, sustinuit: quam rationem in præcedenti modo, utcunque exposuimus, ostendendo duas vias seu radices investigandæ mensuræ dolorum Maternorum. Amorem scilicet, & Cognitionem ejus, quam habuit de Filio suo deq;

doloribus ipsius: altera porrò est ratio, considerando insignes maximè virtutes ejusdem Matris, quas illa exercuit, in tam dura & insolita occasione, qualem nulla unquam creatura exercendarum suarum virtutum habuit: hunc ergo modum in præsenti proponere aliquatenus volumus.

Prima itaque virtus, quam MARIA in præstanti gradu heroicoque exercuit, patiente Filio suo, est Fides atq; Fiducia. Fide enim credidit omnia credenda de Filio suo, contra omnem humanarum rationum evidentiam. Neque enim propterea minor fuit Fides Beatæ Virginis, quàm ullius Sancti, quia fuit Mater Christi: sed potiùs hoc ipsum exaggerat Fidem ejus, quâ totam Christi Ecclesiam sustinuit, quia in fide non vacillavit, sed credidit omnibus Scripturis, quæ de Christo erant. Credidit Christum Redemptorem esse mundi, qui humanitus nec sibi ipsi opem ferre posse videbatur. Similiter, in spem contra spem fiduciam habuit in ipsa morte, perditione, exinanitione, extinctioneque Filii sui; non dicebat, ut illi duo. *Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israël.* Sed potiùs dicebat. *In Te Domine speravi, non confundar in æternum.* In Te Fili captivum, in Te contemptum, in Te vermem, & non hominem, opprobriumque hominum & abjectionem plebis, in Te damnatum, occisum, sepultum: & scio, quia hæc, quæ sunt instrumenta perditionis tui, sunt media Salvationis Mundi.

Luc. 24. 2.

Psal. 30. 2.

Secunda, Virtus MARIÆ Virginis in Passione Filii exercita fuit. Modestia & Patientia: nihil enim patientius, nihil modestius, apparuit unquam in mundo, Patiente suo & Dei Filio, Matre Virgine MARIA: immo dico, nulla unquam in occasione modestiam, patientiamque Virginis MARIÆ eluxisse, quàm in Passione Filii; quod facilè credet, qui advertet, nil unquam gravius, adversius, & ad turbandam omnem mediocritatem aptius, oblatum fuisse MARIÆ, vel ulli creaturæ offerri potuisse, quàm Passionem mortemque talem, talis ac tanti Filii. Itaque alibi alias MARIÆ Virginis licet discere virtutes, sed in Passione Filii, Patientiam, Modestiam, & animi æquitatem singulariſſimè.

Tertia, Virtus MARIÆ Virginis in Passione eluxit Humilitas, atque sui Contemptus, & Vilificatio. quid enim restabat MARIÆ tantâ ingenuitate, tantâ mentis præstantiâ ac generositate

rositate pollenti, quàm sub forma pessimi vilissimique latronis posito ac pereunte Filio, subtrahere, subducere, occultare sese; at hoc longè abfuit à MARIA, immo verò neque cum discipulis fugit, neque cum Petro negavit, neque cum notis & amicis timens à longè stetit, sed potiùs Matrem ultro se impii, improbi, pessimi, Barabbâ & latronibus pejoris, furciferi, crucifixique, Matrem inquam se professa, stabat juxta Crucem, parata, & cupida, & gaudens se digito ostendi, se sugillari, se irrideri, se carpi, se confundi, se notari talem, talis filii genitricem. Hic, si quid ego judico, MARIA humilior fuit, quàm tunc, quando se Ancillam Domini, coram Angelo professa fuit.

Quarta, Virtus MARIÆ Virginis Patiente Christo eluxit; Magnitudo & Fortitudo animi. Certè plusquam in Iahel, plusquam in Iudith, plusquam in Debora, plusquam in illa Machabæa, septem filiorum Martyrum Matre, furor enim Iudæorum & gentilium, qui in Christum MARIÆ filium desæviebat, longè fuit immanior, longè robustiorem magnanimitatis, & roboris materiam præbuit MARIÆ, quàm ulli supradictarum Matronarum, adeò ut longè justiùs dici possit de MARIA, illud quod dictum est de Machabæa: *Supra modum autem Mater mirabilis, & bonorum memoriâ digna, quæ pereuntem filium sub uniùs diei tempore conspiciens, bono animo ferebat, propter spem quam in Deum habebat.* 2. Machab. 7. 20.

Quinta, Virtus MARIÆ in Passione Christi emicuit, Charitas planè ardens; planè ardua, Charitas inquam Dei, cujus honori, & gloriæ Filium suum deservire, immolarique elegit. Charitas etiam proximorum, & quidem peccatorum, & quidem Filii sui interfectorum, quorum odiis, injuriis, sceleribus, usque adeò non passa est animum suum infringi, aut inflecti in odium, ut potiùs in tenerrimum robustissimumque conversa amorem optaverit, petierit, probaverit, Filium suum, pro iis ipsis, proque eorum salute mori, à quibus, & à quorum manibus ac rabie, ipsum uidebat mori. In quo passu ipsius Filii sui charitatem æmulata, & proximè assecuta est: qui pro iis ipsis sanguinem suum fundere amabilissimè voluit, à quibus illum effundi patientissimè permisit.

Sexta, Virtus MARIÆ in Passione Filii admirandè Heroica eluxit, Obedientia ac Resignatio in omnem Dei voluntatem, quæ

quâ virtute, ita se & hominem & Matrem oblita est, planèque exuit, ut tota solam unamque Dei voluntatem & gloriam intuens atque amplectens, non tantùm non tulerit molestè adeò amaram, & per omnia exquisitissima tormenta diram mortem sui simulque Dei Filii unici, sed etiam præ ardore, altitudine, vehementia, plenitudineque Obedientiæ & Resignationis, cumque Divina Voluntate conformitatis, parata fuerit, si Deo ita ordinare placuisset, ipsa suis manibus maternis Christum Filium, & conspuere, & pedibus manibusque tundere, & ad columnam flagellis cædere, & spinis coronatum ludibrio habere, & cruce impositâ onerare, & propriis manibus crucifigere, de Cruce deponere, ac sepelire, in hostiam & holocaustum Deo.

Has virtutes aliasque plures, MARIA Patiente exercuit Filio: ita ut in eis totam depinxerit Passionem Filii, nobisque eam unà secum ad imitandum proposuerit, &c.

MODVS XLIII.

QVadragesimus tertius Passionem Domini meditandi Modus esse potest; Considerando illam in Sacrosancto Missæ Sacrificio expressam & repræsentatam. In hunc enim præcipuè finem, Sacrum Missæ Sacrificium, atque etiam Eucharistiæ Sacramentum institutum à Christo, ex significantibus ipsius Christi verbis novimus, ut in eo & per illud recogitemus, repræsentemus, renovemus, Sacrificium ejusdem Cruentum in Cruce cum tota ipsius Passione. Quocirca non tantùm perutilis & laudabilis, sed etiam ab ipso Christo Domino institutus desideratusque modus est meditandi Passionem ejus, sive per Sacrificium Missæ, quod Sacerdotes præcipuè faciunt, quoties Sacrum faciunt, sive in Sacrificio Missæ, quod omnes facere debent, quotiescunque Sacrum audiunt. In eum usum hoc loco pono perpetuam omnium eorum, quæ in Sacro Missæ Sacrificio geruntur, cum ipsa Passione quæ gestis illis repræsentatur collationem, ut sive in ipso, dum peragitur, Sacro, sive etiam extra illud quolibet loco & tempore, Passio Christi ad Missam, Missa ad Passionem relata, fructuosè & devotè recoli possit.

1. Præparatio Sacerdotis in Sacrario ad Sacrificandum: commemorat & repræsentat valedictionem Christi, quâ, iturus ad Passionem valedixit Sanctissimæ Matri, nec non aliis amicis, consolans

consolans illos, seseque ad Passionem accingens, & ab omnibus aliis negotiis expediens, totumque animum ad negotium Passionis convertens.

2. Egressus Sacerdotis è Sacrario ad altare. Signat egressum Christi de Cœnaculo versùs Hortum, & Oliveti Montem.

3. Depositio, & Dispositio Calicis atque Corporalis super altare, nec non Missalis: signat Ruminationem illam Christi pergentis in Gethsemani, & incipientis interea pavere, tœdere, contristari, mœstitiâque arctari, ac dicere. *Tristis est Anima mea usque ad mortem.*

4. Mora Sacerdotis aliqua ad medium altaris, inclinatioque Capitis: recessus ab altari, & descensus ad infimum gradum: signat relictionem discipulorum, quâ Christus eos reliquit, & ab eis avulsus est quantum jactus lapidis, orationis faciendæ gratiâ.

5. Psalmus, Confessio, aliæque orationes: significant orationem Christi repetitam; prostrationem in genua, & in faciem, confortationem Angelicam, agoniam, sudoremque sanguineum.

6. Accessus ad Altare: signat occursum & processum obviam hostibus. Surgite eamus: ecce appropinquavit, qui me tradet.

7. Osculum Altaris: signat osculum Judæ, quod retulit ab eo Christus, eique dixit. a *Amice ad quid venisti?* b *Juda, osculo filium hominis tradis.*

8. Introitus Missæ, & signum Crucis. Significat sermonem Christi ad Judæos. c *Tanquam ad latronem existis cum gladiis*, &c. d *Sed hæc est hora vestra & potestas tenebrarum.*

9. Sacerdos in medio Altari Kyrie eleison repetens. Signat Captivitatem Christi & injurias ejus, derelictionemque ac fugam discipulorum omnium.

10. Gloria in excelsis: signat exultationem & insultationem hostium, quâ capto Christo exultârunt, sicut solent victores captâ prædâ, in Palatio Annæ & Caiphæ.

11. Osculum Altaris, & Dominus vobiscum. Signat Examen Christi de doctrina, & de discipulis, responsumque Domini, ob quod enormem alapam accepit ab uno ex ministris.

12. Epistola. Signat accusationes, falsaque testimonia, adjurationes, injurias, condemnationes Christi apud Caipham, ab universo Concilio.

a *Matth. 26. 50.*
b *Luc. 22. 48.*
c *Marci 14. 48.*
d *Luc. 22. 60.*

13. Graduale & Tractus: signat blasphemias, oculorum volationem, consputationes, colaphisationes, quas pertulit Dominus in eadem Caiphæ Domo.

14. Euangelium, & osculum Missalis atque signatio: signat Confessionem Christi, quâ se Christum, Dei Filium, insuperque Iudicem uniuersorum confessus est.

15. Credo: signat Petri Negationem, & conversionem, & amaras lacrymas, respiciente Petrum Domino: tum etiam: pernoctationem totam Domini, infandis injuriis plenissimam.

16. Osculum Altaris, & Dominus vobiscum; signat Matutinum Concilium Iudæorum, in quo de novo Christus est Examinatus, Confessus, Damnatus.

17. Offertorium: signat deductionem Christi ab Iudæis ad Pilatum. Signat etiam Iudæ pœnitentiam, & abjectionem sanguineæ pecuniæ.

18. Oblatio Panis & Vini super Altare. Signat interrogationes Pilati, accusationes Iudaicas, silentium, & demum responsa Christi ad Pilatum.

19. Ablutio manuum. Signat remissionem Christi ad Herodem, Herodis exinde gaudium, Christi silentium, contemptum, & illusionem ejus, ab Herode & Herodianis. Vestem albam, &c.

20. Oratio, post ablutionem manuum, in silentio. Signat Pilati cum Christo sermones, pro Christi innocentia & liberatione conatus, collationem cum Barabba latrone, homicida, seditioso.

21. Osculum Altaris: & Orate Fratres. Signat Christi nudationem, flagellationem, coronationem, ad populum productionem, cum Ecce Homo.

22. Secretæ Orationes ante Præfationem. Signant Persuasionem Principum Iudaicorum, quâ suaserunt populo, ut peterent IESVM crucifigi, tum clamores populi varios, Tolle, Crucifige, Sanguis ejus super nos, &c. Cunctationem Pilati. Ejus vxoris denuntiationem.

23. Præfatio. Significat Damnatum IESVM, & traditum voluntati Iudæorum, ad crucifigendum, promulgationem quoq; feralis sententiæ in IESVM.

24. Sanctus, Sanctus, Sanctus. Signat triumphos Iudaicos de ob-

de obtenta in Christum sententia, festinationem ad ejus executionem: signat verò multò magis gaudium cordis Christi, ex decreto Patris Æterni, de salvando genere humano per suum sanguinem.

25. Oratio post Sanctus, & Cruces tres. Significant bajulationem Crucis à Christo, adjuvante Symone Cyrenæo.

26. Memento vivorum, (ut vocant.) Significat sermonem Domini, seu Prophetiam ad mulieres lamentantes super ipsum. *Filiæ Ierusalem, nolite flere super me*, &c.

27. Communicantes. Signat Perventionē Domini in montem cum Cruce, obviationem quoque cum Matre dolorosissima. Vini quoque Myrrhati, cum felle misti oblationem.

28. Manus Sacerdotis expansæ super oblatas hostias. *Hanc igitur oblationem*, &c. Signant Positionē Nudati super Crucem, & oblationem illam quam Christus tunc fecit Patri Æterno, de se ipso, finaliter se ejus voluntati ad redimendum in Cruce humanum genus resignans.

29. Variæ Cruces formatæ quinquies. Signant affixionem Christi ad Crucem.

30. Consecratio tam Panis quàm Vini: & utriusque Elevatio. Signat affixum jam JESVM, & elevatum cum Cruce, statutumq; in sublimi, cum titulo: JESVS NAZARENVS REX JVDÆORVM.

31. Orationes Sacerdotis post Elevationem Hostiarum, passa manus & Cruces variæ. Signant JESVM in Cruce pendentem jam, inter latrones medium, multitudinis adstantis varios affectus & sensus.

32. Alia Oratio Sacerdotis extensis manibus. *Supra quæ propitio*, &c. Signat Christi orationem pro crucifixoribus. *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.*

33. Oratio Sacerdotis positis super Altare manibus: osculum altaris & cruces super hostias. Signant verba Christi ad Matrem & Joannem, proque ambobus solicitudinem. Sitim quoque Domini, & acetum in spongia & Hyssopo porrectum.

34. Memento mortuorum. Significat conversionē latronis: Christique super eum misericordiam: indurationem alterius latronis, & perditionem.

35. Sacerdos percutiens pectus, & aliquos verba clariùs pronun-

nuntians. *Nobis quoque*, &c. Signat Orationem Christi factam ad Patrem in Cruce cum lacrymis & clamore valido.

36. Cruces variæ à Sacerdote formatæ super hostias & genuflexio : signant incredibiles & infinitas blasphemias, insultationes, injuriasque Christo pendenti ab hostibus irrogatas.

37. Oratio Dominica. Signat clamorem Christi ad Patrem. *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti.*

38. Sacerdos frangens hostiam per medium, & Cruces faciens. Signat terræ motum, obscurationem Solis, scissionem petrarum, ruptionem veli, apertionem sepulchrorum.

39. Particula hostiæ Sanguini & Calici imposita. Significat verbum illud Domini, *Consummatum est.*

40. Pax Domini, sit semper. Significat commendationem quam fecit Dominus, Spiritûs sui in manus Patris.

41. Agnus Dei qui tollis, &c. Signat Christum inclinato capite exspirantem, & populos à Cruce Christi revertentes, & percutientes pectora sua, ac dicentes : *Verè Filius Dei erat iste.*

42. Domine non sum dignus. Signat supplicantem Iosephum Pilato, pro Christi Corpore deponendo.

43. Sumptio Sanctissimi Sacramenti : Signat apertionem lateris Christi, è quo Sanguis exivit cum aqua, locò confractionis ossium, quæ Christo non est facta.

44. Convolutio Corporalis. Signat depositionem Christi mortui de Cruce, inunctionem ejusdem, & involutionem in syndone munda.

45. Communio, & altaris osculum. Signat occupationem Beatissimæ Matris, aliarumque piarum personarum, circa JESVM mortuum ante sepulturam.

46. Post communiones seu orationes atque collectæ ultimæ. Signant Sepulturam JESV.

47. Osculum Altaris. Signat advolutionem lapidis ad ostium monumenti.

48. Ite Missa est, & Dominus vobiscum. Signat discessum amicorum à monumento JESV.

49. Osculum Altaris ultimum & benedictio super populum. Signat descensum Christi ad Inferos.

50. Euangelium ultimum & discessus Sacerdotis ab Altari. Significat varios sermones hominum de nece Christi, ejusdemq; gesta

gesta in resurrectione, visitatione discipulorum, missione eorundem in orbem universum.

Hunc in modum, tota Passio Missæ, tota Missa Passioni, admensurari potest, interque ejus celebrationem illâ meditatione recoli. Non desunt apud optimos Scriptores, aliæ accommodationes Missæ, ad totam vitam Christi, aut etiam ad Passionem ipsius, quas liberum erit, devoto Passionis Christi meditatori sequi: erit tamen fortè, cui, & hæc in minutiores articulos Passionem Missamque partiens Meditatio, minimè displicebit.

Illud tantummodo monitum velim, ut solâ commemoratione articulorum Passionis nemo sit contentus: sed interim affectus etiam aliquos erga Patientem Dominum, tum Actus virtutum aliquarum congruarum; tum denique proposita aliqua bona & seria eliciat, prout sibi opportunum videbitur. Nisi enim hoc fiat, nuda illa commemoratio, erit quidem illa coram Christo meritoria nonnihil, sterilis tamen permanebit, neque animam impinguabit oleo devotionis, neque verum meditationis nomen sortiri poterit.

MODVS XLIV.

QVadragesimus quartus Passionem Domini meditandi Modus esse potest. Meditatione illam repræsentando Patri Æterno, pro se, suis, proximorumve omnibus internis & externis necessitatibus, ac miseriis sublevandis. Cujus repræsentationis Exemplar, ex Davide Ecclesia desumit, verba illius vsurpans. *Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui.* Ejusdem Paradigma devotissimum, legere est apud Augustinũ, quod hoc loco apponere non gravabor, ut ex eo meditator non eruditi solum, verùm etiam inflammari possit. Sic igitur Augustinus, Patri Æterno Passionem Filii, sive Filium Passum repræsentat. *Psal. 83. 10.* *Medit. cap. 6.*

Aspice Pie Pater, Piissimum Filium, pro me tam impia Passum. Respice Clementissime Rex, quis patitur, & reminiscere benignus, pro quo patitur. Nonne hic est mi Domine innocens ille, quem, ut servum redimeres, Filium tradidisti? Nunquid non author vitæ hic est, qui ut ovis ad occisionem ductus, Tibiq; usque ad mortem obediens factus, atrocissimæ non timuit necis genus subire? Recole totius salutis Dispensator, quia hic est ipse, quem etsi ex tua virtute genuisti, meæ tamen infirmitatis

„ participem fieri voluisti. Verè hæc est tua Deitas quæ meam in-
„ duit naturam, Crucis ascendit patibulum, quæ in assumpta carne
„ triste tulit supplicium.

„ Reduc Domine Deus meus oculos tuæ Majestatis, super opus
„ ineffabilis pietatis. Intuere dulcem natum, toto corpore exten-
„ sum. Cerne manus innoxias, pio manantes sanguine, & remit-
„ te placatus scelera, quæ patrârunt manus meæ. Considera iner-
„ me latus crudeli perfossum cuspide, & renova me sacro fonte,
„ quem inde credo fluxisse. Vide immaculata vestigia, quæ non
„ steterunt in via peccatorum, sed semper ambulaverunt in lege
„ tua, diris confixa clavis, & perfice gressus meos in semitis tuis,
„ & fac me odio habere benignus omnes vias iniquitatis. Viam
„ iniquitatis amove à me, & fac me propitius viam veritatis eli-
„ gere.

„ Oro Te Rex Sanctorum per hunc Sanctum Sanctorum, per
„ hunc Redemptorem mei; fac me currere viam mandatorũ tuo-
„ rum, ut ei valeam Spiritu vniri, qui meâ non horruit carne vesti-
„ ri. Nunquid non attendis, Pie Pater, adolescentis Filii Chariss-
„ simi Caput, niveâ cervice deflexâ pretiosissimam resolutum in
„ mortem? Aspice mitissime Conditor, dilectissimæ soboles hu-
„ manitatem, & miserere super infirmi plasmatis debilitatem.

„ Candet nudum pectus: rubet cruentum latus, tensa arent vi-
„ scera, decora languent lumina, regia pallent ora, procera rigent
„ brachia, crura pendent marmorea, rigat terebratos pedes beati
„ sanguinis unda. Specta, gloriose Genitor, gratissimæ prolis la-
„ cerata membra, & memorare benignus, quæ mea est substantia.
„ Conspicare Dei hominis pœnam, & relaxa conditi hominis mi-
„ seriam. Vnde Redemptoris supplicium, & redempti dimitte de-
„ lictum.

„ Hic est Domine mi, quem propter peccata populi tui percus-
„ sisti, licèt ipse sit dilectus, in quo Tibi bene complacuisti. Hic
„ est ille innocens, in quo dolus non est inventus, & tamen inter ini-
„ quos deputatus est.] Hucusque Augustinus.

Ad cujus normam licebit meditanti, totam Passionis Christi seriem, ab horto usque ad sepulturam decurrere, & ita eam, sive ipsum Christum in ea positum, Patri Æterno repræsentare, ut simul peccata propria, vel etiam aliena denarret Deo, ipsaque deflens, iis veniam petat, supplicia eorum averti postulet, emendatio-

dationem proponat, affectus compassionis, laudis, admirationis, gratitudinis, deprecationis, aliosque similes exerceat: virtutum variarum in Christo patiente elucescentium actus, imitatione exprimat; dona denique interna, juxtà ac externa, tam sibi quàm suis, quàm toti Ecclesiæ, totique humano generi, à divina manu deposcat, &c. Nec poterit hæc talis repræsentatio non esse in oculis Deitatis grata, aut ad impetrandum valida, quandoquidem tam efficax & apta divinæ miserationi expugnandæ machina per eam admovetur. Cui divina pietas, impossibile videtur, ut resistat.

MODVS XLV.

QVadragesimus quintus Passionem Domini meditandi modus esse potest: considerando in Passione Domini, insignes maximè quinque actus Christi, quos ille in ea pro nobis ad gustum Æterni Patris exercuit: sunt autem hi. 1. Oblatio. 2. Donatio. 3. Dedicatio. 4. Sacrificium. 5. Holocaustum. Qui actus etsi in tota Passione Domini elucescunt: nihilominus in quibusdam partibus Passionis alii atque alii cumulatiùs apparent, ac proindè etiam commodiùs & dulciùs considerari possunt. Quòcirca secundùm hos quinque actus, quinque partes Passio Domini habere, secundumque eadem expendi potest.

I. In his omnibus quæ à Christo Domino in Horto gesta sunt, in Oratione, Genuflexione, Agonia, sanguineo sudore, Resignatione in voluntatem Patris: elucescit mirificum exemplar Oblationis; quâ se Dominus IESVS Patri Æterno obtulit, ad omnes Passionis, & Mortis usque adeò horribilis, labores. Quidni etiam homo, tanto eruditus exemplo, tantoque animatus & invitatus spectaculo: sese animosissimè resolvens, offerat Deo, ejusq; Sanctissimæ ac suavissimæ voluntati, ad omnem ejus usum & nutum, ad humiliationem & abnegationem sui, ad exaltationem verò Dei quàm maximam. Certè milites in gratiam suorum Imperatorum atque Ducum, immanes quasdam, & periculi certi plenissimas, faciunt oblationes: IESVS Imperator noster, tanto suæ oblationis proposito nobis exemplo, nonne merebitur, nonne felix adeò erit apud nos, ut ad ejus imitationem, in ejusq; gloriam faciamus ei unam nostri Oblationem generosam? &c.

II. In Captivatione sui Dominus IESVS, quando super se de-

dit Potestatem potestati tenebrarum, furoriqúe & rabiei militum (quibus etiam ultro obviam processerat, seque ultro illis manifestaverat) exercuit in gratiam Æterni Patris, inque nostram salutem, unam Heroicam, & planè Deo-Homine dignam Donationem, quâ se, vitam, animam, sanguinem, totam prorsus substantiam suam elargitus est profusissimè atque prodigalissimè: ita ut videretur se totum sui dominio, curâ, æstimationeque exuisse, alienæ per omnia potestatis fecisse, & insuper se, suaque omnia pro dilectione quasi nihilum computasse & despexisse. In quo Domini IESV facto, habes, ô homo, tum luculentissimũ exemplum, tum etiam stimulum efficacissimum, ad unam & integram aliquam tui, tuarumque omnium rerum donationem & largitionem, faciendam Deo, propterq; Deum, omni creaturæ, ad omnẽ nutum & usum; estò ad humiliandum, ad exinaniendum, ad crucifigendum te Deus per se, vel per aliquam creaturam uti vellet. Non enim decet, ut tibi pretiosior sis tu, homuncio utique abjectissimus, putredo, & vermis, & merum nihil, quàm unigenitus Dei Filius, qui est Gazophylacium totius substantiæ Divinæ, in quo sunt omnes thesauri Patris Æterni depositi & reconditi: quem tamen vides, quàm sese tibi, & Patri Æterno propter te, ad omnia dira, liberaliter donaverit.

III. Christus Dominus tanquam Augustissimum quoddam Deitatis templũ (ut etiam ipse se nuncupavit, teste Ioanne Euangelista, loquens de templo corporis sui, à Iudæis per illatam mortem dissolvendo) tunsione plurimâ per omnia corporis sui sacrati membra, in totius noctis injuriis, in immanissima flagellatione, in crudelis coronæ impositione aut potiùs infixione, in Herodiana alba veste, in coccinea chlamyde, in arundineo sceptro, in alapis, consputationibus, genuflexionibus & colaphis expolitus, & ædificationi aptatus, ac fabricantibus super dorsum ejus (vt dicit Propheta) peccatoribus, in magnificum Dei templum constructus: productus per Pilatum ad populum, atque publicâ & communi omnium voce damnatus ad mortem, ipsemet promptâ & devotâ suâ voluntate, ipsissimis illis Pilati verbis, Ecce-Homo, dedicavit, consecravitque se Patri Æterno. Habes & tu hac in re ô homo paradigma insignis dedicationis tuæ, quam tu tui ipsius, facere Deo propter honorem illius debes. Obtulisti te Deo, donasti, sequitur ut etiam dedices, ut inscriptione & titu-

Ioan. 2. 19.

Psal. 128. 3.

lo,

lo, & stemmate divino te insignias, ut omnes, qui te deinceps viderint, agnoscant, legant, intelligant, dicant. Domini est iste. Et illud: Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est. Satis superq; portata sunt hactenus insignia inimici Dei. Satis inscriptiones affixæ declarârunt, usque huc ad partes diaboli te pertinuisse: narrabat id superbia, avaritia, ira, arrogantia, invidia, aliæque similes monstrosæ imagines. Ecce jam Christus, exemplo suo, novam dedicationis formulam instituit. Ecce inclamat, Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: scribe jam manu tuâ Domino: Domini ego sum.

IV. Dominus IESVS postquam bajulasset sibi Crucem, in eum qui dicitur Calvariæ locum, in eaque confixus, in altum elevatus, & constitutus, tanquam hostia super altare, superque lignorum struem positus fuisset: fecit de se sacrificium cruentum Patri æterno, pro peccatis nostris, Intuere ô homo hostiam istã, sacrificiumque istud, sacerdotem istum, & altare istud, & ad instar exemplaris hujus sacrificii, tu quoque te sacrifica Domino Deo tuo; ad immolandum enim Domino venisti, perge viam trium dierum in desertum, Ægyptum, & opera luti, laterumque, cepas quoque & allia & carnes ollasque Ægyptiacas, fermentum etiam vetus ejice & expurga, accipe insuper spiritualem secundam in Galgala circumcisionẽ: tum sacrifica Domino Deo tuo: sacrifica te ipsum, in ara cordis, in igne charitatis, in lignis mortificationis. Esto ipse sacerdos, ipse altare, ipse hostia, ipse flamma, & operam da, ut sic fiat sacrificium tuum in conspectu Domini, ut placeat Domino, odoreturq; odorem suavissimum Dominus Deus tuus.

V. Dominus IESVS in ara Crucis positus, non quale quale sacrificium fuit, sed fuit Holocaustum plenum & absolutum. Conditiones holocausti erant istæ. 1. Vt esset ex carnibus animalis masculi. 2. Vt esset animalis mundissimi. 3. Vt totum sinè diminutione, sinè reservatione, sinè interruptione, igne cremaretur, ad gloriam honoremque Dei: omnes conditiones istas Dominus IESVS in sese habuit, quando holocaustum hoc suum explevit, ideoque traditis omnibus, quæ extra se habuit, puta vestibus, Matre, amicis, discipulis, sanguine, corpore, meritis, ultimo demum illum, quem solum relictum habebat spiritum suum, sive animam suam, sciens quia jam omnia consummata

essent, quæ de ipso in lege & Psalmis, & Prophetis scripta erant, cùm dixisset, Consummatum est, In manus Dei Patris recommendans, inclinato etiam capite, tanquam supremo & ultimo defunctus, in Patrem venerationis officio tradidit. Aspice & attende ô homo, & fac secundum exemplar hoc, quod tibi in isto Monte Moria monstratum, & ad imitandum exprimendumque propositum est. Holocaustum te esse oportet, holocaustum te tu ipse facere debes Deo tuo, cui divisiones, diminutiones, non placent. Dominus est, odio habet rapinam in holocausto, neque pilos, neque ungulam, neque caudam deesse vult in eo, quod sibi totum integrumque consecratum, destinatum, devotum, oblatvm est. Exple omnes conditiones holocausti in te, ut tota Passi IESV Christi imago, in te coram Deo reluceat: consummatumque sit omne tuum in Deum officium, tandemque in manus Patris cœlestis, Spiritum tuum tradas, Spiritui Christi æternaliter uniendum.

Ita præstantissimorum quinque actuum è Passione Domini desumi potest exemplum: omnibus quidem Christi fidelibus, maximè tamen hominibus exactam perfectionem professis, perque vota, divino obsequio, & imitationi Christi, destinatis, incumbens ac necessarium. Inveniet autem Lector hos eosdem quinq; actus devotionis in Deum, insertos supra in Modo trigesimo septimo.

MODVS XLVI.

QVadragesimus sextus Meditandi Passionem Domini Modus esse potest; applicando ad eam Examen, sive illam Examini Conscientiæ: quæ applicatio etsi variè, & pro cujusque libitu fieri possit: hoc tamen loco illam ego rationem ostendam, quâ quinque Passi Christi vulnera, quinque partibus, seu Punctis Examinis innectuntur.

In 1. Examinis Conscientiæ Puncto, aguntur gratiæ Divinæ Bonitati pro beneficiis. Primum quoque Christi vulnus sit nobis Gazophylacium, in quo beneficia nobis collata reponantur.

In 2. Examinis Puncto, petitur à Deo lumen, ad cognoscendas Animæ latebras atque noxas; secundum quoque Christi vulnus, sit nobis Sol Iustitiæ illuminans, è quo postuletur, sumaturve radius veritatis, ad illuminandas Cordis nostri tenebras.

In 3.

In 3. Examinis Puncto, indagantur peccata, defectus, errores, imperfectionesque commissæ. Tertium quoque Christi vulnus sit nobis velut speculum sinè macula, ad quod Anima sese intueatur, & omnia dicta, facta, cogitata, omissa speculetur, obliquitatemque morum suorum, cum Christi rectitudine conferat, ut contraria juxta se posita magis eluceſcant, meliùsque corrigantur.

In 4. Examinis Puncto, contritione & detestatione, peccata omnia, potissimùm autem recens commissa abluuntur: quod quia sine Christi sanguine meritisque non fit, ideo quartum Christi Domini vulnus sit nobis contritionis & lacrymarum balneum, in quo laventur omnes iniquitates cordis.

In 5. Examinis Puncto fit propositum firmum Emendationis in futurum, postulaturque ad id Divinum auxilium: eapropter quintum Christi vulnus sit nobis Petra refugii, & quædam firma munitio, ad quam Anima confugiat, ut sit à tentationibus & habitibus suis malis tuta, &c.

Hæc Examinis cum Christi vulneribus Conjunctio, auget sinè dubio in Anima pietatem ad IESVM pro nobis vulneratum, reddit ipsum Deo gratius, & ad peccata expugnanda efficacius, Animam etiam ad profectum excitat atque confirmat, ipsum denique Examinis laborem facit suaviorem. Porrò videtur mihi & gratum & utile lectori futurum, si praxim etiam ipsam hujus Examinis cum vulneribus Christi Domini conjuncti apposuero.

Praxis Examinis Conscientiæ, cum Christi Domini Vulneribus Coniuncti.

I. *Punctum Examinis, & 1. vulnus Christi in Pede dextro.*

Vulnus Sacratissimi Pedis tui dextri Dulcissime IESV, sit mihi Gazophylacium omnium donorum tuorum præsentium, præteritorum, & futurorum, communium, & particularium, Naturæ, Gratiæ, Gloriæ, quibus abusus sum, quæ pro bonis, ac beneficiis non reputavi, quibus etiam abs te, tuaque Gratia donandus eram, & essem, nisi me indignum feciſſem, & facerem; ac denique omnium omnino, quæ Tu meliùs nosti, beneficiorum, totius vitæ meæ. Vt in isto vulneris tui Gazophylacio, mihi integrè

tegrè & cum augmento conſerventur. Apud me enim bonis tuis male eſt, utpote qui prodigi ad inſtar filii, dignè illa æſtimare neſciens, temerè illa negligo, dilapido, deperdo.

II. *Punctum Examinis, & 2. vulnus Chriſti in Pede Siniſtro.*

Vulnus Sacratiſsimi Pedis tui Siniſtri Dulciſsime JESV, ſit Sol meus, qui lucis veritatiſque ſuæ radium emittat in Animam meam, ut cognoſcam, quis Tu ſis Domine, quis Ego, quid feceris mihi, quid debeam Tibi, quid ſit mihi Tecum, & quid ſine Te; utque pervadam omnes perverſi cordis mei latebras, & perſpiciam omnia Peccata mea, defleam illa dignè, & hujus tui vulneris pretioſo ſanguine eluam luculenter.

III. *Punctum Examinis, & 3. vulnus Chriſti in manu ſiniſtra.*

Vulnus Sacratiſsimæ manûs tuæ Siniſtræ Dulciſsime JESV, ſit ſpeculum meum, in quo videam & conſiderem, peccatorum, vitiorumque meorum multitudinem, gravitatem, fœditatem. Hoc enim vulnus à Te pro peccatis meis ſuſceptum eſt, unde & meritò in eo diſpici, ex eoque penſari debent. Videam ergo in hoc nitidiſsimo Iuſtitiæ ſpeculo.

I. Particulares meos defectus, cum quibus in Examine particulari hoc tempore ſpecialiter decerto: an eorum emendandorum propoſita pro aſsignato numero & tempore elicuerim, an occaſiones habuerim, an in occaſionibus debitè me geſſerim?

II. Videam quoque cogitationes meas, an fuerint otioſæ, vanæ, ſuperbæ, impuræ, guloſæ, vagæ, acedioſæ, iracundæ, abſorptivæ, fruſtra ſolicitæ, murmuratoriæ, cenſurativæ, ſuſpicaces, inconſtantes, puſillanimes, reſpectuoſæ, & ad ſpes, judicia, timoreſque humanos attendentes? An fuerint ſublimes, puræ, in Deum intentæ, ac directæ, Deo placere cupidæ, ſtudioſæ, à quæſitione & reſpectu ad me ipſum nudatæ & abſolutæ, Deo inhærentes, à rationibus æternis eductæ?

III. Videam verba: An fuerint ſuperba, tumida, mordacia, iracunda, perniciosa, præcipitata, inconſiderata, nimiùm exaggerantia ac ſuperlativa, ironica, ſarcaſtica, hyperbolica, immanſueta, detractoria, contumelioſa, convitiatoria, mendacia, ambigua,

bigua, falsa, simulata, adulatoria, importuna, otiosa, superflua, ridicula, officiosa, impura, &c? An contra, fuerint moderata, brevia, suo tempore, loco, modo, necessaria, utilia, proximi ædificativa, pietatem redolentia & aspirantia audientibus?

IV. Videam Opera. An fuerint nulla, non rectâ intentione facta, ad hominum gratiam, spem, laudem, metum, commoditatem propriam directa: non debito ordine, loco, modo, tempore; sinè debita attentione, diligentia, devotione, præsentia, reverentiaque Dei, sinè invocatione opis Divinæ, sinè prævia electione, deliberatione, non ad Dei, regularum, obedientiæ, rationis mentem: non item ad regulas perfectionis, & sublimitatis; sinè observationibus solitis aut placitis, ex mero usu, casu, temere: præter usum, & vitam, disciplinamque communem, contra officium, atque propositum proprium, cum molestia, injuria, præjudicio, scandalo aliorum, cum remorsu conscientiæ, cum languore, tœdio, dilatione, nausea, distractione animi, ex judicio, placito, voluntateque propria, contra fraternam charitatem, aut absque illa, cum effusione mentis, absque præsentia & dominio mei; cum festinatione, perturbatione importuna, in angustiis temporis, sponte vel errore causatis?

V. Videam omissa per negligentiam, insciticm, effusionem ad unum aliquid nimiam; ob affectûs impotentiam, ob levem, frivolam, & affectatam causam, ob dilationem, respectum, metum, difficultatis, censuræ, ac linguæ alienæ, ob neglectum ordinis, & temporum, & actionum, cùm tamen debuerint, potuerint fieri, in Dei gratiam & gloriam, in commune & proximi bonum, in meum profectum ac meritum, propter Obedientiam, Charitatem, exemplum, disciplinam vitamque communem.

VI. Videam quoque Aliena, mihi tamen imputanda, ob occasionem datam, ob imperium, consilium, exemplum, authoritatem, dissimulationem, indulgentiam, vel ejus spem, experimentumve, ob protectionem, participationem, non impeditionem, negligentiam in officio notam, probatam, speratam. Item aliter, aliena quidem, sed tamen mea facta à me, propter indagationem, vituperationem, censuram, reprehensionem, non cui intererat narrationem, cui intererat non narrationem, ob imitationem, & æmulationem, ob invidentiam, ob non datum auxilium, favorem, promotionem, stimulum, quo adjecto factum

fuisset bonum, vel non factum malum quodpiam vel simpliciter, vel commodiùs, vel faciliùs, vel utiliùs, vel perfectiùs, vel Deo gratiùs, glorioſiùſque.

VII. Videam denique Ordinem temporum, & actionum, perfectionem quoque & ſublimitatem earum. An v. g. factæ ſint ſuo & debito tempore, ordine, modo, an punctualiter, an cum adhibitione perfectionum communium, quales ſunt Præviſio, Electio, Intentio, Diligentia, Fervor, Efficacia, Conſtantia: particularium etiam, quales eſſe poſſunt ſublimis & defœcata Intentio, conatus heroicus totalis, gradus perfectionis ultimæ; ardens Seraphica, Mariana, Chriſti, divina, charitas, puritas. Reſignatio item, nuditas, gratuitas, & ab omni mercede, commodoque proprio etiam ſpirituali, etiam æterno, in quantum proprium ſit, abſolutio. Conatus totius, mei totius, univerſi, omnium electorum, &c. Conatus & fervor major & major dignus Deo. Vnio ad merita omnium Electorum, Pretioſiſſimæ Parentis, Chriſti Humanitatis, quàm adæquatiſſimè ad Dei dignitatem, voluptatem, guſtum, & ad alias rationes æternas, quas unctio docet.

IV. *Punctum Examinis, & 4. vulnus Chriſti in manu dextra.*

Vulnus Sacratiſſimæ Manûs tuæ dextræ Dulciſſime IESV, ſit mihi Contritionis Balneum, cujus virtute, & efficaciâ, & merito, defleo, & doleo, Emundoque omnia peccata mea admiſſa commiſſione, & omiſſione, in Te, in me, in ſuperiores, in Regulas, in vitam communem, in officium, in proximum æqualem, in inferiorem, in quamcunque creaturam. Cui ablutioni & dolori meo peto vel guttulam unicam, ſacratiſsimi tui ſanguinis, ex hoc Manûs Tuæ dextræ vulnere admiſceri, eumque ſic tuo Divino conſpectui per Sanctum Angelum Cuſtodem meum offerri, à Te autem Domino meo benigniſsimo acceptari, mihique veram & conſtantem, & perfectam vitæ, ac morum meorum emendationem & emundationem miſericordiſsimè indulgeri.

V. *Punctum Examinis, & 5. vulnus Chriſti in Latere & Corde.*

Vulnus Sacratiſsimi Cordis Tui Dulciſsime IESV, ſit mihi refu-

refugium, munitio, defensioque contra Iram tuam, contra fragilitatem meam, contra peccata mea omnia, æquè magna, atque parva, contra fraudes Dæmonum, atq; tentationes, contra Mundi & Carnis, & sensuum, & proprii amoris illecebras, contra damna, & pericula corporis, contra damnationem æternam. Sit etiam mihi abyssus peccatorum meorum omnium, in quam ego, cum plena & vera, & æterna cordis detestatione atque dolore abijcio, & demergo omnes omnino imperfectiones meas, nunquam inde extrahendas, aut revocandas, sed potiùs tuâ abundanti miseratione, meâ verò per auxilium gratiæ tuæ constanti emendatione, ampliùs & ampliùs demergendas & obruendas. Tu tantùm modò Dulcissime JESV largire mihi ex piissimi Cordis tui vulnere, vel unicam guttulam sanguinis Tui pretiosi, atque ibi me detine, excoque, exure, emunda, accende, ignefac, sublima, in Cordis Tui naturam perfectè converte, ad Purissimi Cordis Tui gustum, & placitum, ad puram & plenam annihilationem meam, Amen.

Ad hunc Examinis cum Passione Christi conjungendi modum, præclarè quoque accomodari potest Modus 22, supra positus: in quo Christus Dominus Beatæ Angelæ de Fulgino, totius sui Corporis, omniumque membrorum pœnas, contraponit ejusdem peccatis diversimodè ab ea commissis. Potest etiam eidem Proposito bene deservire modus 23. quin. & 24, & 25, & alii quidam: quos facili negotio licebit ad Examen Conscientiæ inflectere, cùm ferme illud in se contineant. Nec id mirum, cùm Examen Conscientiæ nihil aliud sit, quàm Modus quidam orandi meditandique utilissimus, qui si etiam à Passione Domini seu Passo Domino robur, pretium, efficacitatemque acceperit: non facilè quis alius meditandi & orandi modus illi comparari in sua utilitate poterit.

MODVS XLVII.

QVadragesimus septimus meditandi Passionē Domini Modus est, considerare Passionem in Eucharistiæ Sacramento, tanquam in suo memoriali delitescentem, an eluceſcentem? non facilè dixerim. Non sinè causa certè canit de illo Sacramento Ecclesia, O Sacrum Convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria Passionis ejus, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.

Novit nimirum in hunc usum præcipuè Sacramentum hoc cum suo usu atque ritu institutum à Christo esse, ut quotiescunque manducent Panem hunc, aut Calicem bibant Fideles, toties mortem Domini annuntient, toties id faciant in ejus commemorationem. Cùm ergo hoc ita sit, ex mente certè Christi erit, hunc meditandi Passionem ejus modum desumere, atque usurpare, nempe Passionem ipsam in Eucharistico convivio, tanquam in vivacissimo memoriali considerare. Cujus considerationis normam, ex Ludovico de Ponte, Lectori propono, abbreviatis alicubi, dilatatis etiam alicubi, scriptoris illius, spiritûs sapientiâ clarissimi, verbis.

Med. 6. Parte. Med. 41.

Desiderans Redemptor noster conservari in Ecclesia, perpetuam memoriam Passionis suæ, ac supremi per eam nobis collati beneficii, instituit Sanctissimum Eucharistiæ Convivium, in quo
» nobis quotidie dat in cibum & potum, Corpus & Sanguinem
» suum, sub accidentibus Panis & vini. Circa hanc Fidei nostræ
» veritatem, perpendendæ primùm sunt causæ, ob quas voluerit
» Christus Dominus noster, Passionis & mortis suæ ignominiâ &
» dolore plenissimæ, signum & memoriam esse convivium suavita-
» te plenissimum. Videtur enim magis ad rem facturus fuisse, si
» in memoriale hujus Passionis, nos nostrum Sanguinem funderemus: ut in circumcisione fiebat; aut si cibum aliquem amarum,
» lactucas nempe agrestes sumeremus, aut vinum myrrhatum cum
» felle acetoque mistum biberemus: sed his omissis Dominus no-
» ster in Pane & Vino eam memoriam instituit.
» *Primò* quidem, ut nobis suam paternam suavissimam boni-
» tatem aperiret, quâ ipse quidem sibi delegit pœnam & dolorem,
» nobis verò solam relinqueret memoriam, idque in rebus suavis-
» simis concluſam, hac simul ratione nos molestiâ liberans, fructu
» tamen molestiæ non privans. Simul etiam nos instruens, ut Di-
» vini honoris & proximorum salutis, fraternæque charitatis gratiâ,
» nobis deligeremus asperiora, fratribus verò & proximis defer-
» remus jucundiora.
» *Secundò*, Vt ex hoc cognosceremus, quantâ ille suâ voluptate, passionis labores pertulerit, quatenus ii nostræ utilitati & saluti deserviebant. Etsi enim Passio illa suâpte naturâ erat acerbissima, quia tamen nobis eam sciebat salutarem, inde illi erat gratissima. Ad quod manifestandum memoriam ejus nobis in solenni

solenni convivio reliquit, & in epulis suæ gratissimæ cum Ecclesia Sponsa desponsationis.

Tertiò, Vt agnosceremus, in Passione ipsius, non solam esse acerbitatem, sed summam etiam suavitatem: utque etiam discerem-us, passiones ab eo nobis immissas, jucundâ mente ejus causâ tolerare; & tanquam panem suavem manducare. Certè si aliud esset nihil in Passione atque Cruce nostra, quàm hoc, quia illam prior nostrî causâ Christus subiit: id plusquam satis esse deberet, ad excitandam in nobis, non tantùm suavitatem sed etiam famē atque Sitim Crucis.

Deinde considerandæ sunt Causæ, ob quas vòluit Dominus noster ipsemet realiter ac verè permanere in hoc Sacramento, ut illud esset Passionis suæ memoriale: ad quod realis præsentia minimè erat necessaria, sed sufficiebat esse Panem ac Vinum ad id ab ipso destinatum, sicut in Baptismo sufficit pura aqua, ad significandam ejus mortem ac sepulturam. *Rom. 6. 4.*

Sed Causa ejus rei fuit *Prima*. Vt nobis Dominus ostenderet quanti suam ipse Passionem faceret: ut qui voluerit ipse propriâ suâ personâ, realique præsentiâ esse ejusdem memoriale. Sic enim nos obligavit quàm maximè ad summam ejus beneficii æstimationem, & ad continuam ejus memoriam, & ad perpetuam pro eo gratitudinem. Cùm enim idem ipse sit qui Passus est pro nobis, & simul qui Passionis suæ memoriam per semet exsuscitat in nobis, quî fieri potest, ut nobis Passionis ejus aut oblivio, aut ingratitudo obrepat, habentibus tantum contra utrumque, & remedium, & excitamentum. 1.

Altera Causa fuit, ut ostenderet quanto desiderio non æstuârit solùm olim, sed etiam nunc quoque æstuet, patiendi pro nobis: quàmque non tantùm olim ardenter desideraverit mori, & pati, sed nunc quoque paratissimus sit omnia iterum iterumque tormenta, si opus ac expediens foret, repetere: idcirco, quandoquidem jam nihil attinet eum de novo verè atque cruentè pati, atque mori, delectat sese tamen patiendo atque moriendo, saltem per mortis Passionisque suæ repræsentationem in Missæ Sacrificio, atque Eucharistiæ Sacramento. Ita ut Agnus, qui ab origine mundi occisus est, in figuris animalium oblatorum, sic etiam nunc idem Agnus occidatur usque ad finem mundi in Eucharistico Sacrificio. E qua sua suavissima adinventione, ut & nos par- 2.

ticipare audeamus, gaudeamus de morte & Passione & Cruce illius, propter Amorem ipsius fratrumque nostrorum: *Semper mortificationem* JESV *in corpore nostro circumferentes. Mortificemur totâ die, atq; tanquam oves occisionis æstimemur, morientes quotidie propter Dei & fratrum gloriam.*

2 Cor. 4. 10. Rom. 8. 36.

Tertia Causa fuit, ut hac suâ præsentiâ reali suppleret defectus gratitudinis nostræ, cujus debitores sumus supra modum, non tantùm pro beneficio Redemptionis, sed etiam pro innumeris aliis beneficiis, de manu Dei acceptis: quæ quoniam infinita sunt, gratitudine nostrâ à nobis dignè compensari nullo modo possunt. Idcirco ipse per seipsum in hoc Sacramento se sibi & Patri Æterno exhibet gratum pro omnibus beneficiis, exhibet autem planè *gemitibus*, affectibus, effectibusque *inenarrabilibus*: excitans tamen simul nos secum ad eandem gratitudinem, cum cæteris virtutum affectibus exhibendam. Qua de Causa hoc Sacramentum Eucharistia, seu bona gratia, atque gratiarum actio nuncupatur, in qua ad litteram impletur etiam illud Psalmi verbum. *Confessio & magnificentia, opus ejus.* Verè enim ipsemet sibi confitetur, & laudes gratiasque agit pro beneficiis suis: neque ad hoc opus quisquam ex puris creaturis est idoneus, præterquam ipse solus. Nos enim aliud possumus nihil, quàm illud ejusdem Psalmistæ. *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo* atque glorificabo, gratiam gratiâ cumulans, & ipsâ gratiarum exhibitione novus majorque gratiarum actionis debitor existens.

1. Cor. 15. 31. 2. Rom. 8. 23. Psal. 110. 3. Psal. 115. 13.

Tertiò, Considerandæ sunt Causæ, ob quas Christus voluerit sub Panis & Vini speciebus esse memoriale Passionis suæ, cujus in ipsis speciebus est nec una, necmodica similitudo.

Prima Igitur Causa fuit ut significaret, quòd sicut in hoc Sacramento conjungitur Christus cum speciebus Panis & Vini, quorum ille conficitur ex multis granis, ex sua spica paleaque excussis, deinde confractis & contritis igneque tostis: hoc autem ex multis botris & uvis in torculari calcatis, atque pressis confluit: ita Sacratissimum Christi Corpus, in Passionis area fuit excussum, trituratum, contritum flagellis, pugnis, calcibus, spinis, clavis, calcatum quoque contemptibus, convitiis, contumeliis, tormento, torculariqúe Crucis, ita ut toto sanguine effluente Corpus ipsum exsangue remaneret. Quare has species Panis & Vini,

& Vini, vult esse nobis repræsentatrices totius Passionis suæ, omniumque laborum & dolorum, qui in ea fuerunt. Atque ita dum Sacratissimi Sacramenti Panem Vinumque sumimus, simul etiam sumamus, nobisque incorporemus Passionis, Crucis, Mortisque ejus pœnas, seu pœnarum sensum, gustum, amorem, imitandique, atque experiendi studium.

Altera Causa est: ut significaret, quòd sicut, qui in Sacramento species Panis & Vini accipit, eas quodammodo in sese sepelit; ita per hanc Sacramenti, seu potiùs sui in Sacramento intra nos sepulturam, Christus Dominus mortem sepulturamque suam repræsentat, repræsentando, etiam in nobis iterat, repræsentans quomodo ille in sua Passione, suorum persecutorum dentibus furiosis fuerat contritus, atque à morte devoratus, ac in sepulchro collocatus: simul verò communicanti suo Sacramento, præsentialiter assistens, immo immanens, eumque Spiritu fidei, reverentiæ, charitatis implens, communicat ei fructus suæ Passionis atque Mortis.

Recordare igitur, ô fidelis anima, quòd quoties communicas, toties efficeris Christi Domini sepulchrum, recipis enim illum & concludis, viventem quidem in sese, attamen secundum repræsentationem mortuum. Attende ut sis tu quoque Domini hujus *sepulchrum gloriosum*, propter excellentiam virtutum: attende ut sis *novum*, ob Spiritûs fervoris novitatem: attende ut sis *excavatum de petra*, ob imitationem vivæ Petræ, quæ est Christus. O Christe Dulcissime, Sanctifica hoc Animæ meæ, quod toties ingrederis sepulchrum, ut quamdiu in illo moraberis, digna tibi sit in ipso habitatio. Et sicut in illo saxeo Arimathæi sepulchro, nullus fuit alius, ante, & postea, unquam positus: ita quæso & in hoc cordis mei sepulchrum, nullus unquam deinceps ingrediatur, qui illud profanet, sed semper illud tibi novum conserva, & purum, ad gloriam nominis tui in æternum.

Isaiæ 11. 10. Matth. 27. 60.

Quartò Consideranda est causa, ob quam Christus Sacramentum suum Eucharisticum, in distinctis Panis & Vini speciebus institutum esse voluerit memoriale Passionis suæ, licèt enim verè & realiter sub utraque specie est Corpus atque Sanguis simul sese comitantes: directè tamen & ex vi verborum sub specie Panis, est principaliter solum corpus, sub specie quoque vini, directè & ex vi verborum, principaliter est solus sanguis.

Ex 4. Partis Meditatione. 13. Puncto 1. 5. 2.

Causa

Causa igitur ejus rei præcipua est, ut Dominus significaret suum sanguinem totum fuisse à corpore in Passione separatum. Ingentibus enim doloribus & tormentis, propter nostram redemptionem & ablutionem, illum effudit. Quare dum sacrum facio, vel illi interfum, & dum Sacramentum in Sacrificio sumo tanquam Sacerdos: videns seorsim hostiam, & postea calicem seorsim elevari, meminisse debeo, illius totalis separationis Sanguinis Christi à Corpore: attendens totum illum effusum collectumque contineri in calice simul. Qui quidem sanguis quinquies potissimum fusus legitur. 1. Sudore in Horto. 2. Flagellis ad Columnam. 3. Spineâ Coronâ. 4. Clavis in Cruce. 5. Lanceâ post mortem.

Quæ omnia meditatione percurrenti, licebit in singulis colloquia & petitiones cum amoris affectibus, & dolore, & gratiarum actione instituere, hoc, vel simili modo.

O Sanguis Christi Pretiosissime, sudore per omnes Corporis poros effuse, præ angustia & mœrore Animæ ingenti: gaudeo te in (isto) Calice contineri, ut à fidelibus adoreris; en ego te, quantum possum, adoro; supplicans, ut me ab anxietatibus tristitiisque æternis liberes, quas ego peccatis merui, & Tu Sanguine tuo abluisti.

O Calix Pretiosissime, Sanguine illo plene, quem Dominus meus ex toto corpore flagellis conscisso effudit. Eo item qui ex ejus dignissimo Capite spinis perforato effluxit: inebria me divino istius Sanguinis liquore, ut totus in ejus amorem convertar, qui te pro mei ampre cum tanta tua acerbitate profudit.

O Amantissime IESV, qui in isto Calice Sanguinem illum tuum reposuisti, quem per clavorum, & lanceæ vulnera effudisti, *quid tibi retribuam pro omnibus quæ retribuisti mihi?* nisi *Calicem salutaris accipiens* Sanguinem hunc tuum in eo contentum tibi offeram, sanctumque tuum nomen invocans glorificem. *Psal. 115. 13.*

Non absimiles his, affectus & actus, postulataque fieri possunt, ad, & super Corpus IESV Christi contentum & præsens sub specie Panis, ut saucium, lacerum, exsangue, lividum, discerptum, à crudelibus feris, pessimisque laniatum, ac pænè devoratum, in Cruce pendens, mortuum, depositum, sepultum, &c.

MODVS XLVIII.

QVadrageſimus octavus Paſſionem Domini meditandi modus eſſe poteſt; per collationem ejus cum aliis vitæ Chriſti myſteriis: quæ ratio meditandi, hanc præter alias, utilitatem habet, quòd unâ eâdemque operâ, complures ſimul vitæ Chriſti partes & actiones, commemorat atque conſiderat. Ejuſmodi aliquam ſpeciem propono.

1. JESVS naſcens in Nazareth (quæ vox florem ſonat) ex Virgine de Spiritu Sancto conceptus eſt.

Moriens in Horto à Iuda diſcipulo, conſilium traditionis in cor ejus mittente diabolo, traditus eſt.

2. JESVS naſcens, nocte mediâ, cùm medium ſilentium teneret omnia in Bethleem, (domo panis) inter nos homines prodiit, & noctem in diem vertit.

Moriens, mediâ etiam nocte, in Horto Olivarum (Symbolo miſericordiæ & Pacis) comprehenſus & captus, & in urbem deductus eſt: in Meridieque moriens, noctem mundo induxit.

3. JESVS naſcens lachrymas fudit, parvoque lacte paſtus eſt.

Moriens ſanguinem ſudavit, & membris planxit omnibus vino felle miſto, acetoque potatus eſt.

4. JESVS naſcens in præſepio inter bovem & aſinum poſitus eſt.

Moriens, in Cruce poſitus, inter duos latrones appenſus eſt.

5. JESVS naſcens, pannis involutus eſt.

Moriens, veſtibus exutus, nudus pependit.

6. JESVS naſcens, faſciis ligatus eſt.

Moriens, ligatus vinculis, & catenis, & clavis confixus eſt.

7. JESVS natus, à multitudine Militiæ cœleſtis Salvator dictus, & adoratus eſt.

Moriens, à multitudine furente ſeductor, blaſphemus, reus mortis, Cruce dignus dictus eſt.

8. JESVS natus, à ſtella cœleſti Magis demonſtratus eſt.

Moriens, à Sole & luna & toto univerſo planctus, & defletus eſt.

9. JESVS naſcens, à Regibus ſiue Magis adoratus & muneribus cultus.

Moriens, à Principibus illuſus, contemptus, morti traditus eſt.

10. JESVS nascens, à pastoribus ovium agnitus salutatus est.

Moriens, à Pastoribus Synagogæ, abnegatus est.

11. JESVS nascens, octavo die circumcisus est.

Moriens, toto corpore in flagellatione, coronatione, crucifixione sauciatus est.

12. JESVS nascens nomen JESVS, ab Angelo antequam nasceretur nuncupatum accepit.

Moriens, à Pilato titulum JESV Nazareni, super crucem appositum retulit.

13. JESVS nascens, à Simeone in templo oblatus est.

Moriens, à Principibus Sacerdotum in Calvario Monte crucifixus est.

14. JESVS nascens, ab Herode Patre persecutionem passus est.

Moriens ab Herode filio spretus, illusus, pro stulto & insano judicatus est.

15. JESVS nascens, fugâ vitam servavit.

Moriens, ultro hostibus obviam processit.

16. JESVS duodennis, in medio Doctorum interrogans & audiens eos, inventus est.

Moriens, à Concilio legisperitorum interrogatus, & reus mortis, blasphemus, damnatus est.

17. JESVS à Ioanne Baptisatus est in Iordane.

Moriens, baptisatus est in Passione.

18. JESVS de Cœlo à Patre æterno testimonium accepit, quòd esset Filius Dei.

Moriens falsis testimoniis accusatus, & quia Filium Dei se fecit, occisus est.

19. JESVS in deserto tentatus est.

Moriens potestati tenebrarum traditus est.

20. JESVS vivens, ad pœnitentiam invitavit, & Regnum Cœlorum appropinquasse docuit.

Moriens, pœnitentiam pro nostris peccatis egit, & Regnum Cœlorum suo Sanguine aperuit.

21. JESVS doctrinam suam ascenso monte promulgavit.

Moriens, eandem legem suam in monte super crucem, morte suâ sanxit.

22. JESVS vivens ad Regnum quæsitus est.

Mo-

Moriens purpurâ indutus, coronatus ſpinis, arundinem geſtans, ut ambitioſus Rex, illuſus & ſalutatus eſt.

23. JESVS in vita ſtultus, inſanus, furens, dœmoniacus creditus eſt.

Moriens veſte albâ ut fatuus indutus & illuſus eſt.

24. JESVS vivens, aquam in vinum convertit.

Moriens, vinum in ſanguinem ſuum tranſmutavit.

25. JESVS vivens, carnem ſuam in cibum, ſanguinem in potum dare promiſit.

Moriens, in ultima cœna id exhibuit.

26. JESVS vivens, dœmonia ex hominibus ejecit.

Moriens, dœmonia vicit, arma eorum ſpoliaque in quibus confidebant, diripuit.

27. JESVS vivens, per Herodem, vocem (Ioannem) amiſit.

Moriens, apud Herodem mutus ſtetit.

28. JESVS vivens, mortuos ad vitam revocavit.

Moriens, pro mundo, omnes ad vitam revocavit, & chyrographum mortis, Cruci affixit.

29. JESVS vivens, in Monte Thabor transfiguratus eſt.

Moriens, in Monte Calvario deformatus, ſine ſpecie, & decore factus eſt.

30. JESVS aſello geſtatus, acclamante populo, Vrbem ingreſſus eſt

Moriens. ipſe ſuâ cruce onuſtus, triumphantibus inimicis, extra Vrbem ductus eſt.

31. JESVS vivens, à Magdalena ad ſepeliendum unctus eſt.

Moriens, ſputis fœdè illitus, mortuus, à Ioſepho & Nicodemo cum aromatibus ſepultus eſt.

32. JESVS vivens, ubi caput reclinaret non habuit.

Moriens, inclinato, ſeu pendulo capite expiravit, & alieno in ſepulchro conditus eſt.

Hunc in modum omnia ferè opera, & præcepta, conſilia, miraculaque Chriſti Domini, poſſunt alicui parti Paſſionis Chriſti, vel comparando, vel contraponendo, conferri: ſed hæc in ſpeciem attuliſſe ſufficiet.

MODVS XLIX.

QVadragesimus nonus Passionem Christi meditandi modus esse potest, conferendo illam cum judicio, quod Christus cum toto humano genere exercebit in fine Mundi, quando reddet unicuique secundùm opera sua.

Est autem advertendum, constare ex Scripturis Sacris, ac potissimùm ex ipsiusmet Christi Domini sensu, atque verbis Passionem Christi, quoddam Iudicium fuisse: non illud tantùm, quo ipse ab impiis iniquè judicatus & damnatus est, sed etiam illud quod ipse partim in ipsa Passione exercuit, partim quod in mundi fine exerciturus est. Factum à se judicium in Passione testatur ipse Christus dicens. *Nunc judicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Mundus ergo & mundi princeps diabolus in Passione Christi, à Christo judicatus, damnatus, ejectus foras, triumphatus, spoliatus, traductus, & iniquâ Tyrannicâq; potestate, & captivitate exutus est. Porrò exercendi olim à se judicii in omnes homines luculentam Dominus prædictionem denunciationemque fecit apud universum Concilium, & coram summo Pontifice Caipha, à quo cùm esset adjuratus, ut diceret esletne Filius Dei, & Christus, ita respondit. *Tu dixisti. Ego sum. Verum tamen dico vobis, à modo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus Cœli:* Quod ipsũ iterum posterâ luce in eodem consessu Iudicum & Principum, Doctorumque repetens, confirmavit. Causa verò propter quam ita Christus cum Passione sua Iudiciariam simul suam potestatem, actumque ejus à se exercendum cohærere vel voluerit, vel ostenderit: sine dubio partim illa est una, quia Passione suâ, quam ex iniquissimo Iudæorum & Gentilium judicio decretoque sustinuit, Iudiciariam Potestatem Majestatemque sibi merebatur, juxta illud Prophetæ dictum. *Causa tua quasi impii iudicata est, causam iudiciumq; recipies.* partim etiam illa altera, quia Passio Christi, revera quædam imago & delineatio viva luculentaque fuit eorum omnium, quæ in judicio Christi extremo cum peccatoribus fient. Ad quod nescio an non planè respexerit Dominus Jesvs, in illis verbis, quæ mulieribus super se lamentantibus atque plorantibus dixit. *Filiæ Ierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Quoniam ecce venient,*

Ioan. 12. 31.

Matth. 26. 64. Marc. 14. 62. Luc. 26. 69.

Iob. 36. 17.

Luca 23. 28.

dies,

dies, in quibus dicent : Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus: cadite super nos: & collibus, operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Quæ Domini sententia, ac prædictio, etsi respicere videatur vastationem eversionemque Ierosolymæ, quæ post mortem Domini, quadragesimo anno facta est, indubitatè tamen etiam respexit judicium universale, & eversionem ultimatam Babylonis, seu omnis Reipublicæ impiorum: cujus figura fuit ipsa illa Ierosolymæ devastatio, per Romanos facta. Maximè autem hoc evincit illa Dominica sanè pathetica, & comparatio, & interrogatio, & exclamatio. [Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?] Hîc enim Dominus lignũ viride, ligno arido, factis in viridi ligno, futura in arido confert; & à minori ad majus arguens, indubitatè miserabiliora eventura denuntiat ligno arido, id est cuilibet impio, quàm evenissent, aut quandoquidem tam miserabilia evenissent ligno viridi, & fructifero, ipsi nimirum Christo.

His ita declaratis, Meditatio institui poterit per comparationem viridis ligni cum arido, & simul gestorum in viridi cum gerendis in arido. Cujus collationis aliquantulam speciem hoc loco exhibeo.

I. IESVS venditus est & traditus in manus peccatorum.

Vnusquisque peccator & omnis turba peccatorum venundabitur infelix: & diabolus stabit à dextris cujuslibet, & jam ex tunc dicetur tam his, quàm illis. *Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum.* Luca 22. 53.

II. IESVS factus est tristis usque ad mortem, & sudavit etiam sanguinem.

Sudabit etiam omnis turba peccatorum, sudabit & præ angustia Spiritûs gemet, eritque ejus Animæ tristitia usque ad mortem sine morte. Arescentibus nimirum hominibus præ timore & expectatione, Si justus vix tunc salvabitur, impius & peccator ubi parebunt?

III. IESVS captus est & vinculis ligatus tanquam latro, &c.

Omnes peccatores terræ, ligati vinculis & compedibus peccatorum suorum, non tantùm in animabus, sed etiam in corporibus separabuntur tanquam hædi ab ovibus, & à sinistris collocabuntur.

IV. IESVS accusatus, examinatus, reus mortis judicatus est.

In Iudicio peccatorũ, aperientur libri conscientiarum. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque propria corporis, sive bonum, sive malum. Tunc erit conscientia impii quasi mille accusatores, & quasi mille testes, tunc nemo respondebit Iudici Christo unum pro mille: tunc Iudex arguet, & statuet unumquemque contra faciem ejus.

V. IESVS ad flagella nudatus, & flagellis cæsus est.

Stabit & quilibet peccator in oculis totius Cœli, & Terræ, nudus, tam animâ, quàm corpore, & dicetur de eo. Ecce Homo & opera ejus, & operiet confusio faciem illius, & flagellum peccatoris veniet super eum, nunquam per omnem æternitatem recessurum ab eo.

VI. IESVS coronatus, illusus, consputus est, & cum voce Ecce Homo monstratus est.

Coronabitur caput omnis peccatoris, spinis peccatorum suorum, & sicut diploidem induet confusionem, & illudet ei omnis creatura, armabiturque contra eum à quo servire sibi compulsa fuit ad malum. Tunc omnia solatia hujus vitæ, vertentur in spinas, tunc spes omnes, in cassam arundinem convertentur: tunc dicet de peccatore Tyrannus & Captivator ejus diabolus *Ecce Homo*, & scelera ejus: tuuc à planta pedis ad usque verticem supergressas eum iniquitates ostendet, dicens & amarè improperans, per singula scelera. Ecce Homo ille, qui pro eo quòd Deum factorem & salvatorem suum colere debuit & amare, me suum & Dei hostem amavit, mihique ad voluntatem meam servivit. Ecce Homo ille, qui Christum Dei Filium Hominem pro se factum atque crucifixum ostentui habuit & crucifixit. Ecce Homo ille, qui Dei & Christi legem noverat, beneficia acceperat, tot auxilia salutis, tanta pœnitentiæ spatia habuerat, par tamen gentilibus, immo pejor gentilibus vixit. Ecce Homo qui annos vitæ in sceleribus traduxit, qui toties rediit ut canis ad vomitum, ut sus lota ad volutabrum luti, qui speravit in incerto divitiarum, cui Deus venter erat, qui pauperem & pupillum devorabat, &c.

VII. IESVS à Pilato manus lavante, & à populo sanguinem Christi super se & filios assumente, damnatus est mortis sententiâ.

Lavabit etiam IESVS Iudex, manus suas in sanguine omnis peccatoris: & sanguinem cujusque dabit super caput ejus, & dicet:

cet: a *Nescio vos*, b *discedite à me operarii iniquitatis* c *maledicti in ignem æternum qui paratus est diabolo & Angelis eius.* Succlamantibus inter hæc creaturis omnibus; *Tolle tolle, crucifige, crucifige*, sanguis ejus super caput ejus, tollatur impius ut non videat faciem Dei.

a *Matt.* 25. 12.
b *Luc.* 13. 27.
c *Matt.* 25. 41.

VIII. IESVS felle & aceto potatus est, atque onustus cruce locum mortis petiit.

Tunc etiam peccatoribus omnia in fel amaritudinis, & in obligationem iniquitatis commutabuntur, ipse etiam Deus, ipse Christi sanguis, ipsa Misericordia, Bonitas, & Charitas: tunc portabunt omnes improperium damnationis æternæ. Tunc aperiet terra os suum, & deglutiet eos infernus vivos; & descendent in infernum sicut plumbum aut lapis, unus ex eis non remanebit, & ascendet fumus tormentorum eorum in sæcula sæculorum.

IX. IESVS clavis Cruci affixus est.

Configentur etiam & affigentur impii omnes in carne & anima clavis æternæ damnationis, & sententiæ abjectionisque immutabilis, & ibunt in combustionem æternam, cujus non erit finis, nisi quando Deus, qui semper est Deus, desinet esse Deus.

X. IESVS ab omni genere hostium illusus & blasphematus est in Cruce pendens.

Et peccatori omnis creaturarum populus, omnis natio electorum, omnis turba damnatorum, dæmonum, improperabit, & illuder, quoniam a *noluit benedictionem & elongabitur ab eo*, elegit maledictionem & veniet ei, & implebitur ab ea.

a *Psal.* 108. 18.

XI. IESVS se à Deo derelictum clamavit.

Clamabit & omnis, peccator quod olim Caim dixit Deo, Ecce ejicis me à facie tua: clamabit Deo. Deus ut quid dereliquisti me, Deus autem respondebit: Dereliqui te quia dereliquisti me, fontem aquæ vivæ, & fodisti tibi cisternas dissipatas, & ecce relinquetur tibi domus tua deserta in æternum. Clamabunt insuper etiam dæmones, Deus dereliquit eum. Euge Euge devorabimus eum.

XII. IESVS in Cruce clamavit sitio, & aceto potatus est.

Reprobi quoque omnes in flammis ustulati, & igne saliti, cum epulone illo guttam aquæ petent, propter cruciatum flammarū, neque tamen obtinebunt in æternum.

XIII. IESVS, in Cruce dixit Consummatum est.

Peccato-

Peccatores damnati & in infernum amandati, inque æternam combustionem absorpti, desperatis vocibus dicent, consummatum est, quia in inferno nulla redemptio. Consummabitur peccator, & consumetur, & descendet in infernum vivus, & claudetur puteus abyssi, clavem autem clausuræ ejus accipiet Deus, deponetque illam in æternitate & immensitate oblivionis, ut nunquam memoretur illorum ampliùs.

XIV. IESVS inclinato capite tradidit Spiritum.

Peccatores miseri dejectis & obstipis capitibus tradent corpora animasque suas, diabolo, & Angelis ejus. Mors secunda, mors æterna, mors vivens depascet, & pascet eos, & sepeliet in terra oblivionis, inter illos, quorum Deus non est memor ampliùs.

XV. IESV mortuo, petræ scinduntur, & sepulchra aperiuntur, & velum templi scinditur, & homines percutientes pectora sua revertuntur.

O Peccatores, ne sitis mortuis mortui magis, ne petris duri magis, ne terræ mole immobiles magis. Memores estote Iudicii IESV: sic enim erit & vestrum: sed longè majore cum differentia, infinitè cum dispari exitu. IESVM enim post baptismum Passionis gloriâ & honore coronatum, in Cœlis Thronus ad dexteram Patris accepit, at vobis in duro & impœnitente corde sepultis supererit semper æterna damnatio, lamentatio, maledictio. Ita quod factum est in ligno viridi, fiet longè miserabilius etiam in arido: sed ne fiat in arido factum est in viridi, si tamen lignum aridum studuerit sese in vitæ, & morum, & passionis imitatione conformare ligno viridi.

Sed libet hunc modum, ipsius Christi Iudicis ad peccatorem verbis concludere, quibus eum loquentem facit Sanctus Augustinus.

Serm. 181. de temp.

Quid faciet (peccator pœnitentiæ remedia nunc negligens & contemnens) in illo metuendo Iudicii die, cum tremente mundo, Dominus præcinentibus Angelorum buccinis, in illo majestatis
» suæ throno circumdatus cœlestis militiæ luce consederit, ibique
» de terræ gremio, & antiquo pulvere suscitato humano genere,
» astante conscientiæ testimonio singulorum, positis in conspectu
» peccatorum pœnis, justorumque præmiis, rationem vitæ cœperit
» postulare, & plùs jam justus, quàm misericors, severitate Iudicis
» contemptæ misericordiæ reos cœperit accusare & dicere. Ego te homo

homo de limo manibus meis feci, ego terrenis artubus infudi Spiritum, ego tibi imaginem noſtram ſimilitudinemque conferre dignatus ſum, ego te inter paradiſi delicias collocavi; tu vitalia mandata contemnens, deceptorem ſequi quàm Deum maluiſti. Cùm expulſus de Paradyſo jure peccati, mortis vinculis tenereris, virginalem uterum ſinè diſpendio virginitatis pariendus introivi, in præſepio expoſitus, & pannis obvolutus jacui, infantiæ contumelias, humanoſque dolores, quibus tibi ſimilis fierem, ad hoc ſcilicet, ut te mihi ſimilem facerem, pertuli: irridentium palmas, & ſputa ſuſcepi, acetum cum felle bibi, flagellis cæſus, vepribus coronatus, cruci affixus, vulnere perfoſſus, ut tu eripereris morti, animam in tormentis dimiſi. En clavorum veſtigia, quibus affixus pependi, & perfoſſum vulneribus latus; ſuſcepi dolores tuos, ut tibi gloriam darem, ſuſcepi mortem, ut tu in æternum viveres. Conditus jacui in ſepulchro, ut tu regnares in Cœlo. Cur, quod pro te pertuli, perdidiſti? Cur ingrate redemptionis tuæ munera renuntiaſti? Non ego te de morte tua quæro? Redde mihi vitam tuam, pro qua meam dedi; redde mihi vitam tuam, quam vulneribus peccatorum indeſinenter occidis. Cur habitaculum, quod mihi in te ſacraveram, luxuriæ ſordibus polluiſti? Cur corpus meum illecebrarum turpitudine maculâſti? Cur me graviore criminum tuorum cruce, quàm illa, in qua quondam pependeram, afflixiſti? Gravior enim apud me peccatorum tuorum crux eſt, in qua invitus pendeo, quàm illa in quam tui miſertus, mortem tuam occiſurus, aſcendi. Cùm eſſem impaſſibilis, pro te pati dignatus ſum, ſed tu deſpexiſti in homine Deum, in infirmo ſalutem, & quia poſt omnia mala tua, ad medicamenta pœnitentiæ confugere noluiſti, ab auditu malo non mereberis liberari.

Qui tunc erit ſtridor dentium, cùm Sanctorum multitudine ad dexteram Regis, & ad gloriam ſegregatâ, peccati populus, in profundo tartari, ſinè ulla miſerationis ac veniæ ſpe demerſus, excludi ſe tenebris ſuis, à beata Sanctorum luce viderit, & in profundi ſinum ſinè fine deſcendens, urgente os ſuum puteo, æterna ſupplicia, & perpetuam mortem, non moriturus aſpexerit. Hactenus ex Divo Auguſtino.

MODVS L.

QVinquagesimus meditandi Passionem Dominicam modus esse potest ille, quem usurpâsse traditur Divus Augustinus: quando nimirum constituens sese devotissimus Pater contemplatione, medium inter Christum Passum, & inter Matrem ejus sacratissimam, nunc huc, nunc illuc, sese affectu devoti & amantis cordis obversans, atque utrobique, immensam beatæ pietatis materiem cernens, quin & hauriens, animi veluti dubius devotissimè dicebat. Positus in medio, quò me vertam nescio: hinc pascor à vulnere, hinc lactor ab ubere.

In Chronico & in vita D. Augustini scripta per Cornel. Lancell. l. 3. c. 31. Et apud Valdensem in theatro Rel. fol. 123. & 358.

I. Ad hunc enim modum, licebit cuique Passi IESV, ejusque Matris MARIÆ amatori, sese medium amborum cum reverentia & pietate, corpore simul animoque statuere, atque alternante devotionis æstu, nunc ad JESVM passionibus vulneribusque cumulatum, nunc ad Matrem ejusdem Misericordiæ ubera promentem sese obvertere, & utriusque piissimam redundantiam, opportunitatem, commoditatem spectando expendendoque, animo veluti dubium fluctuare, demirari, hic, illicque hærere, morari, ac rursum redire, rursumque anhelare: utrique sese humiliare, submittere, donare, utriusque amorem, obsequium, gratiam, protectionem, familiaritatem, delicias, opesque ambire, exorare, capere.

II. Aliquando licebit oculos cordis corporisque, nunc in JESVM Passum, omnis miserationis Patrem, nunc verò in MARIAM misericordiæ Matrem defigere, & aut suas necessitates internas externasque, alterutri vel utrique denarrare sublevandas, aut communia quædam publicaque negotia recommendare, aut singularia pro se, proque aliis beneficia reposcere, aut pro collatis nunc olimve beneficiis, plenas gratias agere, aut promeritas pœnas deprecari.

III. Aliquando licebit JESVM Passum (Patientemve) indigna omnia, Matri ejusdem, vel contra, Matrem Misericordissimam JESV Passo ostendere & exhibere, & animam propriam utriusque erga alterum affectibus & amoribus pascere, aut ab JESV per MARIÆ ubera; aut à MARIA per JESV vulnera, totum quidquid piè sanctèque collibuerit exposcere, immo & exigere, interpositâ alterius apud alterum tanquam pignore, illâ amoris redundantiâ, illâ conjunctionis Filii Matrisque naturâ, illâ ad

miseran-

miserandum reciprocâ propensione, ac veluti obligatione.

IV. Aliquando licebit suo cum animo, quamnam in partem primò, in quam autem secundò sese convertat & affigat deliberare: deliberationis materiam non levem suggerentibus inde quidem turgidis omni gratiarum dulcedine uberibus, illinc verò fœcundis omni sanitatum & bonorum fructu vulneribus, tandem autem deliberatione conclusâ, alterutram partem arripere, & sese in ea saginare, saginatum verò in una, ad alteram novâ & irritatâ tantummodo fame, sitiqúe sese applicare inibique demergere.

V. Aliquando licebit uni parti supplicem fieri, ut supplicantem alteri commendet, ejusque oculis & curâ dignum, de suis thesauris abundè faciat; vicissim verò licebit ab altera alteri parti commendatum ditatumque remanere apud ipsam, eique adhærere.

VI. Aliquando licebit, vas cordis proprii, nunc Christo vulneribus sanguineque redundanti, nunc Matri misericordiæ stillanti exponere ac supponere, ut ab utriusque pretiosissimo efficacissimoque fonte vel tanquam pollutum abluatur, vel tanquam inane omni bono repleatur, vel tanquam misere saucium morbidumq; perfectè sanetur, vel tanquam frigidum accendatur, vel tanquam aridum & sterile irrigetur ac fœcundetur.

VII. Aliquando licebit dare Animam Matri Misericordiæ, ejus ut misericordiis lactata & nutrita, à lacte parvulorum, transmittatur ad solidum Passionis Crucisque Christi cibum; vicissim verò licebit dare eandem Animam Christo Patienti, ut solido Crucis, vulnerum, improperiorumque ejus cibo saginata, apud ubera Gratiæ Maternæ recreetur, sicque Anima & lactis particeps sit, & tamen solidi cibi non expers.

VIII. Aliquando licebit duobus his (JESV Passo, & MARIÆ Matre) veluti Paradiffis aut Cœlis gloriantem, utriusque fructibus gaudentem ac divitem, per eos ad tertium Cœlum consummatæ charitatis perfectæque unionis & conformitatis cum Deo, non solùm aspirare, sed etiam gradum facere, ac introire; juxta illud Christi verbum, *per me si quis introierit, ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet*; gloriam nempe sanctissimæ Trinitatis, ejusque magnalia contemplando, *transformabitur de claritate in claritatem.* Ioan. 10. 9. 2. Cor. 3. 18.

IX. Aliquando licebit in vulneribus Christi ubera, in uberibus MARIÆ vulnera commutatis vicibus reperire, atque ab uberibus vulneratum maternis, inter ubera vulnerum JESV Sanari, ab uberibus

ribus autem vulnerum JESV inebriatum, inter vulnera maternorum uberum, sobriam Spiritûs ebrietatem bibere.

X. Aliquando licebit cum adolescentulis animabus, primitias ferventis Spiritus ad obsequium Dei apud materna ubera emendicare ac exsugere: cum solidis autem atque perfectis apud vulnera Passi, Pauperis, Contempti, Stulti, Crucifixi JESV supereminentem scientiam, veramque sapientiam in plenitudine cordis haurire, & *Charitatis longitudinem, latitudinem, sublimitatem, profundumq; subingredi, ac penetrare cum omnibus sanctis.* *Ephes. 3. 18.*

XI. Aliquando licebit passis brachiis manibusque Animæ, JESVM hinc, MARIAM illinc, complecti: atque coram Cœlo & terra, coram Deo & Angelis Sanctisque ejus, in Domino gloriari non insipienter, de tam beata sua sorte: hoc est, de possessione JESV, & MARIÆ, de thesauris, de sanitatibus, de virtutibus, de meritis, de gratiis, de protectione, &c. Licebit etiam confidenter omnibus infernalibus potestatibus insultare atque dicere v. g. Ecce Crucem Domini, fugite partes adversæ. Ecce Mulierem, quæ calcaneo suo contrivit caput tuum ô serpens antique. Licebit Apostolico animo dicere. Quis nos separabit à Charitate Christi, & à dilectione ejus Matris, certus sum quia neque mors, neque vita, &c. Licebit renuntiare omnibus mundi rebus, possessionibus, atque hujus vitæ curis: solâque hac duplici hæreditate contentari; inter JESV & MARIÆ providentiæ pietatisque plenissimas manus securum in pace in id ipsum dormire atque requiescere. Et huic uni curæ superimpendi quomodo JESV & MARIÆ per omnia conformeris, atque complaceas ampliùs, & ampliùs assiduò.

XII. Aliquando licebit prostratum coram IESV & MARIA utrosque variis & heroicis, seu virtutum præcipuarum, seu affectuum ferventium, seu mortificationum, victoriarumque internarum externarumque actibus coronare, cumulare, venerari, deprecari, extollere, gratiarum actione prosequi, ad usque expletionem famis tuæ, usque ad contentationem oblectationemque cordis & desiderii amborum.

Plura hujusmodi ad imitationem sanctissimi ac Devotissimi Patris Augustini, inter vulnera IESV, interque ubera MARIÆ multis mirisque modis deliciantis, atque diffluentis excogitare atq; usurpare licebit cuique, exercitiorum genera. Hæc duodecim in exemplum dedisse sufficiet.

MO-

MODVS LI.

QVinquagesimus primus Passionem Dominicam meditandi modus esse potest; Considerando gradus quosdam in ea, alios aliis quodam modo altiores, per quos sese tum charitas Christi Patientis, cùm acerbitas Passionis ejus in immensum extulit: nobisque viam aperuit, gradusque disposuit, per quos erga Christum in amore, in gratitudine, in admiratione, in imitatione, in Compassione crescamus & ascendamus usque ad summum. Explicat hosce gradus tam Passionis Christi, quàm nostræ compassionis, Pater Thomas Massutius in opere suo de cœlesti conversatione, ex quo etiam contractis nonnullis eos hoc loco apponere visum est. *Massutius de cæl. conver. l. 6. c. 3.*

[Sex gradibus ascendebatur ad summitatem throni, quem magno sumptu Rex Salomon sibi construxerat. Sint igitur pro devotis animabus sex, piæ compassionis, gradus, in mente firmati vivâ fide, & ordinati fervidâ charitate, erga Dominum ac Redemptorem nostrum, per quos illum usque ad Crucis solium comitemur. *2. Reg. 10. 18. Cant. 3. 9.*

Est autem Primus Compassionis gradus ascendendus, per considerationem summæ Innocentiæ Christi Patientis. Tantò enim major Compassio in corde suscipietur, quantò dolor illatus immerenti, propter quem dolemus, indebitus magis, indigniorque judicabitur. Quid autem indignius, quàm multiplicare afflictiones veluti reo maximorum scelerum, cui ne levissima quidem culpa justè unquam imputari potuit? Iob Sanctus ajebat. *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram meruí, & calamitas quam patior, in statera, quasi arena maris hæc gravior appareret.* *Iob 6. 2.* Neque tamen Sanctus Iob culpam negabat omnem, immo agnoscebat. *Si justificare me voluero, os meum condemnabit me.* *Iob 9. 20.* Dicebat tamen pœnam culpæ comparatam, si ad lancem vocaretur, videri sibi longè graviorem, & exinde magnâ amicorum commiseratione dignum. Sed quæ Innocentia, Iustitia, Sanctitas, componi potest Innocentiæ, Iustitiæ, Sanctitati, Redemptoris? qui antonomasticè vocatur Iustus, Sanctus Sanctorũ, Agnus Dei, Innocens, segregatus à peccatoribus. Vnde & per solenniſsimum Agni Paschalis Sacrificiũ, figurabatur. Certè, si quis infantem, quo nihil apud nos solet esse innocentius, videret, quasi convictum atrocis sceleris, crudeliſsimè torqueri, & interfici: intelligens, parvulum id ætatis nihil omnino committere mali potuſse, ex corde illi compateretur: atqui omnis *Isaiæ 57. 1. Dan. 9. 24. Ioan. 1. 29.*

sive Angelorum sive hominum Innocentia, in unum coalita, unam Christi Innocentiam nullatenus æquaret, sed ab ea plurimum deficeret. *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, Sanctus, Innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, excelsior cœlis factus.* In aliis omnibus creaturis rationalibus, peccatum (ex quo pœnæ dignitas seu reatûs manat) aut jam est, aut aliquando fuit, aut certè absolutè esse potuit ex intrinseca ratione personæ: estò ob aliquâ extrinsecam suppositionem exclusum sit. At in Christi persona neque culpa, neque culpæ pæna ulla, ullo modo esse potuit, *sed in naturæ humanæ susceptione, facta est gratia illi Homini naturali, quòd nullum peccatum posset admittere.* Si ergo juxta majorem Innocentiam patientis, major alterius erga ipsum debet esse commiseratio, quis dignè exprimet, quantùm de nostro affectu sibi vendicet, primus hic gradus compassionis.

Heb. 7. 26.

Augusti. Enchir. c. 40. & 41.

Secundus Compassionis gradus altior priore, ob motivum altius, est ex dignitate Patientis. Considerando enim illum qui patitur non solùm innocentissimum esse, & absque omni demerito, sed etiam tanti esse meriti, tantæque dignitatis & majestatis, ut omni honore, reverentiâ, obsequio, ab omni creatura sit dignissimus: cum verò tamen indignissimè tractari videndo, necesse est compassionis affectum in compatiente, plurimùm excrescere. Faciamus quempiam Regium juvenem, nullius quidem culpæ omnino reum, potiùs autem ob summam virtutem, probitatem, sapientiâ, heroicas actiones, nobilitatem generis, utpote Regis filium, regnique hæredem, omnium honore, cultuque dignissimum, cum tamen, cum facinorosissimis indignè tractari, cruciari, patibulo affigi, sinè ulla ut causa, ita & procul omni reverentiâ, probrosissimè haberi si videamus: nonne tygridib⁹ essemus crudeliores, si nos tantæ personæ, tam miserabilis indignusque status & aspectus, ad summā commiserationem, non vehementer commoveret. Atque hæc omnia in Christo concurrisse agnoscimus. *Qui habet in vestimento, & in femore scriptum, Rex Regum, & Dominus Dominantium,* quem Pater Æternus *constituit hæredem universorum, per quem fecit & sæcula,* cui Angelorum millia ministrant & assistunt, hic tamen à mancipiis creaturisque suis, durissimè simul ac vilissimè illuditur, laniatur, inter latrones cruci affigitur, & necatur. Parvusne hic ad commiserationem gradus?

Apoc. 19. 16. Heb. 1. 2. Dan. 7. 10.

Tertius Compassionis gradus conscenditur consideratione cujusdam

jusdam nostræ cum Christo Patiente relationis, seu propinquitatis. Considerando enim hunc qui patitur, non solùm innocentissimum, non solùm dignissimum esse, sed etiam nobis conjunctissimum: sive ut plenius res exprimatur, nos illi plurimis relationibus devinctissimos: magis quàm fratri; plùs quàm Matri & Patri amantissimo, plùs quàm amico fidelissimo, benefactori per omnia beneficiorum genera beneficentissimo, Domino supremo, Creatori, Gubernatori, Conservatori summo: uno verbo. Nulla excogitari potest amoris conciliandi ratio, & relatio, quæ inter nos Deumque (ad quem sumus, à quo sumus, propter quem sumus) eminentissimè non contineatur. Si ergo una aliqua relatio, amandive ratio, tantum potest inter homines, quantum quotidie videmus & attestante scriptura scimus: (ut inter Iacobum & Ioseph, inter Davidem & Ionatham, inter eundem David & Absalonem, licèt perduellem, quia tamen filium:) quantùm non poterit, posse certè debebit, illa universitas relationum, excellentiaque simul earum, nobis cum Christo Patiente intercedentium, quantùm inquam, non poterit in nobis excitare affectus, seu dilectionis, seu compassionis.

Quartus Compassionis gradus, assurgit ex consideratione, quòd Christus tantus ac talis, taliterque nobis conjunctus, omnia illa quæ patitur: propter nos solos, & non propter ullos alios patitur. Propter nos, inquam, non in eo solum sensu, quia in nostrum bonum, & propter nostri amorem: sed etiam in eo, quia patitur ea, quæ nos pati debuimus; patitur, ne nos patiamur, patitur, ut suâ passione, avertat à nobis mala nostra, malisque suis propriis ea extinguat, & ad nos accedere non finat. Mihi certè debebantur illa vincula, illa flagella, illæ spinæ, illa crux, ludibria, opprobria, utpote servo, & mancipio iniquitatis, non Domino, & Regi Majestatis. Sed horum ignarus & securus [ludebam ego foris in platea, & in secreto Regalis cubiculi super me ferebatur judicium mortis. Audivit hoc unigenitus Dei, exiit posito diademate, sacco vestitus, aspersus cinere caput, nudus pedes, flens & ejulans, quòd morte sit damnatus servulus ejus. Intueor illum subitò procedentem, stupeo novitatem, causam percontor, & audio. Quid facturus sum? adhucne ludam & deludam lacrymas ejus? planè nisi insanus sum, & mentis inops, non sequar, & simul cum lugente lugebo.] Esdram olim de transgressione populi sui, quem Babylone reduxerat in terram suam, scissis vestibus, amarè lugentem cernens populus, collectus est ad eum

Bernard. serm. 3. de nativ. Domini.

1. Esd. c. 9. 5. & c. 10. 21.

eum cætus grandis nimis virorum & mulierum, & puerorum, & flevit populus fletu multo, & illum innocentem, se verò noxium proclamabat. Poterat hoc in populo illo efficere spectaculum Esdræ lugentis: spectaculum Christi Filii Dei pro nobis & lugentis & dolentis, & vulnerati, & sanguinolenti, & crucifixi, & mortui, non ingenerabit nostro, quantumlibet durissimo cordi, sensum intimæ tum compunctionis, tum compassionis?

Quintus gradus Compassionis, nascitur ex consideratione eorum, quæ & qualia patitur: ad quod faciendum, ipse Dominus noster Patiens, invitavit illis Prophetæ verbis. *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor sicut dolor meus.* Fuit autem dolor tantus, ut (juxta communem Theologorum Sententiam) superaverit dolorem cujuscunque Martyris. Quamvis enim in aliquo genere pœnarum, aliquid gravius, aut diuturnius alicui Martyri contigisse negari non possit, nemini tamen adeò multa, & ex tot partibus dolorifera, nisi grandi miraculo, & causarum valde inusitato concursu, qualis tantùm in complendo opere nostræ redemptionis permitti debuit; evenire potuissent.

Thren. 1. 12.
D. Th. 3. P. 9. 46. a. 6.

Primò enim patiebatur Redemptor noster in suo corpore, formato opere Spiritûs Sancti, ac proinde habitudinis super omnes filios hominum delicatissimæ & perfectissimæ, in ætate triginta triũ annorum, quæ est vivacissima & florentissima, ac ideo dolorum maximè sensitiva.

Deinde in quatuor partibus corporis, manibus scilicet & pedibus ferreis clavis mortiferè sauciabatur: ubi propter omnium ferè nervorum concursum intensissimus est dolor: toto præsertim ex illis clavis pondere corporis moribundi & flagellis undique lacerati pendente, capite spinis córonato: ut etiamsi in mollissima culcitra, illa sic deformati corporis species, visa esset, exprimere tamen debuisset à quovis humano corde maximã compassionem: quantò magis dum à tribus, quatuorve clavis è dura trabe pendens, laxantibus sese assiduò vulneribus sanguinemque copiosum fundentibus, in oculis versatur.

Neque interim ullus sensus corporis, carebat suo proprio cruciatu. Visus enim adstantiũ hostium ludibriis & sannis, auditus blasphemiis, sibilis, exprobrationibus, odoratus fætore cadaverum circumjacentium, gustus aceti & fellis acerbitate, tactus, flagellorũ, clavorum, spinarum, crucis asperitate, torquebatur.

Et

Et hæc quidem erant mala ex parte corporis: sed ex parte Animæ quasi in immensum dolor, & tristitia cordis augebatur, propter perfectissimam cognitionem omnium, & singulorũ, totius humani generis peccatorum, pro quibus susceperat plenissimè satisfacere. Dolebat ex corde pro gravissima culpa suorum crucifixorum, pro ingratitudine, cæcitate, reprobatione Iudæorum, pro infelici sorte aliorum omnium reproborum, quibus ipsorummet culpâ nihil omnino adeò pretiosus sanguis tanto dolore, & tantâ charitate, etiam pro illis profusus, nihil tamen erat profuturus. Videbat se ab omni personarum genere, aliquo modo perpeti, à Gentilibus, à Iudæis, à Principibus, à Plebeiis, à Militibus, à Sacerdotibus, ab amicis quoque, à notis ac familiaribus, & non solùm ab extraneis & inimicis. Considerabat se ab uno discipulorum scelestissimè proditum, ab Apostolorum Primate negatũ, ab aliis derelictum. quin etiam quodam modo ab Æterno Patre ipso desertum, cui propterea dolens clamabat: *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* Solùm ab afflictissima Matre sua, non tam ad leniendum, quàm ad augendum replicandumque ex illius dolore proprium dolorem, comitatus, & à dilecto discipulo Ioanne, à quo nullam poterat exspectare consolationem. Sentiebat se pati in omnibus hujus vitæ bonis atrocissimè, in fama per improperia, in honore per irrisiones, in gloria per contumelias, in rebus per exspoliationem ab omnibus, etiam vestibus ipsis, in vita quam agnoscebat majori dilectione dignam, quàm omnium hominum simul, eò quòd esset vita Divinæ Personæ; & tamen illam morti pro omnibus nobis exponebat, juxta illud Ieremiæ. *Dedi dilectam animam meam, in manu inimicorum eius.* Erat præterea Animæ tristitia excessiva maximè: quia non mitigabatur (ut fit in aliis communiter) ex consideratione aliquâ solicitæ mentis & sibi providæ rationis. Vnde à superioribus animæ viribus, per redundantiam in vires inferiores, nonnulla ingeritur ad temperiem tristitiæ consolatio. Vt enim plenius pro peccatis totius humani generis satisfaceret, ejusmodi redundantiam occulto & perpetuo miraculo interiùs cohibebat, sinebatque unamquamque virium animæ agere. Quare in hac salvatoris Passione, contrarium eveniebat, quàm in aliorum Martyrum tormentis. Pro Martyribus enim miracula fiebant, ut sensus tormentorum minueretur, & ipsa tormenta sæpè deficerent, dextræ carnificum

Ier. 12.7

Damasc. l. 3. fid. c. 8.

arescerent, feræ mitescerent, ac blandirentur, igniti carbones in rosas, laminæ ignitæ in violaria, lanienæ in refrigeria verterentur. Martyres ipsi in sensitiva parte, propter redundantiam supra dictam cœlesti consolatione repleti, quandoque nihil dolorum, aut exiguum quid sentirent. At in Martyrum Rege Christo, potiùs miracula fiebant, ad hoc, ut ejus dolores augerentur, nec lenirentur, tristitia intenderetur, vita, quæ vi cruciatuum abrumpi debuerat, prorogaretur, ad acerbiora perferenda mala. Vnde meritò ab Isaia vocatus est *Novissimus virorum, vir dolorum, & sciens infirmitatem.* Isa. 53. 3.

Sextus Gradus Compassionis, consurgit ex altissimo quodam motivo, nimirum ex consideratione sitis, desideriique, ad patiendum etiam plura & graviora, & diuturniora. Paratus enim fuit, immo & desideravit Dominus, pluribus diebus, immo annis, immo usque ad judicii diem, si opus fuisset, aut Æterno Patri placuisset, in illo intolerabili Crucis tormento, eâdem insuperabili patientiâ perdurare. Nec mirum, aut incredibile id videri debet. Si enim de ullius hominis charitate patienti, verè dicitur à Spiritu Sancto. *Lampades eius, lampades ignis, atq; flammarum: aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Quantò hoc magis verè de Christi charitate dicendum: quam Apostolus *Nimiam charitatem,* quâ dilexit nos, vocare non dubitat: & sanctus Lucas excessum appellat. Verè enim in Crucis mysterio & morte, excessus magnus fuit: qui ideò & Iudæis scandalum, & Gentibus stultitia visus est: & Apostoli ipsi Dominum de eo disertè loquentem intelligere, capereque ejus verba non potuerunt, *sed erat verbum istud absconditum ab eis.* Quamvis autem in reali Passione suâ Christus reverâ excesserit modum & mensuram: magis tamen hoc fecit in desiderio ampliùs ampliùsque patiendi. Id enim sonant illa ejus verba. *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Pascha enim erat illi quædam introductio ad Passionem figurata, & ut loquitur Chrysostomus, *post illud Crux imminebat.* Idem sonant etiam illæ Domini voces. *Baptismo habeo baptisari: & quomodo coarctor, usque dum perficiatur!* Item illæ Sancti Ioannis de eo. *Sciens* IESVS, *quia jam omnia consummata sunt: ut consummaretur scriptura, dixit sitio:* Non desiderabat Dominus potum ad refocillationem, qui sciebat siti suæ fel acetumque ad pœnam paratum

Cant. 8. 7.

Ephes. 2. 4.

Luc. 9. 31.

Luc. 18. 34.

Luc. 22. 15.

Luc. 12. 50.

Ioan. 19. 28.

ratum esse, unde prædixerat. *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto.* Neque illum ut homo optavit, quia ut Deus illum se petiturum ab æterno præscivit. sed potiùs se ideò præscivit petiturum, quia sponte erat petiturus, hoc est, ex ardenti desiderio patiendi plura propter nos. Hujus verò sitis illa ratio reddi potest, quia Anima illa Sanctissima, Deum super omnes alias ardentissimè amabat, ex quo fiebat ut valdè doleret ob offensas Majestatis ac Bonitatis ejus à peccatoribus illatas, ab origine mundi, & inferendas ad usque ejus finem. Et quia hic internus dolor, cum aliis passionibus tormentisque nostra causâ toleratis, erat legitima pro nostris peccatis satisfactio. Sicut in culpis quandam veluti infinitatem agnoscebat, ita etiam desiderium pro illis patiendi, & satisfaciendi, extendere in immensum quodammodò voluisset. Deinde quia ex amore Dei, amor proximorum nascitur, tantòque est iste major, quantò ille est ardentior: quandoquidem Christus immenso quodam in Deum ferebatur amore; consequens erat, ut & in nos consimili ferretur, superabundavit ergo dilectio Christi, ex qua se ipsum obtulit à primo instanti suæ Conceptionis Æterno Patri, vivam hostiam, & Sacrificium in altari Crucis, semel quidem cruentè, in aliis autem altaribus incruentè, quàm sæpissimè, usque ad finem sæculorum immolandum. Tertiò, ex eadem ardentissima dilectione sequebatur, ut sicut Anima illa, omnium mentium creatarum illuminatissima, perfectè cognoscebat valorem gratiæ Divinæ, pondus item & pretium sublimissimum gloriæ sempiternæ: ita nullis sumptibus, pro illa nobis quàm cumulatissimè conquirenda parcere voluisset. Mirabatur Propheta, quòd Christus in medio *duorum animalium cognosci* & adorari voluisset in sua nativitate: quantò magis mirandus stupendusque Christus inter duos facinorosos de Cruce pendens, non agnitus neque adoratus, sed rejectus, despectus, blasphematus, opprobriis saturatus, & nihilominus amplius pati sitiens. Hactenus supra nominatus author. *Abac. 3. 1. juxta 70.*

His sex gradibus addi potest *Septimus.* Ex Consideratione Resignationis Christi Domini, quam ille habuit in anima interiùs, nec non etiam in opere exteriùs, ad Patris Æterni voluntatem: opus omne Incarnationis & Vitæ, & Passionis, & Mortis suæ appretiantem, non omninò, nec præcisè adæquatâ æstimatione & appretiatione: sed quâdam valdè moderatâ, inadæquatâ, & modicâ,

dicâ, reſpectu omnimodæ dignitatis, quâ, opera eſus non illa tantùm graviſsima, verùm etiam omnia & ſingula minutiſſima, & leviſsima æſtimari prorſus dignum & juſtum erat, à judice quantùmvis rigidiſsimo & juſtiſsimo. Certum ſiquidem ac indubitatum eſt, propter Divinam *verbi* Perſonam Humanitati hypoſtaticè conjunctam in Chriſto, omnia ejuſdem Chriſti, tanquam Theandrici ſuppoſiti opera, etiam tenuiſsima, (qualia ſunt motus digiti, ictus oculi, aſpiratio, & reſpiratio, aliaque ejuſmodi.) Ejus fuiſſe dignitatis, ut poſitâ, eorum à Chriſto, ad finem noſtræ redemptionis applicatione, & Patri Æterno oblatione, potuerint, & debuerint condignè ſatis eſſe ad noſtrum omnium ſalutem conficiendam, vitamque æternam nobis emerendam, cum efficaci ejuſdem ab omnibus nobis conſecutione. Atqui fide conſtat, neq; Incarnationi, neque vitæ, neque laboribus, neque ærumnis ullis, neque Paſsioni, neque Crucis tormento, nec ipſi morti Chriſti Domini, datum hoc eſſe à Patre Æterno, ut omnes homines efficaciter redimeret atque ſalvaret, ſed efficax fructus mortis Chriſti ad ſolos duntaxat electos, ad reprobos verò tantùm ſufficienter pertingeret: ipſos autem electos, perexiguus valdè numerus (ſi cũ non electis conferantur) definiret. Igitur conſtat, juſtiſsimo quidem ac ſapientiſsimo. per omnia conſilio, abſoluto tamen & abſconſo omnium creaturarum ſenſibus decreto: opera Chriſti, & Paſsionem, & Mortem à Deo Patre leviſsimè & moderatiſsimè taxata eſſe, valdeque pro exiguo fructu eſſe eidem, quantùm ad noſtræ ſalutis realem effectum compenſata. Qua in re Dominus JESVS uſque adeò ſe mitem, ſubjectum, humilem, reſignatumque Patris Æterni voluntati & decreto exhibuit: ut quantùmvis pro parco electorum numero, in præmium laborum ſuorum omniũ ſibi aſsignato & dato, fuerit non contentiſsimus ſolùm, ſed etiam deſideraverit (prout ſuprà vidimus) pro illo eodem perexiguo electorum ſuorum, grege, ampliùs & ampliùs in totam ſuam vitam, immo ad mundi uſque finem perpeti. Quin etiam paratus fuit Dominus JESVS, pro una ſolum Electi alicujus anima, totum ſuæ Incarnationis opus perficere, & Paſsionis calicem exhaurire. Addo præterea, paratum fuiſſe Chriſtum Dominum, eadem omnia, quæ pro humani generis univerſi ſalute peregit & pertulit, peragere atque perpeti pro unius culicis aut muſcæ vita, & incolumitate tantiſper ſervanda: ſi ita fieri à Patre Æterno ſtatutum de-

cre-

cretumque fuisset. Hæc Christi Domini ad tantorum suorum sumptuum, adeò levem & parcam, à Patre ipso Æterno factam æstimationem, resignatio, quemadmodum est omnium nostrûm imitatione, & amore dignissima, ita incredibilem in unoquoque nostrûm compassionis teneritudinem vehementiamque jure suo exigit. Maximè si ad prædicta omnia, adjungamus aliam longè vulgatissimam simul ac indignissimam Passionis & Mortis Christi vilipensionem contemptionemque, quám ille à tot hominibus (qui fuerunt, sunt, erunt ad diem judicii) ingratis, & contemptoribus redemptionis suæ, sustinet, sustinebitque: quam omnem, cum suæ enormitatis indignitatisque excellentissimâ acerbitate, comprehensivè tunc noverat, quando Passionis & Mortis labores, pro hisce ipsis indignis, inimicis, ingratis, contemptoribusque exantlabat. Sensisse Christum vehementer hanc nostram ingratitudinem, demonstrant illa ejus apud Prophetam verba. *Retribuebant mihi mala pro bonis: sterilitatem animæ meæ.* Et. *Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere. Cucurri in siti.* Ista igitur una nostra in Christum, ejusque Redemptionis nobis impensæ labores ingratitudo, infinitam quandam omnibus nobis, ab ipso redemptis, potest & debet, meritissimo jure inferre & ingenerare, ex parte quidem nostrâ confusionem ac ruborem, ex parte verò Christi, super ipsũ condolentiam, & commiserationem: simulq; incensissimum quoddã, ad hujus ingratitudinis contemptionisq; abolendæ invenienda media, studium & conatum. *Psal. 34. 12.* *Psal. 61. 5.*

His similibusque considerationibus, inducti viri Sancti, talem compassionis affectum, erga Christm Passum concipiebant, ut corde intimo saucii (aliqui etiam corpore) nulla ferè alia de re cogitare possent, sed cum Apostolo dicerent. *Christo confixus sum Cruci. Absit mihi gloriari, nisi in Cruce Domini nostri* IESV *Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. De cætero nemo mihi molestus sit, ego enim stigmata Domini* IESV *Christi in corpore meo porto.* Hoc ipsum sibi volunt, illa Bernardi plenissima pietatis verba. *In æternum non obliviscar miserationes istas, quia in ipsis vivificatus sum. Has olim Sanctus David cum fletu requirebat. Venient mihi* (inquiens) *miserationes tuæ & vivam. Has & alius quidam Sanctorum cum gemitu memorabat, dicens. Misericordiæ Domini multæ. Et ego fratres ab ineunte mea conversione pro acervo meritorum, quæ mihi deesse sciebam, hunc mihi fasciculum myr-* *Gal. 2. 19.* *Gal. 6. 14.* *Gal. 6. 17.* *Bernard serm. 43. in Cantica.*

rhæ colligere, & inter ubera mea collocare statui: collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei. Vsque huc Bernardus.

MODVS LII.

QVinquagesimus secundus Modus Dominicam Passionem meditandi esse potest; conferendo illam cum peccato Adami commisso, ab eo in Paradiso, quo omnem suam propaginem perdidit. Quidquid enim ibi Adam malè agendo commisit, hoc totum providentissimâ quadam contrapositione Dominus IESVS Passione Doloribusque suis, excessivo quodam dilectionis & afflictionis modo, abolevit & expiavit.

1. Adam in Paradiso, sese vendidit abjectissimè diabolo, & ejus potestati: pro quo ut Christus satisfaceret, ipse quoque vendi voluit, adeò abjecto, & vili pretio, vendendique modo, ac si vile non mancipium, sed jumentum inutilisque aliqua bestia foret. *Oseæ 11. 2.* Ad hoc propositum servire potest vox illa Oseæ. *Circumdedit me in negotiatione Ephraim: & in dolo domus Israël.*

2. Adam in Paradiso, licentiosè extendit manus suas ad decerpendum prohibitum arboris fructum. Christus ideo manus suas ad vincula dedit, ut istam manuum Adæ castigaret audaciam.

3. Adam excusso divinæ legis jugo, voluit esse liber sicut Deus. Christus hanc audaciam expiaturus & injuriam Dei resarturus: omnium sese voluntati, quin & pedibus subjecit, in totâ quidem Passione suâ, sed potissimum in comprehensione. Vnde illa vox ejus. *Psal. 55. 12.* *Conculcaverunt me inimici mei totâ die.*

4. Adam peccando fecit se dignum, ut probrosè exturbaretur è Paradiso. Ideò etiam Christus ignominiosissimè & violentissimè extractus abreptusque est ex horto Olivetano.

5. Adam peccando subjecit se suis terrenis & brutis appetitibus & affectibus, ut serviliter raptaretur ab eis pro eorum libidine; etiam contra rationē & voluntatem: ita ut dicere debuerit, quòd unus ex ejus filiis, *Video aliam legem in membris meis*, &c. Hoc Christus expiare in sese volens, voluit captus & vinctus ex horto ad urbem, per urbem deinde, à tribunali ad tribunal, non duci sed trahi, raptarique per terram, sinè ullo respectu: *Sicut exultant victores captâ prædâ. Ecce ista est dies, quam expectabamus, invenimus, vidimus.* *Hierem.*

6. Adam

6. Adam peccato incurrit maledictionem, in labore & sudore vultûs sui, & sterilitate terræ, à qua panem suum erat extorturus potiùs, quàm obtenturus. Huic vultus sudori, atque labori opposuit Dominus JESVS sudorem suum sanguineum, & agoniam deprecationemque ad æternum Patrem, & prostrationem super faciem suam in terram.

7. Adam suo peccato ita inhonoravit Deum, ut quodam modo ipsi Deo manu suâ alapam inflixerit. Imaginem certè Dei ad quam creatus erat, in se planè deformavit, ut nulli minùs esset similis deinceps, quàm Deo. Propter hanc alapam, Deo per Adam peccantem infligtam, voluit Christus sibi multas quidem alias, sed unam illam nominatissimâ à Pontificis ministro infligi. Quæ quidem ala, ex suis circumstantiis, adeò fuit insolens & dura, ut eam fuerit impossibile ab Angelis, & ab omni creatura dissimulari, nisi Christus Dominus omnibus patientiam imperâsset, & totum Passionis suæ decursum, pacatè spectari jussisset.

8. Adam, cùm peccasset in Paradiso, requisitus à Deo: quid? quare fecisset? se quidem omni ratione excusavit, in Deum autem culpam suam conjecit, eum authorem peccati fecit, suum peccatum agnoscere confiterique noluit: unde, neque Peccavi, neque, Deus propitius esto, dixit. Christus eâ de causâ sisti judicio Caiphæ primùm voluit, ibi examinatus, adjuratus, blasphemiæ & mortis reus dictus est, conspitus in faciem à procacissimis ministris est. Deinde stetit apud Iudicium Pilati, ibi accusationes, & falsa crimina sibi objecta audiit, ut pro se diceret causam, à Iudice monitus est, neque tamen respondit unum verbum, multò minùs in ullum culpam conjecit, quòd utique potuit.

9. Adam in Paradiso peccavit desiderio sapiendi, & sciendi ut Deus. Christus Æterna Sapientia, & thesaurus scientiæ Dei, voluit pro stulto judicari & haberi, & tanquàm talis tractari. Et veluti mente captus irrideri: & quidem ab ipso Rege Herode, ejusq; universo satellitio, & tanquàm talis toti Hierosolymæ propinari.

10. Adam candidissimam innocentiæ vestem, originalisque Iustitiæ, & gratiæ stolam amisit. Eam Christus veste albâ, ab Herode indutus, eidem recuperavit, nobisque communicavit in Baptismo induendam.

11. Adam peccando postposuit Creatorem creaturæ; Deum, uxori suæ, cujus voci plùs obedivit, quàm Divinæ. Propterea

Christus

Christus satisfacturus Patri, postponi voluit Barabbæ seditioso,
Oseæ 12. homicidæ, latroni. O verè semen *Chanaan* & non Iuda, *in manu ejus statera dolosa: calumniam dilexit. Projecit Israël bonum,*
7. *inimicus persequetur eum.*
Oseæ 8. 3.

12. Adam in Paradiso perdidit libertatem filiorum Dei: fecit autem se mancipium diaboli, & servum peccati, à quo enim quis superatus est, hujus & servus est. Propter hoc Dei filius vilissimi ad instar mancipii jumentique tractari sese permisit: submisit se flagellationi servili, sive servorum, & quidem nequam, propriæ: qui tamen fuit omnis & libertatis & ingenuitatis fons.

13. Adam in Paradiso furtum commisit, quantùm in ipso fuit. Non solùm quia fructum sibi à Domino prohibitum gustare clanculum præsumpsit: sed quia semetipsum, naturâ per omnia Dei servum & subditum, obedientiæ & potestati Domini sui naturalis subtraxit, immo & Divinitatem rapinam arbitratus, non minùs malitiosè, quàm stultè appetiit, & invito Domino invadere voluit: Hoc totum furtum Christus in eâdem flagellatione, absolutissimo modo exoluit, & licèt esset æqualis Deo, non per rapinam, sed per identitatem, formam servi accepit, & scelus hominis in se ipso castigavit, consequenterque adæquatè sanavit.

14. Adam naturalis Rex fuerat totius mundi inferioris: futurus etiâ olim mundi superioris: debebantq; eum creaturæ omnes Dominum & Principem suum agnoscere: at jus istud ferè totum ita perdidit, ut loco servitii, omnes creaturæ eum fugiant, eique rebellent. Damnum hoc hominis, reparaturus Christus, verus cœli, & terræ Rex & Dominus, voluit fieri efformarique Rex quidam dolorosè ridiculus, & ridiculè doloro sus, sordidâ purpurâ indutus, coronâ spineâ coronatus, genuflexione, consputatione, alapis, capitis percussione sceptro arundineo, salutatione illusoriâ illusus: & ex Rege Regum, Rex virque dolorum factus.

15. Adam per suum peccatum, tam grandem confusionem incurrit, ut suam ipsius nuditatem erubescens, voluerit se ipsius Dei oculis abscondere. Hanc probrosam nuditatis ignominiam devoraturus Christus, voluit in specie pœnosi, illusi, semi, immo plenè nudi Dolorum Regis, universo populo ostendi, succlamante Pilato, Ecce Homo, quæ nuditas repetita est pleniùs in Crucifixione.

16. Adam per peccatum incurrit reatum mortis æternæ: à qua ut eum

ut eum Christus liberaret, voluit ipse reus mortis judicari, damnari, tum ab Iudæis, tum à Pilato, tum ab universo populo, qui exclamavit, *Crucifigatur. Sanguis eius super nos, & super filios nostros.*

17. Adam datum sibi præceptum, unicum, facillimum, servare noluit, sed illud tanquam indignum se jugum excussit, confregit, & abjecit. Christus Dominus in ejus contumaciæ remedium, subiit onus grave crucis, grave, inquam, non tantùm naturali suo pondere, non tantùm probrosissimæ & crudelissimæ mortis ratione, sed etiam omnium totius mundi scelerum superimpositâ ipsi sarcinâ.

18. Adæ perditionis occasio fuit una arbor scientiæ boni & mali. In una quoque arbore Christus crucifigi moriique voluit pro redemptione Adami, suique totius generis, & sic delicias unius ligni, doloribus alterius ligni expiavit.

19. Adam gulâ peccavit, seseque cum suo genere perdidit. Christus pro eo peccato, fel in escam accepit, & aceto potatus est, insuper extremâ siti cruciatus est, adeò, ut eam inter summos alios dolores, unam solam præcipuè confessus & questus sit.

20. Adam adhæsit latroni diabolo, & ipse latro factus: unde illi dicitur: *Videbas furem, currebas cum eo*; sicut enim diabolus appetiit esse similis Altissimo in gloria: ita homo cupiit sicut Deus in sapientia. Propterea Christus verus licèt per omnia Deus, inter duos tamen latrones crucifigi, inter illos pendere, cum illis deputari, & instar eorum mori voluit. *Psal. 49. 18.*

21. Adam per peccatum suum separavit se à Deo, eumque dereliquit, & à facie ejus fugit, seque abscondit: propter hoc abolendum Christus separari voluit ab omnibus discipulis, amicis, creaturis: denique etiam ab ipso Patre Æterno. Vnde ait. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* *Matt. 27. 46.*

22. Adam per exiguum brevemque gustum peccati infelicis, ex immortali factus est mortalis, amisso jure ad beatam immortalitatem, incurrit reatum mortis immortalis. Christus cùm esset Deus & vita immortalis, induit mortalitatem naturæ nostræ, & in ea etiam verissimam mortem subiit, propter Adamum ejusque posteros omnes, morte suâ eos vivificans in æternitatem beatam.

Hæc omnia considerata diligenter, ostendunt Adæ peccatum prorsus ex proposito suscepisse Christum sibi expiandum, & secun-

dùm omnes malitiæ ejus gradus, Passionis quoque suæ gradus è contrario in medelam ejus disposuisse, Ostendunt etiam Adamo illi veteri Christum Adamum novum, per omnia esse oppositum, adeòque vitam veteris, esse mortem novi, vitam novi, esse mortem veteris in nobis: propterea sicut portavimus imaginem veteris aliquando hominis: ita exspoliantes nos eam, oportet omnino portare imaginem novi Adæ, qui secundùm Deum creatus est. Ostendunt præterea Charitatem Christi eamque omninò supra modum, & usque ad nimietatem excessivam erga nos: quippe qui omnes reatus Patris nostri, & omnium etiam nostrûm, non qualicunque modo sed cum infinito excessu expiavit abolevitque: oppositissimis autem bonis & gratiis nos vicissim cumulavit: ut verè ubi abundaverat delictum, superabundaret & gratia: & non esset sicut delictum ita & donum, sed infinities superaret misericordia miseriam, gratia offensam, redemptio culpam.

Ostendunt denique hæc eadem supra dicta, fœcunditatem malitiæ & virulentiæ omnis peccati; quidquid enim in hoc unico Adæ peccato reperitur mali, hoc totum ferè in unoquoque peccato reperitur; excepto, quòd illud fuerit peccatum capitis, virus suum in progeniem descendentem traducentis: alia verò peccata sui transfusivâ malignitate sint destituta.

MODVS LIII.

QVinquagesimus tertius modus meditandi Dominicam Passionem esse potest, conferendo omnes vel plerosque Passiones Dominicæ articulos ordine historico ab Euangelistis descriptos, cum Prophetiis veteris Testamenti, in quibus exactè sunt à Sacris vatibus prænunciati. Est istiusmodi collatio apud Sanctos Patres non infrequens saltem partialiter usurpata: quâ ex occasione Sanctus Hieronymus Isaiam Prophetã vocat Euangelistam veteris testamenti. Et Sanctus Augustinus etiam alicubi tractans locum Isaiæ, quo Christi Passio non minùs graphicè quàm ab ipsis Euangeliis enarratur non dubitat exclamare [*Euangeliũ, est an Prophetia?*] Qualis exclamatio posset fieri & de S. Iob dictis, & de Davidicis quibusdam Psalmis, & de Ieremiæ Prophetæ non paucis sententiis, immo capitibus. Sanè in solis threnorum ejus quatuor capitibus, invenire est totã Passionis Dominicæ historiam, quemadmodum subjectum Paradigma satis ni fallor commodè rem ostendet.

Passio

Passio Domini nostri IESV Christi,

Secundum Euangelistas.	Secundum Hieremiam Prophetã in Threnis.	
Egressus est IESVS, cum discipulis suis.	Et egressus est à filia Sion, omnis decor ejus.	c. 16.
Tristis est Anima mea, usque ad mortem.	Multi sunt gemitus mei & cor meum mœrens. Memoriâ memor ero, & tabescet in me anima mea.	c. 1. 22. c. 3. 20.
Procidit in faciem suam, & orabat, ut si fieri posset, transiret ab eo hora.	Ponet in pulvere os suum, si forte sit spes.	c. 3. 29.
	Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum: effunde sicut aquam cor tuum: ante conspectum Domini.	c. 2. 19.
Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem.	Levemus corda nostra cũ manibus, ad Dominum in cœlos.	c. 3. 41.
Ecce Iudas, & cum eo turba multa, &c.	Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli, super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis.	c. 4. 19.
	Vrsus insidians factus est mihi; leo in absconditis.	c. 3. 10.
Vt dixit eis, Ego sum: abierunt retrorsum & ceciderunt in terram.	Lubricaverunt vestigia nostra in itinere.	c. 4. 18.
Tunc accesserunt, & injecerunt manus in IESVM.	Spiritus oris nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris.	c. 4. 20.
	Infirmata est virtus mea, dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere.	c. 1. 14.
	Venatione ceperunt me quasi avem, inimici mei gratis.	c. 3. 52.
Tunc discipuli ejus relicto eo, fugerunt omnes.	Abstulit omnes Magnificos meos Dominus, de medio mei.	c. 1. 15.

Passio Domini nostri IESV Christi,

	Secundum Hieremiam.	Secundum Euangelistas.
16.	Longè factus à me consolator, convertens animam meam: facti sunt filii mei perditi, quia invaluit inimicus.	
c. 4. 1.	Quomodo disperſi ſunt lapides ſanctuarii.	
c. 3. 30.	Dabit percutienti ſe maxillam.	Vnus assistens ministrorum, dedit alapam IESV.
c. 3. 35.	Vt declinaret judicium viri: in conſpectu vultûs Altiſſimi. Vt perverteret hominem in judicio ſuo. Dominus ignoravit.	Summus Sacerdos ait illi. Adjuro te per Deum vivum.
c. 3. 47.	Formido & laqueus facta eſt nobis vaticinatio & contritio.	Ego ſum, & videbitis filiũ hominis venientem in nubibus, &c.
c. 3. 30.	Dabit percutienti ſe maxillã: ſaturabitur opprobriis.	Reus eſt mortis: tunc expuerunt in faciem ejus, &c. & alia multa blaſphemantes dicebant in eum.
Ibid. 16.	Et fregit ad numerum dentes meos.	
c. 3. 59.	Vidiſti Domine iniquitatem illorum adversùm me, judica judicium meum. Vidiſti furorem omnẽ univerſas cogitationes eorum adversùm me. Audiſti opprobrium eorum. Ego ſum pſalmus eorum.	
Ibid. 63.		
c. 3. 62.	Labia inſurgentium mihi, & meditationes eorũ adversùm me totâ die: ſeſſionem eorum & reſurrectionem eorum vide.	Et ut factus eſt dies, convenerunt ſeniores, &c.
c. 4. 12.	Non crediderunt Reges terræ.	IESVS autem ſtetit ante Præſidem. Sprevit autem illũ Herodes cum exercitu ſuo.
c. 4. 2.	Filii Sion inclyti, amicti auro primo, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli.	Perſuaſerunt plebi, ut magis peterent Barabbam. IESVM verò perderent.

Re- Tunc

Passio Domini nostri IESV Christi,

Secundum Euangelistas.	Secundum Hieremiam.	
	Repulsa est anima mea : oblitus sum bonorum.	c. 3. 17.
	Qui nutriebantur in croceis, amplexata sunt stercora.	c. 4. 5.
Tunc apprehendit Pilatus IESVM & flagellavit.	Ego vir videns paupertatem meam, in virga indignationis ejus.	c. 3. 1.
	Tantùm in me vertit & convertit manum suam totâ die. Vetustam fecit pellem meam & carnem meam, contrivit ossa mea.	Ibid. 3.
	Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam. Misit in renibus meis filias pharetræ suæ.	Ibid. 12.
	Et dissipavit quasi hortum tentoriũ suum, demolitus est tabernaculum suum.	c. 2. 6.
	Præcipitavit omnia mœnia ejus, dissipavit munitiones ejus, & replevit in filia Iuda humiliatum, & humiliatam.	Ibid. 5.
Plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus.	Manum suam misit hostis, ad omnia desiderabilia ejus.	c. 1. 10.
	Tradidit Dominus in opprobrium & indignationem furoris sui, Regem & Sacerdotem.	c. 2. 6.
Ecce Homo.	Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus.	c. 4. 1.
	Hæccine est urbs perfecti decoris, gaudium universæ terræ.	c. 2. 15.
	O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus.	c. 1. 12.

Passio Domini nostri IESV Christi.

	Secundum Hieremiam.	Secundum Euangelistas.
c. 2. 16.	Aperuerunt super te os suum inimici tui, sibilaverunt & frenduerunt dentibus.	Tolle, tolle: Crucifige.
c. 2. 9.	Regem ejus, & Principes in gentibus, perdidit & contrivit. Non est lex, & Prophetæ ejus, non invenerunt visionem à Domino.	Non habemus Regem, nisi Cæsarem.
c. 2. 17.	Fecit Dominus quæ cogitavit, complevit sermonem suum, quem præceperat à diebus antiquis: destruxit & non pepercit, & lætificavit super te inimicum: & exaltavit cornu hostium tuorum.	Tradidit IESVM voluntati eorum.
c. 1. 14.	Vigilavit jugum iniquitatum mearum: in manu ejus convolutæ sunt, & impositæ collo meo.	Exivit IESVS bajulans sibi crucem.
c. 3. 27.	Bonum est viro, cùm portaverit jugum ab adolescentia sua.	
c. 3. 5.	Et circumdedit me felle & labore.	Et dederunt ei bibere vinum mirrhatum cùm felle mistum.
Ibid. 15.	Replevit me amaritudinibus, implevit me absynthio.	
Ibid. 19.	Recordare paupertatis & transgressionis meæ, absynthii & fellis.	
c. 4. 9.	Melius fuit occisis gladio, quã interfectis fame: quoniam illi extabuerunt consumpti à sterilitate terræ.	Filiæ Ierusalem nolite flere super me, sed super vos, & super filios vestros flete: quia venient dies, &c.
Ibid. 10.	Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos.	
c. 2. 20.	Ergone comedent mulieres fructum suum, parvulos ad mensuram palmæ.	

Cir

Et

Passio Domini nostri IESV Christi.

Secundum Euangelistas.

Et crucifixerunt eum.

Prætereuntes autem blasphemabant eum: moventes capita sua: dicentes. Vah qui destruis templum Dei.

Pater ignosce illis quia nesciũt quid faciunt.

Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me?

Sine, videamus, an veniet Elias, ad deponendum eum.

Nos quidem justè: nam digna factis recipimus.

Stabat autem juxta Crucem Mater ejus. Sitio.

Secundum Hieremiam.

Circumædificavit adversùm me, ut non egrediar: aggravavit compedem meum. *c. 3. 7.*

Eradicationem & abjectionem posuisti me in medio populorum. *Ibid. 45.*

Expandit Sion manus suas: non est qui consoletur. *c. 1. 17.*

Plausérunt super te manibus omnes transeuntes per viam, sibilaverunt, & moverunt caput suum. *c. 2. 15.*

Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui, sibilaverunt & fremuerunt dentibus, & dixerunt. Devorabimus. En ista est dies, quam exspectabamus, inuenimus, vidimus. *Ibid. 16.*

Dabis eis scutum cordis: laborem tuum. *c. 3. 65.*

Oppositisti nubẽ tibi, ne transeat orãtio. *c. 3. 44.*

Idcirco tu inexorabilis es. *Ibid. 42.*

Audierũt quia ingemisco ego: & non est qui consoletur me. *c. 1. 21.*

Quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis? scrutemur vias nostras, & quæramus & revertamur ad Dominum. Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos. Nos iniq; egimus, & ad injuriam provocavimus. *c. 3. 39.*

Cui comparabo te? vel cui assimila- *c. 2. 13.*

Passio Domini nostri IESV Christi,

Secundum Hieremiam.	Secundum Euangelistas.
similabo te, filia Hierusalem? cui exæquabo te, & consolabor te, virgo filia Sion: Magna est velut mare contritio tua: quis medebitur tui?	
c. 1. 12. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor sicut dolor meus? quoniam vindemiavit me, ut locutus est in die furoris sui.	
c. 4. 4. Adhæsit lingua lactentis ad palatum ejus in siti.	Sitio.
6. 17. Fecit Dominus quæ cogitavit, & complevit sermonem suum, quem præceperat à diebus antiquis.	Consummatum est.
c. 3. 2. Me minavit & adduxit in tenebras, & non in lucem.	Tenebræ factæ sunt, per totam terram.
Ibid. 6. In tenebrosis collocavit me: quasi mortuos sempiternos.	
c. 3. 55. Invocavi nomen tuum Domine, de lacu novissimo.	In manus tuas commendo Spiritum meum.
c. 2. 4. Occidit omne, quod pulchrũ erat visu in tabernaculo filiæ Sion.	Inclinato capite, tradidit Spiritum.
c. 2. 7. Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ.	Et ecce velum templi scissum est.
c. 1. 8. Peccatum peccavit Hierusalẽ, propterea instabilis facta est.	Terra mota est.
6. 3. 53. Lapsa est in lacum vita mea: & posuerunt lapidem super me.	Posuit eum in monumento & advolvit lapidem ad ostium monumenti.

Hunc in

Hunc in modum totam Christi Passionem invenire est apud Hieremiam Prophetam, vel in solis quatuor capitibus Threnorum ejus: hunc in modum verbis historiæ Euangelicæ Hieremias dat admirabilem interpretationem atque lucem: vicissimque eandem ab Historia Euangelica recipit.

Hunc in modum ex omnibus Sacræ paginæ veteris testamenti textibus, conflari posset uberrima Historiæ Passionis Christi Domini, non solùm prædictio, verùm etiam explanatio, & elucidatio: & meditationum affectuumque devotissimorum uberrima farrago. Cujus rei specimen aliquod dedisse satis est, nam id pluribus agere, præsentis instituti non est.

MODVS LIV.

QVinquagesimus quartus, meditandi Passionem Domini nostri, modus esse potest, per comparationem Christi Patientis cum eodem Glorioso & in Cœlo regnante: ita ut dolores ignominiæque illius in Passione, cum gloria, potestate, & excellentiis ejusdem in beatitudine collatæ, multam meditanti varietatem, piissimorum, tum affectuum, tum profectuum, suppeditent. Exempli gratiâ. Potest quis per totam seriem Dominicæ Passionis pergendo expendere quas & quantas glorias pro singulis doloribus & injuriis nunc in Cœlo habeat. Quem in sensum cadit illa Sancti Iob sententia. *Causa tua quasi impii judicata est: causam & judicium recipies.* Expressiùs porrò id ipsum loquutus est Isaias. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo, quòd laboravit anima ejus, videbit & saturabitur, & in scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos. & iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium dividet spolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est.* Paulus quoque Apostolus non minùs copiosè & signanter hanc ipsam sententiam exprimit, dicens inter alia. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum: & donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine* IESV *omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus* IESVS *Christus in gloria est Dei Patris.* Et rursus ait: *Dum autem, qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus* IESVM *propter Passionem mortis, gloriâ & honore coronatum.* Iob 36. 17. Isaiæ 53. 10. Philipp. 2. 8. Hebr. 2. 9.

tum. Rectè ergo potest quis in meditatione Dominicæ Passionis contraponere laboribus Christi præmia ejusdem: doloribus beatitudines, injuriis honores, ignominiis glorias: & in illis quidem Christo compati in his autem congaudere; de illis tristari, has verò, gratulari; illas sibi ad imitandum degustandumque proponere & assumere: has autem sperare & exspectare. *Si enim compatimur & conglorificabimur.* Rom. 8. 17.

Potest etiam quis Passiones Domini una ex parte recolens, ex altera eundem gloriâ & honore circumdatum considerans: variis & sublimibus modis ad Christum utroque in statu affici: maximè autem & potissimè Patienti & opprobriis saturato adglutinari, & eum talem eidem ipsi glorioso & beato quodammodo præferre: sa lubrioremque & convenientiorem profectui suo pro hujus præsentis vitæ statu decernere & pronuntiare. Etenim revera hic ordo esse debet in amore, possessione, conformationeque Christi. Ut nimirum priùs patienti, deinde glorioso afficiamur: & per conformitatem consortiumque crucis ejus, gradum faciamus ad consortium conformitatemque gloriæ ejus. Hinc est Pauli illud dictum. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri* IESV *Christi, per quem mihi mundus crucifixus, & ego mundo, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitratus sum ut stercora.* in quē sensum alibi sæpissimè loquitur. Significans beatitudinem viæ consistere in tolerantia crucis: Patriæ verò in Possessione æternæ felicitatis. Atque eodem spiritu Chrysostomus sinè dubio abundans, audet dicere, se malle cum Christo esse in cruce, quàm cum eodem in Cœlo, nimirum pro convenientia præsentis status, cui labor competit, non autem præmiorum receptio: ut proinde beatior sit ille, qui in præsenti vita cum Christo & pro Christo passionibus laboribusque atteritur, quàm qui otio, quiete, solatiisque etiam spiritualibus, recreatur. Hoc enim hujus vitæ non est: in qua homo natus est ad laborem, ad mercatum, ad negotiationem, ad certamina, ad cursum, non autem ad mercedem, ad præmia, ad quietem. *Neque enim electis suis* (ait Gregorius) *in hac vita Deus promisit gaudia delectationis, sed amaritudinem tribulationis, ut medicina more per amarum poculum ad dulcedinem salutis æternæ redeant.* Sed his immorari nihil attinet, cùm sint vitæ Christianæ elementa, nulli prorsus ignoranda, nulli negligenda. Comparationis hujus, de qua hic sermo, & in qua modus præsens meditandi sta- Galat. 2. 14. Gregor. lib. 9. Ep. 39.

distatutus est: aliquod paradigma proponere forsitan operæ pretium erit, ut faciliùs considerationes & affectiones congruæ à meditantibus excitari possint. Sit ergo Paradigma primum.

Christus in Passione.	Christus in Gloria.
1. Christus in horto tristis & pavens.	Christus in Cœlo lætitia Angelorum & Sanctorum
2. Christus orans & prostratus in faciem suam.	Christus in Cœlo faciens voluntatem timentium se.
3. Christus in agonia sudans sanguinem.	Christus in Cœlo agonothetes & confortans.
4. Christus venditus & osculo traditus, captus.	Christus in Cœlo solvens compeditos; Merces magna nimis.
5. Christus ante tribunalia & Iudices reus.	Christus habens potestatem in Cœlo & in Terra; Iudex vivorum & mortuorum, habens claves vitæ & mortis.
6. Christus illusus, velatus, consputus, colaphisatus.	Christus in Cœlo, cui adstat exercitus Angelorum, & in quem desiderant Angeli prospicere.
7. Christus nudatus, & ligatus ad flagella.	Christus amictus lumine, sicut vestimento.
8. Christus flagellis concisus.	Christus regens populos in virga ferrea.
9. Christus dolorum & contumeliarum Rex, spinis coronatus.	Christus in Cœlo: & in capite ejus diademata multa, habens scriptum in femore Rex Regum, Dominus Dominantium.
10. Christus illusoriè adoratus in purpura.	Christus in Cœlo adoratus, à viginti quatuor senioribus dicentibus. Dignus est Agnus, qui occisus est accipere Divinitatem, &c.
11. Christus Barabbæ postpositus.	Christus excelsior Cœlis factus, electus ex millibus.
12. Christus damnatus ad crucem.	Christo tradita sunt omnia à Patre: & accepit nomen super omne

Christus in Passione.	Christus in Gloria.
	omne nomen, ut in nomine Iesv omne genu flectatur.
13. Christus bajulans sibi crucem in montem.	Christus portans cuncta verbo virtutis suæ, in dextera ejus longiturnitas vitæ, gloria & divitiæ in domo ejus.
14. Christus felle & aceto potatus.	Christus torrente voluptatis potatus & potans suos, ducensque illos ad vitæ fontes aquarum.
15. Christus crucifixus inter latrones.	Christus sedens ad dexteram Patris, ubi millia millium ministrant ei.
16. Christus orans pro hostibus & crucifixoribus.	Christus habens inimicos suos, positos scabellum pedum suorū.
17. Christus Sitiens.	Christus fons aquæ vivæ.
18. Christus latroni dans Paradisum.	Christus Pater futuri sæculi.
19. Christus à Patre derelictus in Cruce.	Christus unigenitus in sinu Patris : ipse in Patre : & Pater in illo.
20. Christus animam Patris manibus tradens.	Christus in dextera sedentis super thronum, Liber scriptus intus & foris, signatus sigillis septē : idemque accipiens librum, & solvens signacula ejus.
	Christus semper vivens ad interpellandum pro nobis.
21. Christus mortuus.	Christus Rex sæculorum immortalis, invisibilis, solus Deus, ipsi gloria in sæcula.
22. Christus sepultus.	

Libet etiam addere Paradigma secundum, hujus collationis atq; Modi.

Chris-

Christus in Passione.

Abjectissimus. Abjectio plebis.
Blasphemus & Blasphematus.
Contumeliis & calumniis affectus.
Dolorum vir, derelictus ab omnibus.
Exterminatus, execrabilis.
Fœdissimus, factus in derisum & cantiçum omnibus.
Gravis etiam ad videndum.

Homo humiliatissimus, humilis corde.
Illusus, injuriis saturatus.

Latronibus annumeratus.

Miserrimus. Maledictum pro nobis factus.
Negatus, & ad nihilū redactus.

Odio habitus, opprobriū hominū
Parvulus in gentibus, percussus à Deo.
Rex Dolorum.

Seditiosus, scandalosus à Sathana infestus.
Tentatus per omnia, absque peccato.
Vermis & non homo. Vulneratus propter peccata nostra.

Zelo Domûs Dei consumptus.

Christus in Gloria.

Altissimi Filius. Altissimus.
Beatissimus. Benedictus Deus.
Candor lucis æternæ.

Deliciæ Patris, dignissimus Deus.
Excelsior Cœlis factus.
Felicissimus: Felicitas æterna Sanctorum.
Glorioſissimus & Rex gloriæ, in quem desiderant Angeli prospicere.
Honorificentia populi Dei.

Iesvs Christus, qui est in gloria Dei Patris.
Legifer noster, in manu ejus ignea lex. Lucem habitans inaccessibilem.
Majestate & Misericordiâ ejus, plena est terra.
Natus ante sæcula: ante omnē creaturam.
Omnipotens nomen illi.
Pater futuri sæculi: Princeps Pacis.
Rex sæculorum, cujus Regni non erit finis.
Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabbaoth.
Tradita habens à Patre omnia. Totus desiderabilis.
Vivens semper ad interpellandū pro nobis. Vita æterna in voluntate ejus.
Zelans & Zelotes Deus.

Ecce talis est dilectus meus ex Dilecto. Dilectus meus candidus in vita, rubicundus in morte, *electus ex millibus, totus desiderabilis. Talis est dilectus meus, ipse est amicus meus.*

Christum ergo ita in Passione & in Gloria diversum atque eundem considerans anima, variis (ut supra dixi) affectionum generibus, prosequi, complecti, exaltare potest: sed ni fallor ille erit utilissimus affectus, si patientem interim pro hac vita, glorioso regnantique prætulerit: præeunte hac in parte sibi Beato Bernardo, ac ita loquente.

Bernar. serm. 1. in Epiphania.

[Ecce quasi saccum plenum Misericordiâ suâ misit in terram: Saccum inquam in Passione concidendum, ut effundatur quod in eo latet pretium nostrum. Saccum utique etsi parvum, sed plenum. Parvulus siquidem datus est nobis, sed in quo habitat plenitudo divinitatis. Postquam enim venit plenitudo temporis, venit & plenitudo Divinitatis. Venit in carne, ut vel sic carnalibus exhiberetur: ut apparente humanitate, benignitas agnosceretur. In quo enim magis commendare poterat benignitatem suam, quâ suscipiendo carnem meam. Meam inquam, non carnem Adam: id est, non qualem ille habuit ante culpam. Quid tantopere declaret ejus misericordiâ, quàm quòd ipsam suscepit miseriam? Quid ita pietate plenum, quàm quòd Dei Verbum propter nos factum est fœnum? Domine quid est homo quia reputas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? Hic attendat homo quanta sit cura ejus Deo, hinc sciat quid de eo cogitet, aut quid sentiat. Non interroges ô homo ea quæ pateris, sed quæ passus est ille. Quanti te fecit, ex his quæ pro te passus est agnosce, ut appareat tibi benignitas ejus ex humanitate. Quantò enim minorem se fecit in humanitate, tantò majorem exhibuit in bonitate: & quantò pro me vilior, tantò mihi charior est,] Hucusque Bernardus egregiè ab excessu humilationis Christi Domini, tum miserationis ejus erga nos redundantiam, tum nostræ in eum propter hoc affectionis tenerrimam ubertatem, uberrimamque teneritudinem decerpens. Christus siquidem in passionibus suis nobis proprijssimè bonus, nobis impensus, & in commodum nostrum effusus est, at verò in Gloriis & Honoribus, suus quodam modo magis est quàm noster: & exaltatio ejus magis illi, ipsi quàm nobis commodat: quocirca mirum non est, si ampliùs & teneriùs in patientem quàm in glorioſum secundùm hujus vitæ statum ferimur atque afficimur. Miseri-

sericordia enim miseris plùs placet, quia etiam plùs prodest.

Accedit, quòd inter nostras & Christi Domini miserias sit una per magna differentia, ob quam necesse est aliter longè nostras, aliter verò Christi Domini miserias, & sentire & æstimare. Nostræ siquidem miseriæ, nihil aliud sunt nisi miseriæ; at verò miseriæ Christi, sunt ejusdem maximæ super nos & saluberrimæ nobis misericordiæ, quibus ab infinitis, hoc est, ab omnibus miseriis nostris, divinâ prorsus charitate sese in nos eviscerante, liberamur atque sanamur. Dignum est ergo nos miseriis Domini tanquam miserationibus nostris summa cum teneritudine affici, summa cum appretiatione earum adglutinari. Tantò enim ab hominibus digniùs honorandus est Deus, quantò pro miseris hominibus etiam indigna suscepit. Et omnia quæ infirmissima sunt Salvatoris nostri, tantò magis nos ambire æstimareque convenit, quantò & ipsi magis infirmi esse noscimur. Plus enim ibi recipimus sanitatis nostræ, ubi amplius Redemptorem nostrum infirmitatis & dignationis subiisse reperimus pro nobis. Magna quippe Salvatoris nostri infirmitas, magna etiam est infirmitatis nostræ sanitas: & ibi est maxima nostra exultatio, ubi maxima est Salvatoris nostri humiliatio, atque dignatio. Quare manifestum est, posse & debere nos ejusmodi affectu & sensu affici erga Christum positum in Passione, cujusmodi affici nos non convenit, erga eundem positum jam in Beatitudine.

Greg. homil. 6. in Evang.

MODVS LV.

QVinquagesimus quintus meditandi Passionem Dominicam modus esse potest, per varias animi nostri affectiones, quas ipsius Passionis consideratio in considerante necessariò nec non fructuosè, simulque ad Domini placitum pergratè excitat. Sufficiet enumerasse hoc loco septem præcipuas: quas desumo à Patre nostro Francisco Costero: positas ab ipso explicatasque in Præfatione ad suas de Passione Dominica meditationes. Ait igitur ille, septem affectiones posse in nobis per Passionis Dominicæ meditationem concitari.

Costerus Præf. in Med. de Pass. Domini.

Prima est Compassio, hoc est animi affectio, quâ patienti condolemus, ejusque dolores quasi in nos transferimus, & eos si non corpore, saltem animo sentimus: eâque affectione videtur quasi divisus & communicatus dolor ejus qui patitur, leviorque & mitior effectus.

ctus. Vti etiam gravior est molestiorque, si patientem vel irrideas, vel malis ejus nil movearis. Christus ut dolores nostros leniret, pati pro nobis, & compati nobis voluit, teste Apostolo. *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia.* Et quidem, licèt Christi dolores jam absolutos, mitigare nos nostro dolore non possumus, grata est tamen ei nostra compassio, quâ ejus dolores, quasi nostros facimus, nobisque applicamus, per hoc enim idonei conglorificationi ejusdem efficimur, siquidem compatimur: ut ait Apostolus. Cæterum duo sunt, quæ ad hanc Compassionem faciunt. Primò, Personæ Conditio. Secundò, Gravitas Pœnarum.

Heb. 4. v. *Rom. 8.*

Quantùm ad Personæ Christi Conditionem, si compassione moveri volumus: expendemus quod is qui patitur, sit 1. Dignitate Deus, qui majestate replet Cœlum & Terram. 2. Homo nobilis ex Regia Davidis stirpe ortus, de Spiritu Sancto in Virginis utero conceptus. 3. Idem si intellectum spectes; sapientissimus, doctissimusque; 4. Si voluntatem; Sanctissimus, qui nec in Deum nec in hominem peccatum unquam fecit. 5. Si conversationem; gravissimus: qui nunquam ridere, sæpius flere pro nostris peccatis miseriisque visus sit. 6. Si merita & beneficia: de omnibus optimè meritus omni genere meritorum. 7. Si formam totiusque corporis speciem ac dignitatem; præ filiis hominum speciosus, complexione tenerrimus. 8. Si officium & munus; Rex Regum, Dominus Dominantium, Messias, Pontifex summus, Legislator, Magister & Doctor, Redemptor & Salvator.

Quantùm verò ad Pœnarum gravitatem, expendemus. 1. Nihil omnino in Christo vacuum fuisse cruciatu maximo: totum enim corpus, omnesque corporis sensus: Anima item ejusque potentiæ suas pœnas sustinuerunt. 2. Pœnæ istæ fuerunt acerbissimæ, tum ob tenerrimam complexionem; tum quòd nullo interno solatio ad ferendum mitiùs, sublevaretur. Hinc Theologorum est certissima doctrina: Neminem in hac vita sustinuisse unquam tales pœnas, quales Christus sustinuit. Anne igitur decet nos condolere Filio Dei, tanta propter nos sufferenti?

Secunda Affectio est. Compunctio, sive Dolor de peccatis, quando ad horrorem detestationemque peccatorum, ex meditatione Passionis Dominicæ inducimur, quod commode fiet. Si 1. Peccati malitiam. 2. Quid peccatum Christo attulerit, consideremus. Et

malitia

malitia quidem in Deum utpotè in Deum infinitum, est infinita, tantaque ut (salvâ justitiâ Dei, quæ violari non debuit) deleri nisi re infinitâ non posset. Igitur vel infinita pœna toleranda erat, quæ in creaturam finitam convenire nequit, vel tempore infinito, quomodo luunt damnati in inferno: vel personæ infinitæ Dignitatis patiendum erat, hoc est ipsimet Deo infinitæ majestatis, alia enim persona nulla infinita existat. Hinc ulteriùs progrediamur, attentèque consideremus: quid Deum de Cœlis in terram traxerit, atque ad Passionem induxerit? Peccata scilicet nostra. Nisi enim peccasset homo, nec nasceretur, nec pateretur, nec moreretur Deus in mundo. Proinde sicut peccatori sua peccata in inferno sedem parant; & sicut furi suum parant furta supplicium: sic cujusque nostrûm peccata Christo moriendi necessitatem intulerunt. Detestandâ est igitur malitia peccati, quæ Deum quoque ipsum ad Crucem adegit. Ne verò putes extenuari hinc peccati gravitatem, quòd non pro tuis solius, sed pro totius mundi peccatis, Christus sit passus: scire debes, per hoc non minui malitiam peccati, sed virtutem Passionis Dominicæ magnam indicari, quæ non unius, non paucorum, sed mundi universi peccata deleverit. Etenim meritum Passionis cùm sit infinitum, nullâ malitiâ potest superari: sed tamen etiam ad peccati gravitatem indagandam, hoc vel unum sufficit, quòd nisi Infinito Christi merito non potuerit aboleri. Vt ergo solis hujus lucem, si unus soluſque tantùm spectes, non magis ille tibi lucet, quàm si cum infinitis aliis communiter eam spectaveris; utq; non minùs homini mortem inferas, solus cor ejus perfodiendo, quàm si cum sociis pluribus idem facias: ita unicum etiam peccatum mortale, ad quod expiandum opus fuit Morte & Passione Filii Dei, à nobis commissum, non est minùs causa mortis Domini, quâ conjunctum cum peccatis omnibus omnium hominum. Neque Passio Christi, minùs tibi uni utilis est ob id, quòd pro omnibus obita sit, quàm si pro te solo obita fuisset. Et nunquid modica tibi causa est detestandi peccata tua dolendique de iis?

Tertia Affectio est, Imitatio. Vt nimirum desideremus ea sequi imitarique, quæ in Christo contemplamur, monente Apostolo. *Christus passus est pro nobis; Vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Et. *Christo Passo pro nobis in carne, & vos eâdem cogitatione armamini.* Duo sunt autem in Passione Domini imitanda. Vnum est desiderium patiendi pro Christo, qui tam acerba

1. Pet. 2.

1. Pet. 4.

pertulit pro nobis prior. Alterum est. Virtutum cumulus, qui si usquam alibi, in Passione certè eluxerit, ita ut tametsi verbis siluerit Dominus, exemplo tamen de hac quasi cathedra Crucis omnes virtutes & quidem perfectissimas doceret, tum quia nullâ fovebatur internâ consolatione, ut nos solemus foveri internâ gratiâ comitante nostras actiones virtuosas, tum quia non deerat Christo magna & justa recusandi repugnandique occasio. Nobis itaque in qualibet Passionis Christi meditatione in vestigandum erit, quæ in ea virtus potissimè commendetur: tum quomodo eam tunc Dominus exercuerit: demum excitandum est desiderium propositumque firmum, ejusdem virtutis quærendæ & adipiscendæ, modusque excogitandus ejus comparandæ, & Christi ipsius per hanc ejus virtutis actionem gratia imploranda ad id, quod proposuimus, perficiendum. Elucent autem in Passione Domini omnes quidem virtutes, sed potissimùm illæ, quas nobis toties scripturæ commendârunt. Humilitas, Mansuetudo, Obedientia, Charitas, Misericordia, Contemptus mundi, Perseverantia.

Humilitas. Quâ multimodis irrisus, spineâ coronâ redimitus, latroni Barabbæ postpositus, in medio latronum crucifixus, aliaque plura id genus contemptuum perpessus, demisse semper se habuit.

Mansuetudo. Quâ benignum se omnibus moderatumque semper exhibuit, mala patientissimè toleravit, & admirabili silentio ad omnes injurias, convitia, ludibriaque contigit, excusationes nullas adhibuit, neminem suâ loquacitate offendit, nihil unquam dixit asperius cuiquam, nihil fecit.

Obedientia. Quæ tunc sanè vel maximè commendationem meretur, quando & difficilia, & ab impiis, & modo moreque aspero imperantur. Fuit autem Christus non solùm Patri obediens usque ad mortem crucis: sed impiis quoque judicibus & tortoribus: quibus ut vestes exueret, purpuram indueret, spineam coronam sumeret, Crucem humeris ferret, ad clavos manus pedesque porrigeret, & alia pleraque imperantibus, simpliciter, alacriter, & constanter obtemperavit.

Charitas. Quæ tum demum suis absoluta numeris videtur, cùm propter Deum non solùm amicos, sed ipsos quoque hostes, nobis pessimè volentes, & summo prosequimur amore, & eos pro hostibus nunquam, sed pro amicis habemus: quod cumulatissimè Dominus præstitit: qui de perfectissima sua in nos charitate loquens.

Majo-

Majorem (ajebat) *charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Cùm autem major videatur esse adhuc charitas, si animam ponas pro inimicis: major tamen ea est charitas, quæ nullos agnoscit inimicos, sed ipsos etiam hostes reputat pro Amicis, eisque non minùs quàm Amicis benefacit, & animam suam pro eis ponit. Itaq; Christus eâ suos inimicos charitate complexus est, ut quo plura ab eis sustineret, hoc magis semper in eos amore inardesceret, majoribusque beneficiis cumularet: non aliter quàm igni oleum superfusum, vel folle agitatus carbo magis incalescit. Igitur toto quidem Passionis tempore, pro inimicis Patrem exorabat, juxta illud. *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi: Ego autem orabam.* Mente, si non voce. Sed cruci ab eis affixus elatâ voce pro crucifixoribus oravit, demumque exspirans corda illorũ ad fidem & pœnitentiam salutarem summâ charitate commovit.

Misericordia: Quâ nobis Dominus omnia sua, seque ipsum, vestes, honorem, famam, boni nominis existimationem, florentem ætatem, vires, sanitatem, sanguinem, animam, corpus, vitam & mortem donavit.

Contemptus mundi: Quo illa omnia, quæ mundus admiratur, & in bonis habet, repudiavit: suscepit autem illa, à quibus mundus abhorret, pro divitiis extremam elegit Paupertatem; pro honoribus, contemptum; pœnas pro deliciis; pro favoribus irrisionem.

Perseverantia: Quâ nec Matris dolore victus, nec Amicorum tristitiâ motus, nec hostium irrisione superatus, nec corporis tormentis fractus, nec indignitate, aut ingratitudine exasperatus, de cruce descendere, Passionisq; & amoris beneficium deserere voluit, quod semel pro salute nostra peragendum assumpsit.

Quarta Affectio est, Gratiarum actio. Quâ beneficia in nos collata contemplantes, in laudes prorumpimus, non verbis modò, quæ propriè laus est, & actio gratiarum minima: sed corde potiùs & operatione, ut & mente acceptum beneficium recolentes, magnã illud faciamus, & ab omni offensa benefactoris caveamus, & omnibus in rebus occasionem rependendi ne prætermittamus. Quinque porrò sunt quæ ad gratitudinem movere solent. 1. Malum quod evasimus. 2. Bonum, quod beneficio accepimus. 3. Dignitas Benefactoris. 4. Modus collati beneficii. 5. Conditio personæ, in quam beneficium confertur. Vt ergo ad Gratitudinem inducamur erga Christum hæc nobis cogitanda sunt. 1. Mala à quibus hac

Christi Passione erepti sumus. Peccatum omnium malorum maximum. Mentis cæcitas. Cordis durities. Servitus diaboli. Fœditas animæ. Præsens æterni ignis periculum, qui ita gravis est, ut cogitationem superet, ita diuturnus, ut finem nesciat, ita certus ut absque Christo evitari nequeat. 2. Bona quæ accepimus. Gratiã, Iustitiam, Adoptionem filiorum Dei, Sacramenta, Sacrificium, Virtutes, Promissionem vitæ æternæ. Denique omnia bona corporis & animæ, interna & externa, quæ omnia nobis Christi Passio vel donavit vel conservavit. 3. Personæ Dignitas. Vt enim solet propter dignitatem majus dari stipendium Doctori vel Homini nobiliori, pro exiguo quamvis officio, quàm rustico, pro labore licèt gravi: ita majores gratiæ sunt habendæ digniori. Quæ tandem ergo Christo, qui infinitæ Dignitatis est, exhibebitur gratitudo? 4. Modus præstiti beneficii: gratis & non sinè summo labore. Cœlũ Terramque condidit Deus, verbo solo; redimit autem te doloribus, sanguine, & vitâ suâ, pro quibus collatis omnibus, nihil á te præter laudem, memoriam, & gratiarum actionem requirit. 5. Personæ cui beneficium præstatur conditio: si vilis, si hostis, si ingratus.

Sap. 11. Nos porrò quid sumus? Si orbis terrarum ante Deum est sicut gutta roris antelucani, qui descendit in terram, quid erit ad Deum collatus homuncio unus? qui nihil est si cum universa orbis mole conferatur. Vilitatem nostram expressit Sanctus Iob. *Putredini dixi,*

Iob. 17. *Pater meus es. Mater mea, & soror mea, vermibus.* Iam verò non solùm viles sumus, sed etiam hostes, alieni & aversi à Deo, gratiam ejus nec quærentes, nec petentes, quin potiùs respuentes oblatam.

Hæc igitur expendens. 1. Ereptum te ex summis, certissimis, æternisque malis. 2. Donatum summis infinitisque bonis. 3. A summo & infinitæ majestatis Deo. 4. Tantis ejus laboribus doloribusque, quantos nulla mortalis creatura unquam sustinuit, consideratis, an ne æquum sit, tam abjectam creaturam, in laudes & gratiarum actiones dissolvi?

Quinta Affectio est, Spes & Fiducia. Trium rerum consideratione spes nostra infringi solet. 1. Consideratione splendoris. qui ad vitam æternam requiritur, in quam nihil intrabit inquinatum. 2. Consideratione Examinis exacti Iudicis illius, qui etiam de otioso verbo exigit rationem, penetrabitque usque ad divisionem Animæ & Spiritûs. Scrutabiturque cogitationes & intentiones cordis. 3. Consideratione vilitatis nostræ: qui & quotidianis peccatis Dei

justi-

justitiam offendimus: & pleni concupiscentiis vitiisque vivimus, & cordis nostri interiora ipsimet non penetramus: *Et si simplex fuero* (ait Iob) *hoc ipsum ignorabit anima mea.* Huic diffidentiæ medetur Passio Christi, animumque peccatoris in spem erigit. Nam 1. Etsi Regnum cœlorum magnam munditiam requirit: tamen etiam Christi Passio & sanguis lavat omnes iniquitates nostras, animam sole clariorem reddit, efficit filios Dei, dat jus ad vitam æternam, ut jam eam non tanquam in alienam, sed veluti in nostram hæreditatē ingrediamur. Est quidem districtum Christi judicium, sed Passionis hujus merita severitatem hanc perferre possunt: cùm major sit satisfactio quàm debita, & peccata quidem sint numero finita, merita autem magnitudine infinita: & denique, quia Iudex erit qui fuit Advocatus, Mediator, Redemptor: qui ut tibi Cœlum daret, ipsemet ejus pretium tibi obtulit: sanguinem inquam pro te fusum, cujus ipse, quem magno labore fudit, non ignorat dignitatem. 3. Vilitas nostra, est magna illa quidem, ut qui *ex nobis nihil possumus quasi ex nobis*, sed tamen gratia, Passionis merito, nobis communicata, admirabilem addit animis nostris splendorem, dimittit peccata omnia: addit vires & facilitatem operandi, operibus nostris sufficit dignitatem, ut vitam æternam mereamur. Spes igitur nostra erigetur, si omnes opes Christi, ejus omnia merita, omnia jejunia, labores, pœnas, & quæcunque demum vel fecit, vel sustinuit cogitemus, non aliter nostra esse, quàm mariti bona ad uxorem pertineant, quibus ipsa ad suorum solutionem debitorum, aliasque necessitates uti possit.

Iob 9. 21.

2. Cor. 3. 5.

Sexta Affectio est, Amor Dei. Amorem porrò excitat. 1. Rei ipsius quæ amatur Dignitas, Nobilitas, & Pulchritudo. Quomodo pulchritudine virtutum vel scientiarum ad earum amorem inardescimus. 2. Amor, si nimirum priòres diligamur. Cæterum ad amorem augendum conducit. 1. Si non verbis modò, sed magnis quoque beneficiis sit amor testatus. 2. Si magno labore & incommodo Amantis hæc beneficia comparentur. 3. Si injuriâ affectus, repulsamque sæpius passus Amans, nihilominus amorem concidere non patiatur. 4. Si his omnibus molestiis & laboribus suis nihil quærat, quàm redamari. Et hæc quidem omnia Christus suâ Passione exhibuit. 1. Dilexit enim nos opere & veritate, omniaque bona nobis donavit. 2. Magno suo incommodo, pro nobis factus egenus, ut nos ditaret, omnia mala assumpsit, ut nos repleret omni

bono. 3. Toties à nobis repulsus, nihil tamen de amore nostrî remittit. 4. Denique à nobis præter Amorem nihil requirit. Ama (inquit) & sufficit. Vt ames porrò, servandæ erunt leges & conditiones amantis, quas hac Passione suâ Christus expressit. 1. est. Vt de re amata perpetuò cogitemus; sicut Christus, ut nostrî memoriam nunquam deponeret, in manibus suis nos inscripsit, vel potiùs
Matth. 12. insculpsit. 2. Vt de ea frequenter loquamur, *ex abundantia enim cordis os loquitur*: Quomodo Christus etiam in ipsa Cruce de nobis locutus est cum Patre, eumque pro nobis oravit. 3. Vt nihil æquè vereamur quàm Amatum offendere, quod nos Christus docuit, qui suam Passionem, omniaque sua, eo retulit, ut in sui nos amorem provocaret. 4. Vt totos nos impendamus in rebus Amici commendandis, & promovendis. Christus enim non sibi sed nobis laboravit. 5. Vt Amici præsentiam deposcamus: sicut Christi deliciæ sunt esse cum filiis hominum: & nos in terra, in mari, in aëre, in inferno quæsivit, ut nos sibi in æterna beatitudine conjungeret, suamque nobis Divinitatem communicaret.

Septima Affectio est, Admiratio. Quæ excitari solet re aliquâ novâ, insolitâ, & incredibili. Quatuor porrò sunt, quæ Domini Passionem faciunt incredibilem vehementer. 1. Quòd sit passus ille, qui est gloria & gaudium Sanctorum, cujus est dignitas infinita, vita æterna, sublimitas immensa; & in cujus majestatem passio non cadit. 2. Quòd pro illis sit passus, à quibus patiebatur, hominibus vilibus, hostibus, ingratis. 3. Quòd talia sit passus, qualia nullus mortalis homo: tam si cruciatus spectes, quàm si ignominias, irrisiones, paupertatem, aliaque vitæ mala. 4. Quòd cùm hac Passione genus humanum redemerit, ad hoc perficiendum usus est modo admirabili. Nam 1. Cum summa corporis infirmitate, summam, quâ diabolum mundi hujus Principem prostravit, conjunxit potentiam. 2. Summa Iustitia, cum summa misericordia convenit, nam homini faciens misericordiam, in se sustinuit Divinæ Iustitiæ severitatem. 3. Summa sapientia eluxit in ea, quæ hominibus putaretur
1. Cor. 1. summa stultitia. Siquidem *Crux Christi, Iudæis quidem est scandalum: Gentibus stultitia.* Magna porrò fuit sapientia. 1. Callidissimum hostem arte & patiendo superare, iisdemque armis quibus superior evaserat dejicere. 2. Tali supplicii genere nos liberare, in quo & medicinam reponeret omnium morborum nostrorum, & exempla omnium virtutum proponeret, & flammas amoris excitaret.

taret. Siquidem nihil usque adeò nos provocat vel ad imitationem Christi, vel ad Amorem Dei, quàm ista acerbissima Dei nostri pro nobis Passio. Hactenus Pater Costerus, de affectibus animi nostri, qui in Passionis Dominicæ meditatione excitari possunt, ac debent.

MODVS LVI.

QVinquagesimus Sextus modus Passionem Dominicã meditandi esse potest, Considerando Passionem ipsam, tanquam ingratissimorum hominum in Deum injurias, quibus illi beneficia sibi à Deo facta indignissimè rependerunt. Tali Considerationis modo, utitur ipsa Ecclesia, in die Sancto Parasceves, eumque appellat Improperia: idque ideo, quia in eo inducitur Deus improperans ingrato populo suo, beneficia sua maxima à se illi facta, injuriis acerbissimis sibi ab eodem retributa. Describo ideam Modi hujus aliquantulam, primùm verbis Thomæ de Truxillo, qui ita inducit Christum *doloribus mortis undique vallatum, atque dicentem. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite si est dolor, sicut dolor meus. Videte, me à Discipulo Iudæis traditum, flagellis cæsum, & denique Crucifixum. Hæc Civitas, quam ego magnâ coronavi gloriâ, me coronavit spinis. Hic populus, quem variis spoliis Ægypti ditavi, me spoliavit. Ego ipsi mare aperui variis divisionibus, ipse verò carnes meas lacerat, & rivos sanguinis mei effudit. Ego nube eos operui, ne sole læderentur; ipsi verò faciem meam velant, ut me subsannent. Ego eos pavi cœlesti cibo, ipsi verò potaverunt me aceto. Ego ex petra dedi aquam, quâ sitim sedarent; ipsi verò ictu lanceæ latus meum aperuerunt.* Hactenus ille. At enim graphicè, atque etiam copiosè magis rem hanc cognoscemus ex ipsis Ecclesiæ verbis.

Concio. Quadr. tomo 2. Feria 6. in Passione Domini Conc. 3. prope initium. Psal. 135.

Populus meus quid feci tibi? aut in quo contristavi te? Responde mihi.

Exod. 13. Psal. 44. Num. 20

Quia eduxi te de terra Ægypti, parâsti Crucem Salvatori tuo.

Quia eduxi te per desertum quadraginta annis, & manna cibavi te, & introduxi te in terram satis bonam. Parasti Crucem Salvatori tuo.

Ex Missali Romano Feria 4. in Parasceve.

Quid ultra debui facere tibi, & non feci? Ego quidem plantavi te vineam meam speciosissimam, & tu facta es mihi nimis amara.

Aceto namque sitim meam potâsti: lanceâ perforâsti latus Salvatori tuo.

Ego propter te flagellavi Ægyptum cum Primogenitis suis, & tu me flagellatum tradidisti.

Ego

» Ego eduxi te de Ægypto, demerso Pharaone in mare rubrum : & » tu me tradidisti Principibus sacerdotum.

» Ego ante te aperui mare, & tu aperuisti lanceâ latus meum.

» Ego ante te prævi in columna nubis. Et tu me duxisti, ad Prætorium Pilati.

» Ego te pavi manna per desertum : Et tu me cecidisti alapis & flagellis.

» Ego te potavi aquâ salutis de Petrâ. Et tu me potâsti felle & aceto.

» Ego pro te Chananæorum Reges percussi. Et tu percussisti arundine caput meum.

» Ego dedi tibi sceptrum regale. Et tu dedisti capiti meo spineam coronam.

» Ego te exaltavi magnâ virtute. Et tu me suspendisti in patibulo Crucis.

» Populo meus quid feci tibi ? aut in quo contristavi te ? responde mihi.

Hactenus Improperia Domini : propriè Iudæorum ingratâ gentem spectantia. Similia his in meditatione formare possumus, tanquam fiant à Domino ad Populum Christianum, vel ad animam peccatricem.

Populo meus (Redempte meus) quid feci tibi ? aut in quo contristavi te ? Responde mihi.

Ego eduxi te de captivitate diaboli : tu autem parâsti crucem Salvatori tuo, & mala omnia pro omnibus bonis retribuisti.

Ego propter nimiam Charitatem tui de Cœlis descendi : tu odio habuisti me gratis.

Ego æstimavi te pluris quàm Animam meam : tu creaturas viles mihi in amore præposuisti.

Ego redemi te à morte æterna sanguine meo : tu & meum sanguinem, & Animam tuam diabolo vendidisti.

Ego te à peccatorum vinculis absolui : tu me vinculis peccatorum tuorum usque & usque onerâsti.

Ego fide meâ oculos tuos illuminavi : tu oculos meos velâsti ; & tuos, diligendo magis tenebras quàm lucem, excæcasti.

Ego te veste gratiæ meritorumque meorum indui : tu me ad flagella nudasti, & te gratiâ meâ spoliâsti.

Ego te ab æternis flagellis subduxi ; multaque alia flagella peccatorum

torum tuorum tibi condonavi: tu me flagellâsti linguositate, carnalitate tuâ, aliisque sceleribus tuis quotidianis.

Ego te Coronâ & Stolâ gloriæ meæ indui: tu me spinis coronâsti, purpurâ superbiæ induisti, arundine vanitatis, sputis, & alapis impudentiæ tuæ illusisti.

Ego omnia subjeci sub pedibus tuis: tu me Barabbæ latroni, & latrocinantibus cupiditatibus tuis subjecisti.

Ego tibi suave jugum legis meæ imposui: tu mihi Crucis trabem & scelerum tuorum sarcinam imposuisti.

Ego te ad vitam æternam prædestinavi: tu me quotidiano in peccata consensu, ad mortem Crucis damnâsti.

Ego tibi corpus meum in cibum, sanguinem in potum dedi: tu dedisti in escam meam fel, & in siti mea potâsti me aceto amaritudinis, invidiæ, fraternique odii tui.

Ego te in Paradisum reduxi, cœlumque tibi reseravi: tu me domo cordis tui ejectum Cruci addixisti.

Ego te amplecti venientem volens, expandi brachia mea: tu brachia mea affixisti obstinatione tuâ, ne amplecti possem te.

Ego pro te Patrem oravi: tu & me & Patrem meum blasphemâsti, & blasphemari fecisti.

Ego Animam meam pro te posui: tu te mihi ereptum sponte tuâ diabolo & damnationi ejus tradidisti.

Ego tibi Cor meum in quo te conservarem patefeci: tu me in tua impœnitentia, recidivisque sceleribus tuis, sepelisti.

Populo (Redempte meus) quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.

Hucusque verba improperantis Dei gravissima certè, & ipsas conterere adamantinas petras idonea. Quis enim sustineat immotus audire realiter sibi improperantem Deum? Et tamen quis non cogitur taliter improperantem audire sibi: si suam in mentem reduxerit, quantâ beneficia Dei in se, quanta ingratitudinis malignissimæ rependit fœcunditate, tum in omni vita sua perditè transacta, tum specialiter in abusu Passionis Christi, quo toties Dei filium iterum iterumque crucifixit, & sanguine pretiosissimo ejus pollutô & duxit, & fecit. Et populo quidem Israëlitico Deus improperat beneficia temporalia, terrena, carnalia à se præstita, vicissim verò injurias, potissimùm etiam corporales, ab illo sibi exprobrat redditas. Cæterum Animæ Christianæ peccatrici, exprobrat Deus beneficia & tem-

& temporalia quidem, sed potissimùm spiritualia, cœlestia, æterna, quæ incomparabiliter temporalibus sunt excellentiora: quibus beneficiis Anima rependerit injuriarum, contemptuum, ingratitudinum, omniumque enormissimorum scelerum, proditiones, vincula, consputationes; & ad ipsius Divinitatis intimum cor penetrantes, & ipsam illam Passionem Christi, cum omni suo merito (quantum in eis est) stirpitus eradicantes, atque cum Anima ipsa in profundum æternæ damnationis demergentes, inibique sepelientes. Quo nihil potest contingere, cogitarique in Christum injuriosius atque indignius. Sicut enim Animam in æternum salvari morte suâ, Christi præmium supremum, & ultima gloria est: sic Animam cum sanguine & morte sua in æternum perire, suprema & ultima injuria est, extremumque meriti sui & gloriæ Patris Æterni damnũ. Et quod potest esse tam ferreum, tamque rupeum os, quod possit coram Deo talia improperante vel ad momentum subsistere? Igitur Anima hujusmodi Passionis Dominicæ meditatione utens, non poterit non efficacissimos concipere stimulos ad Pœnitentiam fructusque dignos pœnitentiæ, ad humiliationem sui, ad gratiarum actionem, ad solicitudinem melioris & Sanctioris in posterum vitæ consectandæ, ad redamandum ardentissimè atque insatiabilissimè eum, quem in se tam beneficum, tam malitiosè tamque indignè hactenus à se habitum agnoscit. Et hunc ego puto esse sensum ipsius Ecclesiæ: quæ post recensita illa improperia ex parte Dei, illico ex parte sua, effunditur in admirabiles gratitudinis erga Deum affectus. Subjungit enim.

[Crucem tuam adoramus Domine, & Sanctam resurrectionem tuam laudamus, & glorificamus: Ecce enim, propter lignum venit gaudium universo mundo.] Et cætera quæ sequuntur.

MODVS LVII.

QVinquagesimus septimus modus Dominicam Passionem meditandi esse potest, per quosdam titulos Christi Domini, sive officia ejus circa nos, & propter nos, in Passione sua mirabiliter exercita. Est v. g. Christus nostrarum animarum Sponsus, est noster Filius, Frater, Magister, Pastor, Pater, Deus, &c. Videatur quomodo hæc omnia officia Dominus IESVS in Passione sua exercuit & explevit propter nos. Ex hoc enim copiosa consurget Materia, & Seges, tum piissimarum meditationum, tum solidissimorum documen-

cumentorum, tum affectuum resolutionumque Domino gratissimarum. Proderit specimina aliqua dedisse, saltem juxta prædictos septem titulos.

1. *Christus, Animæ Sponsus.* Legimus à Christo Domino dictum: [*Relinquet homo Patrem & Matrem, & adhærebit uxori suæ.* Itemq; ab Apostolo [*Viri diligite uxores vestras: sicut Christus Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, ut illam Sanctificaret.*] Rursum etiã ab eodem Apostolo [*Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.*] Ex quibus facilè patet, Christum esse Sponsum animæ cujusque nostrûm: quæ etiam meritò dicere potest illud. [*Christus dilexit me & sponsavit me sibi in fide: & tradidit semetipsum pro me, & lavit me in sanguine suo*, ut exhiberet me *sinè ruga & sinè macula.* O Anima, quis est qui dilexit te? Deus utique de Deo, Lumen de Lumine, Delicium Æterni Patris, Exspectatio gentium, Beatitudo Sanctorum. Hic tantus ac talis, quantùm dilexit te? Is qui nullius creaturæ indigus est, cùm sit ex semetipsò omni bono plenus, immo omne & summum bonum tui amore captum se sentiens, de sinu Patris Æterni descendit, & vestimento gloriæ depositò, servorum & exulum propriam lacernam, quin & ipsam peccatorum speciem induit, ut hac ratione commodiùs congruentiùsque sponsus tuus fieri posset. Et certè nullo tuo merito, nullâ tuâ dignitate induci potuit: sed suâ solâ suprema, miserationumque plenissimâ charitate. Initum ergo est atque contractum matrimonium, expressusque consensus verbis illis ad Patrem. [*Ego pro eis Sanctifico me ipsum: ut & ipsi Sancti sint in veritate.*] At quam & quantam dotem attulisti sponso tuo ô bona sponsa? audiamus. Cœpit pavere & tœdere, contristari, & mœstus esse, & factus in Agonia prolixiùs oravit. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Tunc cœperunt conspuere eum, & dabant ei alapas, & colaphis eum ceciderunt, & exclamaverunt universi dicentes; Reus est mortis. Et alia multa blasphemantes dicebant in eum. Hæc & reliqua omnia quæ subsequuta deinceps sunt, dos tua sunt ô Anima, quam Christus tecum accepit. Et quam pro hac vicariam contra dotem speres? Sanè ex æquitate, non tibi deberetur, nisi æternæ damnationis super omnes miserias malitiasque tuas propriasque assignatio atque inscriptio. At hoc amor sponsi tui erga te passus non est, sua potiùs bona omnia propria tibi obligavit, universa scilicet merita, omnes labores, cunctas Passiones, omnia Sacra-

Marc. 10. 7. Ephes. 5. 25. 2. Cor. 11. 2. Osea. 2. 20. Ad Ephes. 5. Ioan. 17. 19.

menta sua, ipsum etiam Corpus & sanguinem suum, ut eorum omnium bonorum ejus tanquam legitima hæres & consors possessione & fructibus gaudens atque fruens, ex ipso, dignè ipso diteris. Insuper assignavit tibi Beatissimæ & Beatificæ Trinitatis æternam fruitionem, confecto instrumento, & quinque vulnerum suorum signaculis appensis munito, & in perennem propriamque hæreditatem cessit, ita ut tui arbitrii sit, & cum auxilio gratiæ ejus possessionem hanc adire, & etiam si fortè ita libeat, eam commutare, aut alienare à te. Quanquam id minimè expedit tibi. Væ etiam tibi si ita insanias. Agnoscisne tandem ô anima amorem sponsi tui erga te? quo quidem ille non ab heri & nudiustertius, sed ante mundi constitutionem, charitate æternâ & perpetuâ dilexit te miserans tui, quasi non priùs ipse esse, quàm & te simul diligere cœperit. Tuus verò ô sponsa, tuus ô Anima, erga hunc sponsum tuum, erga Amatorem tuum qualis est, quando cœptus est, quàm constans est Amor?

Matth. 12. 50. II. *Christus, Filius Hominis.* Dictum à Domino IESV Christo est. *Omnis qui fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater & soror & Mater est.* Quàm vereor mi IESV, ut tibi tanta multitudo, tanta facilitas Matrum, bene & honori cedat. Pœnè suasor sim, tanto eas numero ne requiras, ne admittas. Quid enim, si in tanto Hominum numero, quos tu matres tuas esse, quorum tu filius esse, disponis, reperiatur aliquis non unus, qui & olim, & nuper fuerit contemptor voluntatis Dei Patris tui, tu ergo tam infamis (quid enim peccato, & voluntatis Divinæ prævaricatione magis infame?) tam infamis inquam matris sustinebis esse, dicique filius? Nonne partus sequitur ventrem? non vereris ne tu ob Matrem peccatricem inter peccatores & iniquos reputeris?

Ioan. 1. 46. Olim te in Nazareth educatum scientes, non dubitârunt dicere, *à Nazareth potest aliquid boni esse? à Galilæa Propheta non surgit.* *Ioan. 7. 52.* Etiam Ioseph ac MARIA in *probrum* quondam cessêre Christo: quid putamus futurum, si cujuspiam improbæ & infamis Matris (animæ v. g. meæ) filius audiat IESVS: quàm ille contemptibilis hoc nomine fiet, quàm parvulus valde in populis & gentibus?

Sic est ô Anima: agnosce, & mirare consilium Dei, consilium Sapientiæ. Volebat quondam Deus te filiam sibi habere, ideo creavit te, ad imaginem & similitudinem suam. Sed tu imaginem ejus in te deturpâsti, similitudinem ejus in abominationem convertisti. Deus ergo volens restaurare te, & tam sibi, quàm tibi restituere, muta-

mutavit vices rerum, ipse in similitudinem tui factus, & habitu inventus est ut homo: factus est Filius hominis, factus est denique Filius tuus, ex te sumens similitudinem imaginemque hominis peccatoris, etsi absque peccato, non tamen absque fructu, id est supplicio peccati.

Vide enim, vide in tota Passione ipsius, & adverte an filius tuus sit, qui talem tui similitudinem in sese gestat? Tuane est illa similitudo & imago expressa in IESV tristante & pavente usque ad mortem, in IESV agonisante & sanguinem sudante. In IESV tradito, capto, ligato, accusato, damnato blasphemato? In IESV colaphisato, consputo, concusso, livido, sanguinolento? Tuane (ô Anima) lineamenta sunt illa in IESV saucio & conscisso flagellis, confixo spinis, illuso sannis, postposito maleficis, addicto ad patibulum crucis? Anima; Ecce Homo. Vide illum & inspice, speculum tibi est, tu in eo reluces, tu notaris illo dicterio. *Egredimini filiæ Sion, videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum Mater sua* non alia certè, quàm tu ô Anima. Intuere quæso te, livores illos, vulnera illa, sanguinem illum, gusta fel, myrrham, acetum illud, tracta clavos, tolle crucem, excipe opprobria, convitia, ludibria, contumelias, contemptus, nuditatem, dolorem, confusionem. Quid hîc non tibi simile? quid hic non tuum? quid hic non instar tui? Ergo iste IESVS filius tuus, filius hominis, filius peccatricis Matris est! Ecce dolent super eum, sicut doleri solet in morte unigeniti. Tibine soli, non erit filius iste, & filius quidem tuus iste, ac talis, non erit in planctum? Immo verò videant & aspiciant eum cæteri, quasi unigenitum à Deo Patre vel à virgine Matre, plenum gratiæ & veritatis, speciosumque formâ præ filiis hominum: at tu peccatrix Mater, hunc unigenitum tuum, aspice quoque virum dolorum, percussum à Deo, & humiliatum, captum, & attritum in peccatis tuis. Genuit illum Cœlestis Pater, Deum de Deo, consubstantialem sibi, coæternum, coæqualem, candorem lucis æternæ, & figuram substantiæ suæ; Genuit illum & virgo Mater, etiam in splendoribus Sanctorum, exspectationem gentium, desiderium collium æternorum, Salvatorem Mundi, Principem pacis & Patrem futuri sæculi. Tu autem ô Anima, quem genuisti eum? nonne Filium Doloris, filium amaritudinis, filium iræ & luctûs? Iudæis scandalum, gentibus stultitiam, contemptibilem valde, & abjectionem plebium, sementem & messem myrrhæ & confusionis,

Cant. 3. 11.

nis, atque luctûs æterni electis omnibus. Ecce hic est ô Anima Filius tuus, ecce tu talis Mater ejus.

3. *Christus, Frater noster.* Ipse enim est primogenitus in multis fratribus: neque confunditur vocare nos fratres suos, quos scit dilectos esse Patri suo ante mundi constitutionem: & quibus data est potestas Filios fieri, ejusdemque hæredes, cohæredes autem suos.

Licet hoc loco cogitare omni homini, quomodo hic amantissimus nostrî frater, Deus-Homo Christus IESVS unumquemque nostrum in Baptismo per sanguinem suum ablutum adscivit sibi in fratrem, & admisit ad propriam sibi hæreditatem gratiæ & dilectionis, & beatitudinis æternæ. Hæc est enim hæreditas, & non rapina ipsius, quam quidem hæreditatem, partim re, partim spe adiit quisque nostrûm in regeneratione, eâque frui poterat, & debebat, tum hîc totâ vitâ suâ, tum in altera vita, per totam æternitatem; at ego insipiens quasi pertæsus tanti boni, tamque opulentæ possessionis, abii cum filio prodigo in regionem dissimilitudinis valde longinquam, & ibi dissipavi omnem substantiam meam, & demum extremam ad inopiam redactus, cùm nec porcorum cibus mihi suppeteret, incidi sponte quidem meâ in manum, de qua non poteram ullis meis aut creatis viribus surgere, multoque minùs ad Patrem, aut ad fratrem meum, hæreditatemque deperditam redire.

Quid hic faceret ille, cujus natura bonitas, cujus viscera miseratio & charitas? fecit, quod fratrem decuit? Factus est supplex Patri pro me, in sanguine suo lavit me, debita omnia mea à se de suo solvêda recepit in se, vulnera mea excepit in corpore suo, & me quantumvis præ mentis inopia periculi mei ignarum, præ vulnerum enormitate, doloriſque acerbitate stupidum, & sensûs sani expertem, velut peritissimus medicus, simulque amantissimus frater atq; Pater, integræ, suo licèt impendio & dispendio, restituit sanitati.

Gratiæ tibi Domine IESV, & immortales quidem gratiæ, quando enim ludebam ego foris in platea, tunc in secreto regalis cubiculi ferebatur in me mortis sententia. Audiit hoc unigenitus Dei, & posito diademate, sacco indutus, respersus cinere caput, nudus pedes, flens, & ejulans, quòd morte damnatus essem ego frater, magis autem servulus ejus: nesciebam, sanus mihi videbar, & ecce mittitur filius Virginis, filius Dei altissimi, & jubetur occidi, ut pretiosissimo sanguinis sui balsamo, vulneribus meis medeatur. Si hæc non fuissent ad mortem, non fuisset necesse pro iis Dominum IE-

SVM Christum mori. Et adhucne ludam & deludam lacrymas, immo sanguinem, vulnera, mortem ejus?

4 *Christus, Magister & Doctor noster.* Illi dictũ est. *Magister, scimus quia verax es, à Deo venisti Magister: & viam Dei in veritate doces.* Huic testimonium dedit ipse de Cœlo Pater, ipsumque *audiri* præcepit, cui & consonat oraculum Prophetæ dicentis. *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum.* Et quidem dubitandum non est, Deum fuisse ab initio conditi hominis Præceptorem ac Magistrum, in ipsa siquidem creatione, *signatum est super nos lumen vultûs* Divini: & in ipso Paradiso præceptum homini posuit eruditionis ejus gratiâ. Deinde verò in lege veteri, ad docendum populum suum viam Iustitiæ, tradendamque legem disciplinæ, descendit in montem Sina, ibique digito suo scriptam in tabulis legem, eidem porrexit, adjectis tum comminationibus suppliciorum, tum promissionibus præmiorum. Cæterum per illa tempora, paucos admodum dociles diligentesque habuit discipulos Deus, adeò ut ausi sint dicere aliquando. *Non loquatur nobis Dominus.* quin etiam eo progressi sunt, ut dicerent Deo, *recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Indocilitatis hujus causa non postrema fuit, invisibilitas magistri, vocem enim audiebant, sed loquentem atque doctorem non videbant, inde fastidium, inde tœdium, inde vilipensio, non tantùm doctrinæ, sed etiam Doctoris ipsius. *Novissimè ergo cœpit nobis loqui Deus in filio,* ipsa Dei sapientia in vero homine apparuit, & nos viam prudentiæ docere instituit. Postquam ergo vel primam in stabulo & præsepi lectionem suam prælegit suâ paupertate, nuditate, contemptu mundi & sui, pannis suis, fasciis suis: subitò efficacia ejus doctrinæ sese prodidit: mox enim discipuli novi conspirant dicentes. *Transeamus usque Bethleem, & videamus hoc verbum, quod factum est, & Dominus ostendit nobis.* Quid multa? Hujus sapientiæ vita universa in carne, magisterium fuit nostrum: dicente ipsâmet: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* & rursum. *Vos* (ait) *vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis: sum etenim. si ergo ego Magister & Dominus, lavi pedes vestros; & vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Maximè tamen in Crucis Cathedra, hoc suum cœleste magisterium Doctor & Magister noster nobis exhibuit & consummavit: ibi enim omnis suæ Sapientiæ, omnis doctrinæ, omnis eruditionis specimina exemplaq; exhibuit: & ex-

Matth. 22. 16.

Isa. 30. 20.

Psal. 4. 7.

Exod. 20. 19. Iob. 21. 14.

ad Hebr. 1. 2.

Luca 2. 15.

Matth. 11. 29. Ioan. 13. 13.

Ioan. 19. 30. & exhibita tandem ultimatè per vocem illam, *Consummatum est*, concluſit. Reſtat ergo, ut omnis, quicunque viam ſalutis invenire, & addiſcere vult, quiſquis ſe jam diſcipulum Magiſtri hujus profitetur, ad Crucifixum Dominum accedat: & eum tanquam Magiſtrum diſcipulus audiat, tanquam librum lectionum legat, tanquam ſpeculum & exemplar imitetur, atque in ſe exprimat. Idem enim eſt unuſque nobis, & Magiſter, & Liber, & exemplar omnis doctrinæ, ſeu veritatis atque virtutis, Iuſtitiæ, atque Perfectionis. Vis ô homo diſcere Charitatem Dei, & Obedientiam? audi, lege; *Ioan. 14. 31.* imitare: *Vt cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio; ſurgite eamus.* Vis dilectionem *Ioan. 15. 13.* proximi etiam inimici? audi, lege, imitare. *Majorem hac dilectionem habet nemo, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Et. *Luc. 23. 34.* *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Vis Paupertatem nuditatemque Euangelicam? audi, lege, exprime. *Vulpes foveas habent, volucres Cœli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* *Matth. 8. 29.* Vis Contemptum tui, & neglectum etiam ab amicis & notis? audi, lege, imitare. *Venit hora, & nunc eſt, ut unuſquiſque diſpergamini in propria, & relinquatis me ſolum.* *Ioan. 16. 32.* Et. *non ſum ſolus, ſed qui miſit me Pater, mecum eſt.* Vis ſterilitatem & exilium cordis, in laboribus, in doloribus, in conatibus, propter Dei gloriam, & ſalutem hominum? Audi Magiſtrum, lege librum, imitare & exprime exemplar. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* *Matth. 27. 46.*

5. *Chriſtus, Bonus Paſtor.* Hunc ipſe ſibi indidit honoris gratiâ titulum. *Ego* (inquiens) *ſum Paſtor ille bonus, & animam meam pono pro ovibus meis, & cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ. Sicut novit me Pater, & ego agnoſco Patrem, & animam meam pono pro ovibus meis. Propterea diligit me Pater, quia ego pono animam meam pro ovibus meis.* *Ioan. 10. 11. &c.* Iam attende ô Homo, an hæc magnificentiùs dixit, quàm fecit Bonus iſte Paſtor? attende quando, attende qualem, attende ubi, cognoverit te ovem ſuam Paſtor iſte bonus? Nonne tu eras *Ovis illa perdita, errans, vaga, deſperata?* Nonne tu eras Ovis illa in faucibus & dentibus, & viſceribus lupi diaboli, lupi inferni, lupi peccati? Nonne tu eras Ovis illa, cujus gratiâ, in montibus Paſtor bonus *reliquit nonaginta novem oves*, & deſcendit ut quæreret, inveniret, è faucibus perditionis erueret, in humeros ſuos tolleret, & ad caulas ovium ſuarum aliarũ deportaret te? gaudiumque faceret amicis ſuis de inventa te? Noſtin' Paſtorem hunc *Luc. 15. 4.*

tuum

tuum ô Ovis? Nôsti quantis se objecit lupis, apris, ursis, molossis, leonibus, omnibusque aliis feris pessimis, pro te? Nôsti quomodo dilaniatus sit, devoratusque sit, propter te? Confer quæso te, tuam vilitatem cum Pastoris dignitate, tuam inutilitatem cum Pastoris pro te sumptu, tuam ingratitudinem, cum Pastoris pro te generositate. Tantus ille, pro te tantilla ovium, rabidarum ferarum præda factus est, ne tu ullius earum præda esses.

Et quid desiderat talis iste Pastor tuus à te? Aliud omnino nihil, quàm ut cognoscas eum: quàm ut audias, & noveris vocem ejus: quàm ut alienum non sequaris, ipsum autem solum & unum & semper sequaris. Quæ quidem est tua *æterna vita*: *nosse nimirum solum verum Deum, & quem misit ille* IESVM *Christum*. Ioan. 17. 3.

Attolle oculos Anima mea, Christi ovicula; attolle & in Crucis ligno defige. Viden' illum in Cruce virum dolorum & scientem infirmitatem, illum despectum & quasi leprosum, illum vultu absconditum, & novissimum virorum, illum à planta ad verticem sine sanitate, illum attritum & percussum à Deo, illum maledictum factum, illum vermem & non hominem, opprobrium hominum & plebis abjectionem? Quid tibi videtur de spectaculo isto? Videsne, agnoscisne, quomodo fera pessima peccatorum & supplicio-rum tuorum devoravit, laniavit, absorbuit Pastorem tuum. Vides quomodo, & ad quantam usque delassationem depugnavit pro te Pastor tuus: vides quanta ex voragine, quantis ex abyssis perditionis, extraxit te, & eripuit te, Bonus iste Pastor.

Væ cæcitati meæ si hæc necdum agnosco. Væ ingratitudini meæ, si adhuc ingratus Pastori meo invenior. Væ malitiæ meæ, si adhuc peccatis meis, voluntatibus meis, voluptatibus meis, ruinis meis, vel per umbram afficior? Væ stultitiæ meæ, si necdum adverto, nec dum æstimo, quantùm Pastor meus æstimavit me, quantùm laboravit pro me, quantum pretium effudit in me.

Audite vocem Pastoris Boni, Pastoris vestri oves quotquot estis Christi. Vox ejus illa est. *Sancti eritis, quoniam & ego Sanctus sum.* Vox ejus est illa. *Perfecti estote, sicut & Pater vester Cœlestis perfectus est.* Vox ejus est illa. *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Vox ejus est. *Qui non bajulat Crucem suam, & venit post me, non est me dignus.* Vox ejus est illa. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me.* Ecce notas, ecce indolem ovium Christi, Interrogemus Levit. 19. 2. 1. Petri 1. 16. Matth. 5. 48. Ioan. 13. 15.

Luc. 14. 17. conscientias nostras: quomodo respondeamus Pastori nostro, quantùm progressi simus ambulantes post Pastorem nostrum, bajulantes Crucem nostram, abnegantes nosmetipsos propter ipsum? Heu *Matth. 8. 7.* quàm infelix est Pastor noster, quantam sterilitatem retributam à nobis habet, quàm nullam segetem bonam, præter lolium, lappas & zizania colligit, quàm nos non oves sequaces, & obedientes, sed hædos, malèque olentes hircos experitur & queritur.

Isaiæ 46. 3. 6. *Christus, Pater noster.* Illius hæc est Professio: dicit enim. *Audite me domus Iacob, qui portamini à meo utero, qui gestamini à meæ* *Ibid. V. 9.* *vulva.* Vsque ad senectam ego ipse, *& usque ad canos ego portabo. Ego feci & ego feram, ego portabo & salvabo. Quoniam ego sum Deus, & non est ultra Deus, nec est similis mei.* Verè Deo nostro, Patrique nostro, nec Deus nec Pater similis est. Quis enim unquam Pater posteaquam genuit filium, nihilominus eum in utero suo portavit? *Act. 17. 28. 29.* at quod est insolens hominibus, hoc quotidianum immo genuinum atque propriissimum est Deo Patri nostro. *Genus enim sumus ejus: & in ipso vivimus, movemur & sumus.* Et quidem non tantùm pusiones innocentuli, immaculati, ipsâ innocentiâ primævâ amabiles, & commendati, sed nos filii mali, nos generatio mala atque perversa, nos infideles filii, nos generatio prava & exasperans. nos inveterati dierum malorum, nos in sanguinibus geniti, atque voluntati, nos neque aquâ loti, neque circumcisi, nec oleo foti, nos filii prodigi, adulteri, spuria vitulamina, nos denique nihil filiorum (nisi fortè filiorum diaboli) habentes: nos tamen tales, portamur ab *Matth. 6. 9.* utero Patris nostri, cui quotidie dicere audemus. *Pater noster qui es in Cœlis.*

Heu me Deus meus, heu me Pater meus: ut quid me genuisti filium doloris tui & ignominiæ tuæ? Ergone ego filius, ego tuus dicar: à te habebor, à tuis visceribus portabor! Ego qui te Patrem, Nutritiumque & Bajulum meum, adeò amantem, diligentem, sedulum, indefessum, tantis affeci molestiis, tantis replevi contumeliis, tantis oneravi injuriis, tantis exasperavi iniquitatibus, tantis repuli contemptibus, tantis saturavi opprobriis, tantis concidi vulneribus, tantis affixi crucibus, tantis jugulavi mortibus.

Heu me Pater mi! ecquid ego in te Paternum unquam recognovi, quo ego te unquam Patrem filius sceleratus honore affeci? quibus ego tuis Paternis unquam mandatis obedivi? Ostendit & clamat hoc universa Passio tua, dura Crux tua, cruenta mors tua, quâ

ego

ego egregius scilicet filius tuus, tibi Patri meo intuli: clamat inquam & ostentat, qualis ego, & quàm dignus te filius tuus.

Tu genitor meus; ego autem interfector tuus. Tu author vitæ meæ; ego author mortis tuæ. Tu salus mea; ego perditio tua. Tu me nutriviſti, omni nutritore fideliùs; ego nutrimentum tuum in venenum meum, in nauſeam tuam converti. Tu dediſti mihi non partem, ſed omnem ſubſtantiam tuam; ego prodigaliſſimus filius, prodegi omnem illam, vivendo luxuriosè. Tu ô benigniſſime gerule, geſtabas me in ulnis tuis; ego autem petulantiſſimus puſio, ad uſque ſanguineum ſudorem adegi te inſolentiis meis. Tu ſuper genua blandiebaris mihi: ego verò ſtolidiſſimus puer faciem tuam paternam, & unguibus laceravi, & palmis pugniſque cecidi, & inſuper ſputis conſpurcavi. Tu me ad ubera applicabas, pectuſculo tuo admovebas, brachiis tuis tibi adſtringebas: ego verò inſolentiſſimus puerorum, omni proterviâ excutiens teneros amplexus tuos, fodi & perfodi manus tuas, pedes tuos, latus tuum, laniavi pectus tuum, cruentavi vultum tuum, ſauciavi caput tuum. Tu me magis tuis oculis, tuo corde magis, magis tuâ vitâ, amabas, & æſtimabas; ego autem & inſidiator, & proditor factus ſum vitæ tuæ, factus ſum parricida & Deicida tuus. Sic ſic Tibi ô Pater, ô amabiliſſime Pater, bellè ſucceſſit, omnis tua paterna circa me benignitas, ſedulitas, dignatio, indulgentia, pietas. Neque tamen tu iſto adeò infelici ſucceſſu fractus, deſeris circa me paternam ſuavitatem tuam. Sed uſque in finem diligens me, inclinas caput & os tuum, porrigens mihi oſculum, & veluti proloquens benedictionis & gratiarū actionis verbum, quòd me expertus ſis adeò protervum, adeò refractarium, adeò truculentum. Vale (inquis) fili mi, cujus manibus & ſceleribus occidor: an fortè quondam ingratitudinem tuam hanc mutabis in dilectionem: an fortè quondam pudebit te, facinoroſæ adeò impudentiæ tuæ: & eam convertes in ambitioſam benevolentiam atque pietatem; an fortè abhorrebis tam rabioſam crudelitatem tuam in me, eamque transformabis in germanè filialem charitatem tuam erga me.

Videte, ô univerſi filii hominum, immo verò, omnes Filii Dei, omnes filii hujus tam boni Patris; videte inquam, charitatem ejus, & impietatem veſtram. Ille ſic dilexit nos. At idem ſic deſpectus eſt per nos. Ille ſic omnis Optimi Parentis partes implevit. Nos contra ſic omnes improbiſſimorum filiorum partes ſuperimplevimus, & ſuperexceſſimus.

Et quamdiu hoc erit? quamdiu sic certabimus impietate nostrâ, cum ejus pietate? O tandem tandem, ab hac infatigabili Patris nostri erga nos dilectione ac sedulitate, condiscamus invincibilem incessabilemque erga Patrem nostrum observantiam atque charitatem.

7. *Christus, Deus noster.* Isaias hoc testatur dicens. *Parvulus natus est nobis, & factus est Principatus ejus super humerum ejus: & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus*, &c. Hic Deus per omnia quidem & Deus, & magnus Deus, & admirabilis Deus est: at specialissimè talis est in opere Redemptionis nostræ. quod idem ille Propheta Isaias à longe quidem, attamen in spiritu Euangelico prospiciens simul & admirans, explicavit, hisce verbis: *Sicut in valle, quæ est in Gabaon, stabit Dominus & irascetur: ut faciat opus suum, alienum opus ejus: ut operetur opus suum, peregrinum est opus ejus ab eo.* Quid sibi vult ista loquendi ratio? Si suum opus, quomodo alienum ab eo? si opus suum? quomodo idem opus peregrinum ab eo? si faciet opus suum, quomodo alienum, quomodo peregrinum à se erit quod faciet? sed nimirum hæc est natura Redemptorii operis: ut & Dei sit, & alienum ab eo sit. Videamus hoc paucis.

Isaiæ 9. 6.

Isaiæ 28. 21.

Proprium est Deo: amare seipsum amore sibi adæquato: alienum opus ab eo, sibimet ipsi quodammodo irasci; attamen in Redemptionis opere Deus adversùm semetipsum sustinuit contradictionem. & Pater filium suum in pœnis peccatisque nostris dereliquit, percutiens eum propter scelera, re quidem vera nostra, ipsi tamen in pœnam imputata.

Proprium est Deo Patri, coæqualem habere Filium, cumque eo spirare coæqualem sibi Spiritum Sanctum, & dicere illi. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Alienum opus à Deo dicere & re ipsâ facere, Debitor & reus meus es tu, hodie occidi te, propter scelus populi mei, & super te posui vindicavique iniquitates omnium.

Ezech. 18. V. 20.

Proprium est Deo: justum cum impio non perdere, multò minùs pro impio. *Sed anima quæ peccaverit, ipsa morietur; Pater autem non portabit iniquitatem filii, &c.* Alienum opus à Deo pro impio punire Iustum, pro nequam servo tradere dilectum filium, pro redimendo peccatore homine, occidere & innocentem, & Deum, & hoc factum videmus à Deo.

Proprium Deo: gloriam suam alteri nemini dare, sed eam ut sibi

per

per omnia debitam omnem exigere. Alienum à Deo, tradi ad illudendum, conspuendum, flagellandum, crucifigendum, occidendum. In opere Redemptionis hoc fecit Deus.

Proprium Deo, ut sit *in pace locus ejus*, ut beatus, felix, securus sit per omnia. Alienum, pavere, tœdere, contristari, mœstum esse usque ad mortem, agonisare usque ad sanguineum sudorem, pati, deficere, languere, lacrymari, mori. Omnia hæc sunt opus Redemptionis.

Proprium Deo est, Dominum & Principem Regemque Regum esse, in sua ditione cuncta posita habere. Alienum ab eo est, in laboribus esse, à juventute sua: servire in peccatis alienis: induere formam servi usque ad mortem Crucis. Denique dicere & reipsâ præstare. *Vt jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Opus Redemptionis tale est. *Psal. 72. 23.*

Denique Proprium est Deo: nulli debere quidquam. Quis enim prior dedit illi, & restituetur ei? Alienum à Deo, esse debitorem, & quæ non rapuit, exsolvere nihilominus usque ad rigorem, ad novissimum quadrantem, ad infinitum insuper excessum. Hoc tamen in Opere Redemptionis factum est.

Hæc omnia, similiaque opera fecit Deus: & fecit quasi iratus, & irascens. Simul tamen etiam miserans & ignoscens. Irascens peccatis eaque vindicans. Ignoscens peccatoribus eosque salvans. Huic plusquam meritò occine anima mea. *Fortitudo mea, & laus mea, Dominus, & factus est mihi in salutem. Iste Deus meus, & glorificabo eum, Deus Patris mei, & exaltabo eum.* *Exod. 15. 2.*

Plures hujusmodi Patientis Christi titulos poterit quisque per se non difficulter reperire: & à nobis alio loco plures collecti, atque aliquantulùm explanati sunt.

MODVS LVIII.

QVinquagesimus octavus modus meditandi Passionem Domini nostri esse potest; conferendo ea, quæ cum Christo, & à Christo gesta toleratasque sunt in Passione, cum his quæ in morte cujusq; hominis (Iusti impiive proportionaliter) geruntur, ab eove tolerantur: ut ex his meditator, & condiscat negotium mortis, quàm arduum sit, simulque artem & modum mortis, quo idem negotium peragendum sit. Dabo ejus meditationis aliquod specimen, quod perficere pro suo arbitratu atque gustu cuique pronum erit.

IESVS ergo ante Passionem & mortem suam, lavit pedes discipulorum suorum. Homo quilibet Morti se vicinum sentiens, rationabiliter lavare debet, & quàm absolutissimâ Sacramentali confessione, pœnitentiâque expiare conscientiam suam. Memor illius, quòd sapientissimus Augustinus monuit tam verbo, quàm exemplo proprio. Quantumlibet perfectum sacerdotem, neminem debere sinè pœnitentia, ex hac vita decedere.

Possidius in vita August. c. 31.

IESVS ante mortem admirabile Humilitatis, tum præceptum, tum exemplum edidit. Moriturus homo, quàm maximè sese ad mortem humilitate mentis, contritione cordis, contemptu mundi, vilipensione, & diffidentiâ sui demittere, & communire, & solidare debet.

IESVS moriturus Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, tanquam viatico extremo, sese pavit; & suos discipulos confortavit. Moriturus homo absque hujus sacratissimi viatici provisione eaque confortatione, item absque Sacræ, & ad mortis, & diaboli, tali maximè horâ sævientis insidiantisque luctam, extremæ simul ac utilissimæ unctionis munimine, progredi non debet.

IESVS moriturus gravissimis & suavissimis de Charitate unioneque cum Deo & proximo sermonibus, affectibus, ignibus, sese, omnesque præsentes suos, inflammavit. Et moriturus homo, omni quidem statui animæ suæ congruo affectuum & cogitationum genere, at potissimum Divinæ & proximorum Charitatis studus, exercere atque saginare animam suam quàm maximè curabit. Nunc quidem corde contrito & humiliato universalem pro suis omnibus & singulis peccatis planctum indicendo. Nunc ignitos Charitatis affectus in Divinum cor de corde suo ejaculando. Nunc desideriis assiduis, è corporis vinculis, peccatorumque laqueis evolandi, ad Deum verò perveniendi, æstuando. Nunc sese plenissimâ suâ voluntate in omnem Dei circa se voluntatem, & ordinationem resignando. Nunc omnes ab aliis quibuscunque, quomodocunque, offensas oblatas, ex corde suo eliminando, in sanguine vulneribusque Christi sepeliendo, & propter Charitatem Dei medullitus condonando.

IESVS Passionis & Mortis suæ primordia ab Horto Getsemanico & Oliveti Monte, exorsus est. Nimirum peccatorum & mortis humanæ miseria calamitasque, in Paradisiaco horto inchoata, in horto vicissim initium remedii sumere debuit, ut inimicus noster, qui

qui in horto vicerat, in horto quoque vinceretur. Sed & homines discere oportet, nusquam mortem non timere, nusquam non meditari, nusquam ob memoriam oculosque non habere, etiam in horto, etiam in Paradiso voluptatis, & in statu felicissimæ Dignitatis.

IESVS in Horto cœpit pavere, tœdere, contristari, & mœstus esse. Ista est imago moribundorum Hominum in quovis statu degentium, & ad mortem pergentium: quis est enim, qui si sua mala ut par est nôrit, non repetat cum Sancto Job *Tœdet animam meam vitæ meæ*? Quis mortalium præsertim amantium hanc vitam, & habentium pacem in substantia sua, est talis, qui ad nuntium mortis amaritudine non repleatur, non metu & mœrore concutiatur? *Iob. 10. 1. Eccl. 41. 1.*

IESVS initia Passionis Mortisque suæ oratione ad Patrem, avulsione à discipulis, solicitudine pro iisdem, & ad eosdem revisone, consecrat. Id ipsum præstandum mori piè & Christianè volentibus: avellant omnem animum, affectum, à rebus hujus sæculi, & curas suas ad æternitatem procurandam transferant. Totos sese voluntati Divinæ, & orationi impendant, quæ verò muneris & obligationis ipsorum sunt, ita non omittant, ut etiam talibus licèt in horis suæ curæ commissos ad Deum ducere, ad meliora hortari, contra tentationes munire, non negligant: scientes nulli quàm obedientiæ actioni sanctius Dei servos & Christi imitatores immori posse.

IESVS ab Augelo confortatur. Inter morborum & mortis pericula laboresque maximè opus est Angelicâ custodiâ atque præsidio: tunc ergo maximè Sanctorum Angelorum emerenda præsidia, tunc exposcenda contra adversarias potestates eorundem auxilia.

IESVS Imagine & memoriâ Mortis dolorumque illius perculsus agonisat. Si tantus gigas tantùm horrore mortis, percellitur: quis miretur, percelli homines misellos & ipsâ fragilitate fragiliores? Magis mirandus plerorumque mortalium lapideus stupor, qui mortis memoriâ usque adeò non percelluntur, non ad meliora consilia, à pessimis profligatissimisque studiis, & moribus pertrahuntur, ut abjectum nescio quid & plebejum dictitent, ob metum ingruentis mortis, animo piè commoveri, agitare conversionis ac pœnitentiæ consilia, rationes cum conscientia & Deo inire, æternæ damnationi remedium quærere, Deo reconciliari velle. O brutam generositatem! ô ipsis dœmonibus ridendam, an lugendam!

dam! animi, scilicet, firmitatem. O verè *cor impiorum indurabitur tanquam lapis, & stringetur quasi malleatoris incus.*

Iob. 41. 15.

IESVS sanguinem sudat moriturus. O incredibiles morientium & agonisantium hominum angustias. Dominus IESVS, ipsa licèt Innocentia, atque Sanctitas, Deus licèt simulque Homo: licèt per sese robustissimus, licèt ab Angelo etiam confortatus, tamen appropinquans ad portas mortis, & in agone positus, sudat & sanguinem quidem sudat, præ cordis & sensûs totius angustia. Quid quæso hominibus miseris, fragilibus, flagitiorum conscijs, de salute periclitantibus, undique circumseptis, partim doloribus mortis, partim gemitibus inferni, partim angoribus conscientiæ, partim diabolicis tentationibus, partim Divini districtione Iudicij, quid inquam hominibus angustiarum in illâ horâ non accidit? Vtinam hoc præcogitent mortales morituri, moribundique homines.

IESV agonisante dormiunt discipuli. Sic sic hominibus in morte positis accidit quotidie, agonisat ille vel ille, æternitatis vias ingreditur, morborum dolotibus in mortem urgetur, interea verò domestici ejus de statu animæ morientis tam sollicitè agunt, quàm dormientes vigilantium curam gerunt. Et illi quidem corpori medelam provident, illi steriles fundunt lacrymas, illi ad spem propinquantis hæreditatis, in corde lætantes, ne tardè moriatur, neve convalescat moribundus, solicitudinem intra se gerunt: propinquã certamque mortem plerique dissimulant, nec tali nuntio infirmum scilicet percellere audent. *O inimici hominis domestici ejus.*

IESVS osculo ad mortem traditur. Ita est: Amores nostri tyranni nostri, deliciæ nostræ venena nostra: ibi maximè lethaliter vulneramur, ubi suavissimè deliciamur. Inde nobis laqueus mortis nectitur & injicitur: unde omnia secura, tuta, amica, blanda, salubria exspectabamus spondebamusque: quàm sæpe dum ludimus lædimur, dum maximè vitam nobis vivere ingrediq; medullas ejus videmur, ipsas mortis fauces nos subintrasse experimur. Denique omnes creaturæ, omnia bona hujus vitæ, quid sunt, quid agunt nobiscum, nisi nos Iudæ traditoris osculo osculantes, in mortis extremæ perniciem præcipitant. Osculatus est, gustavit pomum primus Adam, sed illo gustu & ipse mortem hausit, & toti generi suo, nobis scilicet omnibus propinavit, immo nos inebriavit. Discite homines inter blandimenta creaturarum à Christo dicere, & discernere, Amice ad quid venisti? Iuda osculo filium hominis tradis? osculo homicidium perpetras? IESVS

Matth. 10. 36.

IESVS capitur, ligatur, ad Iudices & examen trahitur. Iudicatur, damnatur, plectitur. Hæc tota gestorum circa Dominum nostrum series, imago, & idea est hominis morientis atque mortui. Etenim tunc miser homo funibus peccatorum suorum in anima constrictus, prætereaque morborum vinculis dolorumque in corpore ligatus, ab infernalibus lictoribus, tanquam á leonibus præparatis rugientibusque ad escam, ante tribunal Iudicis Dei sistitur. Ah quid non ibi objectant misellæ Animæ, amarissimi exprobratores, accusatoresque? O quomodo non facta infectaque, vera & falsa in medium proferunt? quomodo non omnia in majus augent? quomodo non desperationis laqueos nectunt? quomodo de conscientiæ libro depromunt? Nos audivimus, nos vidimus hunc dicentē, committentē, delinquentē. Heu quoties inclamant contra miserum hominem? Reus est mortis, reus est. Blasphemavit, Deum contempsit, Majestatem violavit, voluntatem transgressus est. Huic accusatorum furori, si merita mala Animæ, si æqua Iudicis sententia suffragatur: heu quomodo tunc exclamatur, quomodo insultatur, quomodo exspuitur in faciem, quomodo colaphisatur, palmis cæditur, & denique totâ æternitatis nocte plectitur torqueturque, Anima infelicissima!

IESVS flagellis cæditur, sive ut Pilatus ajebat corripitur & emēdatur. Idem spinis coronatur, Miserrimus Rex dolorum illuditur. Hæc omnia & sunt hominibus documenta moriendi, & Paradigmata morientis. Quàm enim multiplex numerosusque carnifex Conscientia? quàm innumeris succincta flagellis obstrictam Animam surdo quidem, at sævo verbere cædit? Omni cum veritate dicere potest. *Totâ die flagellatus sum, & castigatio mea in matutinis*, & in vespertinis, & in profundis usque noctibus. Iam quantæ spinæ, hujus vitæ curæ? quàm vacuæ & inanes arundines, hominum spes fallaces? Porrò quid melius consultiusque fecerit homo sanctè & piè moriendi cupidus, quàm ut dum tempus habet operetur bonum, & semetipsum judicet, corpus suum castiget, totum se in servitutem redigat, semetipsum coarctet, & constringat, viasque suas omnes spinis circumsepiat, ut non cum hoc mundo à Domino judicetur, damnetur, corripiatur. *Horrendum enim est incidere in manus Dei viventis.* *Psal. 72. 14.* *Ad Heb. 10. 31.*

IESVS ad Crucem postulatur, addicitur, eâdem oneratur, eidem affigitur, in eadem quantumvis acerbissimè linguis configitur,

acetoque potatur, constantissimè tamen & mansuetissimè perseverat. O Hominem ter felicem cui hæc ad mortem panditur, paratur, donatur via! Crucis scilicet atque crucifixionis, & in Cruce constantissimæ mansuetissimæque fortitudinis, atque consummatæ mortis. Quid huic ad salutarem sanctamq; mortem desit: qui ipsissima premit vestigia Domini Crucifixi? In Patientia vestra (ait Dominus) possidebitis Animas vestras. Igitur quisquis ad societatem Sanctæ & beatæ Christi mortis anhelas, tolle Crucem post JESVM, mortificationem IESV Christi in corpore tuo, magis autem in spiritu tuo circumfer. Sit tibi mundus crucifixus & tu vicissim mundo; absit tibi gloriari, in ullo alio bono, nisi in Cruce Domini JESV Christi. Cui etiam configaris in eadem Cruce, & omne acetum tribulationum, omne fel amarissimarum linguarum, omnem myrrham detrectantis sensûs, ne refuge, sed exhauri, adeò avidus, ut etiam superabundante desiderio Crucis Domini, animosè clames, Sitio, Sitio. Sitit enim sitiri Crucem suam, à servis suis JESVS Crucifixus.

JESVS in Cruce Patrem pro Crucifixoribus exorat. Paradisum latroni largitur. Matrem discipulo, discipulum Matri commendat. Suam & sitim non minùs Amoris, quàm Doloris & à Patre derelictionem manifestat. Omnia consummata esse in se, & à se, protestatur; denique Spiritum suum purissimum purissimumque, in manus Patris tradit, & dimittit, sed in Cruce, sed de Cruce. Et hîc esse regulam ideamque Sanctæ & consummatæ in Domino mortis, evidentius est, quàm ut explicatione longiori egeat. Sancta mors usque adeò non fovet inimicitias, ut etiam pro inimicis in bonum eorum sit solicitissima, apud Deum Sancta mors nihil sibi reliquum reservat, sed vel ipsa Paradisi bona, in egentes & petentes distribuit. Ad Sanctam mortem nullum tempus vitæ importunum est, dum modò, vel in extremo halitu JESVS crucifixus ametur, & crux ejus sincero corde acceptetur. Quid verò ad sanctam mortem tam requisitum, quàm Patrocinium & refugium Dei Matris? Quis Sanctiùs atque securiùs mori potest, quàm cui Mater MARIA, quàm qui filius factus MARIÆ eam accipit in sua, & habet inter bona hæreditaria sua. Semper quidem esuries ac sitis Iustitiæ, beatitudinem parit, at eam vel maximè appropinquante fine nostro in cordibus nostris excrescere convenit. Voluntas enim nostra bona non secundùm quod non habet, sed secundùm quod habet, id est, perficere

fiere exoptat, accepta est, & præmium habet apud Deum. Iam verò semper quidem nos habitare in adjutorio Altissimi, & commorari in protectione Dei Cœli, necesse est: at verò circa terminos vitæ confiniaque mortis quàm maximè, quàm obstinatissimè: tunc enim si quando insidiatur draco, circuit rugiens leo, devorandi avidus, sciens quia modicum tempus habet. Dum ergo tempus breve est, dum particula boni diei elabi festinat: sub umbram alarum Domini confugiendum, dicendumque Deo est. *Susceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus sperabo in eum, Libera me secundum multitudinem misericordiæ nominis tui, à rugientibus præparatis ad escam, de manibus quærentium animam meam, & de portis tribulationum, quæ circumdederunt me.* Et usque in senectam & senium, Deus ne derelinquas me. *Psal. 90. 2. Eccles. 51. 4.*

Atque hoc etiam diligenter procurandum est, ut à negotio temporeque mortis inveniatur in nobis non consummata, sed consumpta omnis malitia, virtus autem & omnis bona operatio non consumpta, non etiam inchoata solùm, sed consummata, sed perfecta, sed omnibus numeris absoluta. Vt non sit necesse dicere. *Dum adhuc ordirer, succidit me.* Sed potiùs dicendum sit de nobis, *Ingredieris in abundantia sepulchrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo. Alioqui væ prægnantibus & nutrientibus in diebus illis.* Optimum autem & planè beatum est: quando *quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam, & cùm te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer.* *Iob 5. 26. Matth. 24. 19. Iob 11. 17.*

Denique quis portus magis securus, quæ statio magis fida? quàm in manus Æterni Dei, Æterni Patris commendare, & tradere Spiritum? sed Spiritum Christi, Spiritum simillimum Spiritui Christi, Spiritum purificatum, vestitum, ornatum, dotatum, & gratijs, & meritis, & prærogativis, Spiritûs Christi, ipsò demum Spiritu Christi. Sicut enim *qui Spiritum Christi non habet, hic non est ejus,* neque Patris ejus; ita vicissim qui Spiritum Christi habet, in cujus corde *diffusa est Charitas Christi per Spiritum Sanctum* Christi, hic est omnino ejus, & Patris ejus, & Spiritûs Sancti ejus. *Rom. 8. 9. ad Rom. 5. 5.*

MODVS LIX.

QVinquagesimus nonus Modus Domini Passionem meditandi esse potest, per collationem quandam Nativitatis Christi, cum Passione ejusdem vel potiùs nati & Infantuli Christi, cum illo ipso patiente, crucifixo.

Derivo Modum istum devotissimæ teneritudinis, tenerrimæque devotionis plenum, ex Beata Brigida: quæ in suis revelationibus affirmat modum hunc, Beatissimæ Dei nostri Matri fuisse usitatum jam tunc, quando adhuc recens nati Filii sui tenella membra fovebat, fasciisque alligabat, & lacte virgineo nutriebat. Verba Sanctæ Brigidæ sunt hæc.

„ Verissimè credendum est, quòd *Quando Virgo Dei Filium* (post-
„ quam eum peperit) primò suis manibus tractare cœpit, subitò ejus
„ menti occurrit, qualiter ipse Prophetarum Scripturas adimplere de-
„ bebat: *quando autem* ipsum pannis involvebat, tunc in corde suo
„ considerabat, quàm acutis flagris, totum ipsius corpus lacerandum
„ erat. *Recolligens* quoque Virgo sui Filii parvuli manus & pedes, le-
„ niter in fascia, recordabatur, quàm duriter ferreis clavis debebant
„ perforari in Cruce.

„ Aspiciens faciem ejusdem Filii sui speciosi formâ præ filijs homi-
„ num, meditabatur quàm irreverenter ipsam, impiorum labia sputo
„ debebant maculare. *Revolvebat* etiam sæpius in animo, quantis
„ opprobriis, & contumelijs, ejus benedictæ aures replerentur. *Mo-*
„ *dò* considerans qualiter ipsius oculi, ex proprij cruoris influxu cali-
„ garent. *Modò* qualiter ipsius ori fel aceto admistum infunderetur. *Modò* ad mentem reducens, qualiter ipsius brachia funibus
„ ligari oportebat, nervi etiam, & venæ, omnes compagines, quo-
„ modo in Cruce immisericorditer debebant extendi, præcordia ejus
„ in ipsa morte contrahi, totumque ipsius corpus glorioſum, quali-
„ ter intus, & foris, omni amaritudine, & angustiâ, usque ad mortem
„ oportebat cruciari. Sciebat enim Virgo, quòd exhalato in Cruce
„ Spiritu, ipsius Filii latus lancea acutissima perforaret, & ipsius cor
„ per medium transfigeret. Vnde sicut omnium matrum erat lætis-
„ sima, quando DEI Filium jam de se natum videbat; ita etiam om-
„ nium matrum erat mœstissima ex ipsius amarissimæ Passionis præ-
„ scientia.]

Vsque huc verba sunt Sanctæ Brigidæ, ex quibus verbis (ut alia quæ possent utiliter deduci omittam) derivo Modum Passionem Christi Domini meditandi, eum omnino ipsum, quem hæc Sancta affirmat, fuisse usitatum Beatissimæ Matri jam inde à tempore nati in mundum Christi. Potest enim quisque hoc ipso modo tenellum Christum atque Infantem veluti contemplans ex ordine tam exteriora corporis, quàm interiora Animæ, atq; Personæ illius, eademq;

insi-

insimul in adulto jam & Patiente, & Crucifixo inspiciens, uberrimam eamque suavissimam tenerrimorum affectuum, ac simul documentorum materiem & farraginem sibi desumere, animamque suam vtilissimè occupando pascere. Quod ipsum potest quisque facere contuendo Christum jam Adultum, jam speciosum formâ præ filijs hominum, jam apud omnes ob verba gratiæ procedentia ex ore ejus admirabilem, jam miraculis coruscantem, jam turbas auditorum post se trahentem, simul etiam contemplari agonisantem in horto, traditum à discipulo, captum à turbis, derelictum à suis, de doctrina, & discipulis examinatum, reum mortis judicatum, gentibus traditum, consputum, flagellatum, illusum, morti crucis addictum, crucifixum, denique & in Cruce mortuum. Insuper id ipsum quisque præstare potest, si Christum Dominum ex una parte ab Horto Olivetano ad usque sepulchrum in altero horto, circumducat meditatione; ex altera autem parte eundem ipsi sibi ut Patienti, seu Passo talia, comparet & componat Glorioſum, Regnantem, Beatum, Triumphantemque in cœlis. Ita ut illum cogitet quis, hic quidem in terra supplicem Patri, prostratum in faciem suam, agonisantem, & præagonia sudore sanguineo madentem, animæ tristitiâ ad mortem usq; pressum, timentem, tœdentem; at verò nunc in Cœlo jam in dextera Patris considentem, Angelos lætificantem, totique Cœlo cœlestes delicias, divitias, & glorias ministrantem. Pari ratione licebit Christum contemplari hic quidem à Iuda proditum osculo proditorio, captum à nefariis lictoribus, absque omni reverentia raptatum & tractum, ad subsellia Annæ, Caiphæ, colaphis alapisque cæsum, velatum oculis, consputum in facie, blasphematum multis modis blasphemiæ, & simul mortis reum pronuntiatum, negatum à Petro, totâque illâ nocte pessimè habitum. Eũdem è contra nunc Dominum universorum, Dominum compeditos solventem, Dominum gloriæ, ab Angelorum plùs quàm duodecim legionibus honoratum, toto Cœlesti Regno beatum, & glorioſum. Oculis suis universam Aulam Regiamque Cœlorum colluſtrantem, & lætificantem, & talem omnino in quem desiderant perenniter Angeli, & Homines beati prospicere, ducentem suos omnes, ad vitæ fontes aquarum, præcinctum quoque & ministrantem amicis suis, & universæ Ecclesiæ Beatorum. Licebit quoque illum Christum, qui stetit coram Pilato, & Herode, reus, accusatus, contemptus, & despectus, illusus, & irrisus, nudus, & flagella-

vide supra Modum 26. 35. 54.

tus, coronatus spinis, & conspútus in facie, atque cæsus, & arundine percussus caput, vestemque coccineam circumamictus, contemplari nunc in Cœlo vivorum & mortuorum Iudicem omneque judicium in manu habentem, atque adeò exercentem, coram quo curvantur omnes qui portant orbem, cui flectitur & curvatur omne genu, cui scabellum sunt pedum suorum omnes inimici ejus terram lingentes; qui gloriâ & honore coronatus est æternaliter, qui in capite suo habet diademata multa, & in fœmore suo habet scriptum, Rex Regum, & Dominus Dominantium, quem viginti quatuor seniores adorant prostrati in facies suas, & coronas capitibus suis detractas, sub pedes ejus prosternunt. Licebit quoque contemplari Christum in terris quidem Barabbæ compositum & postpositum, ad Crucem universi populi suffragio postulatum, Pilati decreto addictum, Cruce onustum, incedentem ad supplicij locum, felle & aceto tractatum, nudum, crucifixum, de Cruce pendulum, inter latrones medium constitutum, mordacissimè derisum & illusum, ab universa creatura planctum & deflctum, inter extremos cruciatus mortis, pro hostibus Patri supplicem, Spiritum Patri commendantem & tradentem, atque demum mortuum; eundem verò in cœlis super Angelorum omnes ordines evectum, & excelsiorem cœlis factum, Primogenitum omnis creaturæ, ejusdemque Factorem & Dominum pronuntiatum, Mediatorem DEI, & Hominum, Cœlestibus terrena, Angelis Homines consociantem, & utraque unum facientem, cœlis terrisque jura dicentem, & quæ in Cœlis, & quæ in terris, & quæ in inferis gubernantem, Electorum DEI, redemptorumque suorum salutem efficaciter, potenter, suaviterque procurantem. Ecclesiæ militanti æque ac triumphanti Dominantem, vitamque æternam tam Gratiæ, quàm Gloriæ subministrantem. Vitæ & Mortis, Cœlorum & inferorum clavem habentem. Denique cum Patre Æterno, & cum Spiritu Sancto, unum in Trinitate, Trinum in unitate DEVM, Solum, Potentem, Beatum, Immortalem, Invisibilem, Æternum, Sanctum, Glorioſum in sæcula sæculorum.

Ex his porrò collationibus licebit unicuique devoto meditanti procedere nunc in affectus indicibilis compassionis, commiserationisque; nunc in contritionis, erubescentiæ, doloris, nunc in admirationis, gratiarum actionis, humiliationis, nunc in desiderij, amoris, imitationis, nunc verò in exultationis, & lætitiæ, in honoris & reverentiæ, in gratulationis & gaudii, in dilectionis & desiderii, in

spei

spei & fiduciæ, in resignationis & subjectionis. In unionis & transformationis &c. &c. prout Spiritus Sanctus dare voluerit affici unicuique, & prout vasa idonea invenerit, unctioneque suâ docuerit.

MODVS LX.

SExagesimus Modus Passionem Domini Nostri meditandi esse potest; assumere & attendere Passionis Christi vel omnes, vel complures, vel aliquas, & nunc has, nunc illas partes, itemque ipsius Domini aut vulnera, aut opprobria, aut dolores, aut virtutes, aut opera; tanquam loquentia, immo (ut scriptura loqui solet) clamantia, sive ad Patrem Æternum, sive ad Peccatores, pro quibus patitur; sive ad hostes à quibus cruciatur; sive ad Animas fideles, & pias, quæ ipsi placere, & assimilari desiderant. Si enim sanguis Abel, si peccata Sodomorum, si Moysis silentium, si merces operarijs dilata, clamare ad DEVM, & in Cœlum possunt; quidni etiam ærumnæ, dolores, contumeliæ, vulnera Christi Domini clament ad Patrem Æternum, ut misericors & placatus fiat generi humano: ad peccatores, ut omnes ubique pœnitentiam agant, neque tantam negligant salutem: ad crucifixores peciosoresque suos, illud quod est in Propheta. [*Si affiget homo Deum, quia vos configitis me, vos maledicti estis, & vos me configitis, gens tota.* Et. *Quia videbunt olim, in quem transfixerunt.* Et. *Quia videbunt Filium hominis venientem in nubibus Cœli, cum virtute & potestate magna.* Et quia: *si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid demum fiet?* Ad pias & fideles Animas, ut obligationem suam agnoscant, ut diligant sicut & dilectæ sunt. &c. Ad omnes denique vel homines vel etiam creaturas illud Prophetæ. *O vos omnes, qui transitis per viam,* (hujus vitæ) *attendite, si est dolor, sicut dolor meus*: aut illud: *Quid potui ultra facere vineæ meæ, & non feci?* aut illud. *Populo meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi.* Empti estis non auro, nec argento, neque corruptibilibus, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati IESV Christi. Illustrabit hunc meditandi modum Beatus Chrysologus verbis suis, disputans de Lazaro ulceribus pleno, ante ianuam epulonis divitis, jacente, & micas panis mendicante. Verba Sancti hæc sunt. [DEVS, quia obturatis auribus, clamor unius oris nihil erat clamantis ad aperiendum cor divitis, totum corpus pauperis vulneribus aperit, ut in admonendo divite, tot

Malachiæ 3. 8.

Michea 6. 3.

Chrysolog. Ser. 121.

essent

„ essent Pauperis ora, quot vulnera, solvuntur viscera, ulcera produ-
„ cuntur, hiatus vulnerum dilatatur, sanies effunditur, & tota Pau-
„ peris caro componitur in scenam pietatis, ut quem vox esurientis
„ non moverat, vel suspiria, vel dolores, gemitus, & tota ærumnarum
„ congeries commoveret; sed dives superbo oculo, & insatiabili cor-
„ de, hæc omnia & audire, & videre, & sentire contemnit.] Hic apparatus Divinus per Lazarum ulcerosum ad Epulonem immisericordem expugnandum, potest procul dubio commodissimè parodicè accommodari ad Christi Domini sive tormenta, sive opprobria, sive vulnera, sive mortem, sive instrumenta Passionis, quibus omnibus Dominus noster satagat expugnare animum, tum Æterni Patris, tum corda peccatorum, tum odia inimicorum, tum amantium in amando & compatiendo, & imitando teporem, tum hominum ingratitudinem, sterilitatem, oblivionem. Quæ tamen omnia utinam homines passim audire, videre, sentire, non contemnant.

MODVS LXI.

SExagesimus Primus meditandæ Passionis Dominicæ Modus esse potest, colligere atque expendere eorum animalium proprietates, quibus Christus Dominus, præsertim Passus ac Mortuus comparatur in Sacris litteris, ita ut proprietatibus illorum explicetur exprimaturque, tam ipsa Christi Passio, quàm virtutes ab eo exercitæ in Passione. Complura sunt ejusmodi; hîc satis erit pauca attulisse.

I. Dicitur ergo Christus, Ovis: quæ est pecus lanigera, admodumq; mansueta, lanâ, & pelle homines vestiens, carne verò pascens, lædere nescia, ejus in sacrificijs divinis plurimus erat usus, præcipuè ad pacem hominis cum DEO sanciendam, itemque ad purificationem partûs: propter hæc omnia Ovis passim in scriptura typum Christi gerebat. Oblatus est enim Dominus noster, & ductus velut Ovis ad occisionem, coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suũ, ad omnes injurias & plagas, & ad ipsam mortem. Vt Ovis facilè absque ulla repugnantia tradit accipienti quidquid habet, ita Christus totum se, omniaque sua, etiam Animam ipsam tradidit, & nobis, & pro nobis. Vestivit nos meritis suis, cibavit carne suâ, lavit & purificavit in sanguine suo. Denique vult omnes nos esse velut oves, in hac quidem vita, occisionis & abnegationis, patientiæ, humilitatis, & mansvetudinis, obedientiæ, & mutuæ dilectionis. In altera autem illa vita futura, Oves electionis, ab hædis separatas, à dextris judicantis collocatas. Dici-

Isaiæ 53. 7.

Dicitur quoque Christus, Agnus; eâdem ferme, quâ & Ovis similitudine atque proportione: specialiter Agnus tener est, & ferè anniculus, sinè macula, qualis est Christus, qui tollit peccatum, non suum, quo prorsus immunis fuit, sed mundi, pro quo oblatus est velut Agnus mansuetus. Eum figurarunt duo Agni, unus in holocaustum, alter pro peccato offerri solitus. Item alii duo Agni quotidie offerendi, unus manè, alter vespere, Christum significabant venturum primo adventu ad redimendum, altero ad judicandum genus humanum: Agno mansuetius nihil, nihil obsequentius; injurias non novit, nedum ulciscatur. Et Christo quis in his conditionibus præstantior? factus obediens Patri usque ad mortem Crucis; cùm pateretur non comminabatur, tradebat autem se omni percutienti injustè, pro transgressoribus omnem malitiæ modum in sui nece excedentibus oravit. &c. Ad extremum, Agnus Paschalis assus & voratus cum festinatione, cum lactucis agrestibus, instar eorum qui sunt viæ accincti, cujus sanguine postes ostiorum inuncti arcent interfectorem primogenitorum Ægypti, in quo os non comminuitur, neque quidquam crudum comeditur, aut usque manè relinquitur. Manifestè Christum ab universo populo ad Crucem postulatum, & in Cruce suspensum designat. 2. *Ier. 11.* 19. *Levit.* 14. 10.

Dicitur præterea Christus, Columba: quæ felle amara non est; neque morsu, neque unguibus sævit, humana consortia & hospitia diligit. Mundum animal, perspicax, & insidiantes accipitres observans super aquas atq; effugiens, immunda loca abhorrens. Hæc attulit Noëmo rediens ad arcam sub vesperam ramum olivæ ore portans. His omnibus Christum designans, pacificatorem, & misericordiæ Paternæ, ad nos aquis diluvioque peccatorum destinatos, ramum deferentem. Hæc nostra Columba volat altissimè propter divinam sapientiam, atque sanctissimam doctrinam, gemitum habet pro cantu, quia Prædicatio, vita, Passioque & Mors ejus ad pœnitentiam vocat, à pœnitentia incipit, in fructibus dignis pœnitentiæ perficitur. *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum Dei. Nisi Pœnitentiam egeritis omnes similiter peribitis.* Columba in foraminibus petræ, & in cavernis maceriæ est Christus ex Divinitate & Humanitate compositus. Columba in altissimis nidificans & gemens, est Christus in Cruce pro nobis Patiens, Plorans, satisfaciens. 3. *Matth.* 4. 17. *Luc.* 13. 5.

Dicitur adhuc Christus, Turtur: unde orat. *Ne tradas bestiis* 4.

animas confitentium tibi, juxta 70. quod Hieronymus vertit. Ne tradas bestiis Animam erudientem lege tuâ.] qui est Christus, qui à DEO venit Magister, ut dixit Nicodemus alii autem vertunt, *Ne des congregationi inimicorum, Animam Turturis tuæ.* Hic Turtur est Christus supplicans Patri in Horto, & in Cruce. Turtur est amica solitudinis: & Christus in desertum ductus est à Spiritu Sancto, eratque cum bestiis, & mansit in desertis locis, & ascendebat in montem solus orare, & dicebat discipulis, venite seorsum & requiescite pusillum. Turtur invenit nidum sibi, ubi reponat pullos suos; Christus in Cruce fixus est, in qua omnes redemit, & quasi in nidulo parturitos reposuit. Turtur offertur in Sacrificium, Christus oblatus pro salute nostra. Turtur castissima, volucrum est, & nos Apostolus despondit uni viro virginem castam exhibere Christo. Turtur Christus ex quo exivit à Patre, & venit in mundum nulli unquam viridi ramo felicitatis humanæ insedit, sed in laboribus & ærumnis ab adolescentia sua, immo ab infantia usque in totam vitam vixit.

Pſal. 73. 19.

Levit. 1. 14.

Dicitur insuper Christus, Passer: qui invenit domum sibi, scilicet Christus Ecclesiam condidit. Duo Passeres pro emundatione leprosi offerebantur, significabantque Christi, vel Corpus & Animam, vel Divinitatem cum Humanitate. Passer vivus dimittebatur: nam Divinitas Christi nihil passa est, aut certe Anima, quæ cùm sit immortalis extincta in Passione non est, sed in manus Patris tradita est, à moriente Christo. Vnus ex Passeribus offerebatur in vase fictili super aquas viventes: Christus enim in Corpore nostro de terra formato immolatus, passus, mortuusque est, factus ex muliere, factus sub lege, idque super aquas viventes Misericordiæ, & Charitatis, in cujus signum exivit de latere Christi sanguis & aqua: sanguis quidem, quia Iustitiæ DEI satisfaciebat, Aqua autem, quia nos à peccatis nostris gratiâ & miseratione suâ lavabat. Passerculus noster Christus transmigravit in montem, quia de synagoga, quæ alioqui erat domus ejus, avolavit, & sese ad Ecclesiam Gentium transtulit. Idem est Passer solitarius in Tecto: quia solus in Cruce & Passione, & Redemptionis opere; torcular enim (ait) calcavi solus, & de gentibus non erat vir mecum. Denique, Passeris nostri Anima erepta est de laqueo venantium. Venit enim Princeps hujus Mundi, & in me (ait Christus) non habet quidquam. Idem dicit. Quis ex vobis arguet me de peccato? Quid me tentatis hypocri-

5.

Pſal. 83. 4.

Levit. 14. 4.

Pſal. 10. 2.

pocritæ? & postremò ait. Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum, & inclinato capite emisit Spiritum.

Dicitur etiam Christus, vitulus saginatus; quem Pater Clementissimus filio prodigo revertenti ad se, jussit adduci, & occidi, conviviumque ex eo apparari. Verè saginatus vitulus Christus, in eo enim inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter. Verè saginatus, quia plenus gratiâ & veritate. Verè saginatus, quia de plenitudine ejus accepimus omnes nos. Idem est vitulus immaculatus, quia Christus peccatum non fecit, & in Cruce inimicos nostros ventilavit & expugnavit. Idem est vitulus de Bobus ortus, quia scilicet ex Patriarchis originem duxit. Idem est vitulus nesciens iugum, peccati scilicet proprii, & quia omnia data sunt ei in manus: & quia data est ei omnis potestas in Cœlo & terra. Propterea Christus est vitulus novellus, cornua producens & ungulas, in vita quam vixit à Nativitate usque ad Baptismum Ioannis. Vitulus tenerrimus de armento, prædicans jam Evangelium Regni, & Ecclesiam fundans, per doctrinam, virtutumque & miraculorum opera. Est etiam vitulus saginatus atque adeò immolatus in sacrificium pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi. Hujus ad instar nos quoque debemus esse vituli novelli, per opportunam conversionem ad DEVM, condignosque conversione hac effectus. Vituli de armento esse debemus, per Profectum in obsequio DEI, ut procedamus de virtute in virtutem. Denique vituli saginati esse tenemur per consummatam virtutem, completamque pro statu hujus vitæ perfectionem, Charitatis in DEVM & Proximum plenitudinem atque pinguedinem. Atque hos vitulos immolare debemus Deo nostro, superque altare ejus imponere, ut dicitur Psal. 50. Ad extremum Dominus IESVS noster vitulus est, *qui immolatur coram Domino: & sanguis ejus funditur per altaris circuitum, & pelle detractâ in frusta conciditur, & super altare membra ejus componuntur, atque supposito igne comburuntur in holocaustum, & suavem odorem Domino; qui autem offert eum Domino, ponit manum suam super caput ejus, ut sit placabilis atque in expiationem ejus proficiens.* Hæc enim omnia pœne ad literam in Domino nostro per Passionem ejus completa sunt. Certè ita Caro ejus conscissa fuit, ut detracta pellis videri, membraque ab invicem divulsa conspici, ossaque dinumerari omnia possent, cujus Capiti omnes manum imposuimus, qui morti illius omnes per nostra peccata

6. *Luc. 15. 23.*

Levit. 8. 5.

causam dedimus. Hæc hostia igne odii hostilis, magis autem incendio propriæ suæ, ejusque nimiæ erga nos charitatis suppositio absumpta est: nobisque placatum Patrem reddidit, & in expiationem nostram profecit.

7. Dicitur quoque Christus, vermis. Ita enim de ipso in Persona
Psal. 21. ipsius Propheta loquitur. *Ego autem sum vermis & non homo.*
7. Vermis est enim Christus, propter nascendi similitudinem ex intacta virgine, sinè ullius consortio. Vnde etiam dicitur vermis, & non homo; quia etsi quantum ad Matrem homo sit, quantum ad Patrem tamen homo non est. Vel certè dicitur non homo, propter negationem veteris hominis, qualis non fuit Christus homo; siquidem fuit novus homo. Quanquam autem Dominus IESVS per totam vitam suam quasi vermis fuit contemptibilis valde, & cujus rationem ac pretium vix aliquis unquam habuerit. Maximè tamen in Passione sua vermis esse visus est, & vermis conditionem habuisse. An non velut vermiculus per terram serpebat, quando non positus tantùm genibus, sed etiam in faciem suam prostratus Æterno Patri humillimè supplicabat? An non vermis instar fuit, quando captus à lictoribus & ministris, ligatusque funibus & catenis per terram ab horto usque ad urbem, usque ad Palatia Annæ & Caiphæ tractus raptatusque est? An non vermis fuit, quando per vias Ierusalem à Caipha ad Pilatum, à Pilato ad Herodem, ab hoc rursum ad Pilatum, non tam incessit, quàm repsit, & violenter raptùs tractusque est? Non fuit vermis, quando flagellatione immani contritus est? Non vermis quoque fuit, quando illusoriâ simulque dolorosâ coronâ, purpurâ, arundineo sceptro, adoratione scurrili, totus ab homine demutatus ipsi etiam Pilato visus est, adeò ut eum populo ostentandum, & Ecce Homo, quasi minimè Homo esset, appellandum duxerit? Nonne tanquam vermis reptavit cum pondere Crucis in Montem Calvarium? Non vermis fuit quando Cruci admensus, & illi affixus est? Non vermis instar in Cruce suspensus, & veluti serpens Mosaicus elevatus est? Christus fuit ille tenerrimus ligni vermiculus, qui sexcentos interfecit impetu uno: quia omnes hostes Patris & suos & nostros debellavit. Christus fuit ille vermis, qui Jonæ umbram, legem scilicet Mosaicam veterem, umbram legis novæ destruxit. Christus fuit vermis Iacob, specie quidem apud omnes contemptibilis, sed virtute & potentiâ admirabilis, qui universam terram repleverit doctrinâ suâ. Chri-

stus

stus fuit vermis de Manna genitus, vel quia ex virgine, vel quia ex synagoga natus est. Denique Christus vermis fuit, quia sicut contritionem vermis nemo metuit, nemo sentit, nemo dolet, nemo advertit, nemo vindicat; ita Christus apud suos hostes, & Crucifixores, usque adeò nihil fuit, ut morte ejus nemo commoveretur, nemo eam sentiret, nemo ejus damno & amissione tristaretur, sed potiùs exultârunt omnes in scelere suo, & in contritione Christi, perinde ac si deinceps nullus superfuturus esset mortis ejus, vel sensus, vel luctus, vel ultor, vel memor. Vnde dicebant, Eradamus eum de terra viventium. Nomen ejus non memoretur amplius: confidit in DEO, liberet nunc si vult eum. Attamen secus omnino cecidit Iudæis quàm putabant, vel volebant, Christus enim vermis factus est, & remansit Iudæis usque in hodiernam diem: qui vermis eorum non morietur vnquam, qui vermis usque hodie conscientias eorum rodit & torquet, & torquebit in æternum. Quid illud fuit, quòd Iudæi sequenti mane post necem Christi adierunt Pilatum petentes, ut juberet custodiri sepulchrum? quid est illud, quòd dicebant, Domine recordati sumus quia seductor ille &c. Quid est, quòd signaverunt lapidem monumenti, cum custodibus? Nonne jam tunc mordebat eos vermis Christus?

Sed de his nunc satis; plura ejusmodi Christi Passionis symbola, promptum est ex sacris literis derivare: ista in specimen adduxisse sufficiet.

MODVS LXII.

SExagesimus secundus Modus meditandi Passionem Domini esse potest, expendere ea nomina, quibus sacra scriptura Hostes & Interfectores Domini Nostri appellavit, ideo ut illorum malitiam, odium, iram, furorem, sævitiem, implacabilitatem, hostilitatemq; explicans, Passionis simul Dominicæ acerbitatem nobis explicaret: propter hoc enim hostes Christi vocat Leones, Tauros, Lupos, Canes, Serpentes, Aspides, Tygrides, Agros, Vnicornes, Vrsos, Dracones, Herodios &c. Vt harum bestiarum conditionibus, enormem rabiem hostium Christi in persequendo, & affligendo Christo designaret; simulque incogitabilem dolorum Christi vehementiam ob oculos nostros aliquo modo poneret.

Vocantur ergo Christi Domini Hostes, Leones & Catuli Leonum rugientes & rapientes prædam. Sic Leo rugiens adversùs Christum *Psal. 21. 14.*

Ierem. fuit Caiphas, & Leones Principes Sacerdotum alii, Scribæ quoque
51. 38. & Pharisæi, sicut Ministri & plebes, catuli leonum. Omnes isti dederunt rugitum contra Christum, sive clamantes, Reus est mortis, sive, Crucifige, crucifige, tolle, tolle, nos legem habemus, & secundùm legem debet mori, quia Filium DEI se fecit. Sanguis ejus super nos & super filios nostros. Leo quoque rugiens fuit Pilatus dicens Christo; nescis quia potestatem habeo crucifigere, & potestatem habeo dimittere te? Idem Leo fuit, & quasi Leo rugiit, quando IESVM flagellis cæsum tradidit potestati & voluntati Iudæorum ut crucifigeretur. Catuli Leonum rugiebant & rapiebant illi, qui in Horto interrogati quem quæritis, responderunt iteratò IESVM NAZARÆNVM; IESVM NAZARÆNVM, ad quem capiendum, & vinciendum venerant cum gladiis, & fustibus, cum facibus & lucernis, tanquam latro aliquis insignis esset comprehendendus. Omnes isti quasi Leo vastator in sylva, rugierunt, & vocem contra Christum dederunt, eumque, quantùm in ipsis erat,
2. dentibus & unguibus furoris odiique sui dilaniârunt.
Psal. 21. Vocantur adhuc Christi inimici, Tauri Pingues & Vituli multi,
13. qui circumdederunt, & obsederunt Christum. Vt ipse ait in Psalmo
Psal. 67. 21. De quibus etiam dicitur, *Effusi estis quasi vitulus super her-*
31. *bam, & mugistis quasi Tauri.* Quantùm enim in Iudæis omnibus,
Ier. 50. eorumque præsertim senioribus fuit, ii Christum depascere conati
11. sunt, quomodo Boves Vitulique herbam ad ipsam usque radicem depasci solent. Et partim consiliis privatis, partim calumniis convitiisque & opprobriis publicis clamorosisque mugierunt tanquam Tauri, quando surgens omnis multitudo eorum, condemnaverunt Christum esse reum mortis, quando quærebant falsum testimonium contra IESVM, quando stabant constanter accusantes Christum coram Pilato, & Herode, quando persvaserunt plebi, ut magis peterent dimitti sibi Barabbam, IESVM verò perderent. O quantus mugitus quàm taurea & belluina fuit vox illa omnium, sanguis ejus super nos, & super filios nostros? Christo autem ad locum supplicii cum Cruce procedente, insultatorii & exultativi de ejus tandem obtenta ad Crucem damnatione, clamores, & cachinni, atque mutuæ adgratulationes nonne Taurorum mugitus fuêre? Iam verò de Cruce suspenso Domino atque sublevato in altum: cùm Iudæorum tam Principes, quàm plebes, unà cum militibus circumstantes, & circumeuntes Crucem, capitoque agitantes, & Dominum blasphe-

blasphemantes: quid aliud vel fuerunt, vel egerunt, quàm Tauri pingues Christum obsederunt, & mugierunt; & veluti in baratrum miseriæ perditionisque abominandæ, Cornibus odiorum suorum ventilatum dejecerunt, & demerserunt, ungulisque contritum perdiderunt & deleverunt?

Vocantur etiam Inimici Domini Nostri, Lupi rapaces, voraces, insatiabiles, imò velociores lupis vespertinis, ad prædam erumpentes, post famem totâ die in latibulis suis toleratam, quâ ferocissimi effecti sint. Sic enim Iudæorum Principes fatigati desiderio necis Christi, cùm capere in sermone, & aliquid in quo accusarent, cùm habere non possent, tandem sanguinem ejus à discipulo ejus mercati sunt: tandem per nocturnas insidias violenter eum captivârunt, tandem uno verbo, jugulum ejus petierunt, reum mortis veluti blasphæmum in DEVM, veluti seditiosum, & ambitiosum, veluti Cæsaris hostem, & potestatis eversorem, rebellemque pronuntiârunt. neque destiterunt donec sanguine illius pasti planè & inebriati sunt usque ad mortem. Et tamen Lupi cùm essent cruentissimi, in vestimentis ovium procedebant contra Dominum: nunc eum de doctrina & discipulis examinantes, nunc per DEVM vivum adjurantes, atque veluti auditâ immani blasphemiâ ex ore illius, præ dolore Divini Numinis læsi vestimenta sua scindentes, nunc in domum Gentilis Pilati intrare abstinentes, ne contaminarentur, sed mundi & innocentes manducarent Pascha: Nunc affirmantes sibi non licere interficere quenquam. Nunc legem sibi esse, secundùm quam deberet Christus emori, quia se Filium DEI fecit allegantes. Nunc honorem Potestatemque Cæsaris læsam à Christo zelantes, & nece illius sancientes: sub his ovillis pellibus nefarii lupi intrinsecùs rapacissimi, & sanguinis innocentis cupidissimi lanienam suam insatiabilem composuerunt, & occultârunt: attamen re ipsâ plus quàm lupinâ ferocitate bestialitateque perfecerunt. Lupos ferunt consectari vestigia Leonum prædantium, & quæ Leones dimiserint diripere atque absumere. Fecerunt hoc ipsum Iudæi, quæ Leoni Herodi, Leoni Pilato, catulis Leonum militibus, de Christi laniena & persecutione superfuerunt, hæc Iudæi consectati sunt. Neque tantùm consectati, sed ipsos etiam Leones illos contra Christum sævire coëgerunt: quin etiam plus illis sævierunt. Nam Christum ad Crucem postulârunt apud Pilatum judicante illo dimitti. Eundem Christum ab Herode damnari urserunt, àquo tamen nihil dignum morte

3. *Habac.* 1. 8. *Soph.* 3. 3.

morte factum est illi. Pilatus Barabbam occidi, Christum dimitti voluit, Iudæi contra persuaserunt, homicidam seditiosumque dimitti, Christum autem occidi. Pilatus lavit aquâ manus dicens, Innocens ego à sanguine justi hujus: at omnis multitudo Iudæorum exclamavit; sanguis ejus super nos & super filios nostros. Milites Christo Crucifixo nihil amplius in eum sævierunt, quin & mortuo crura non fregerunt, & Pilatus Corpus Sepulturæ donavit: at Iudæi in Christum jam de Cruce pendentem, maximè rictus suos sanguinarios aperuerunt, & demerserunt, lupino furore ferocientes, & extremum odii exerentes, exercentes, atque exsatiantes

4. *Psal. 21. 21.* Vocantur adhuc Canes, inimici Domini Nostri: contra quos erat Dominus, dum ait. *Erue à framea* DEVS *animam meam, & de manu* (aliâs, ore) *Canis unicam meam.* Nempe Dominus Iudæos expertus est sui sanguinis cupidos, veluti canes famem patientes, & circumeuntes civitatem, tam extra muros suæ urbis Christum quærentes, & capientes, quàm per diversas urbis partes, à palatio ad palatium, & demum usque ad montem Calvariæ discursantes. Canes ajunt esse sanguinis humani saltem lingendi avidissimos: quàm avidi fuerint sanguinis Christi Principes Judæorum, notum est satis. Cane rabido nihil venenosius ferociusque, domari nequit: nulli, ne suo quidem, parcit: sævit in obvios. Judaicâ rabie in Christum, quid majus, aut notius, aut venenosius? Impudentissimi, & saturitatem nescientes, & irritati his ipsis, quibus eos mansvescere oportebat. Nam Pilatus Christi ærumnis post flagella & Coronæ spineæ dirum ludibrium, ratus plus nimio sævitum in Christum esse, ac proinde Iudæos pœnis ejus satiari, mansvescereque, & à morte ejus petenda supersedere posse, adduxit eum foras, & totum quantus quantus erat miserabilem inspiciendum dedit, addens. Ecce Homo. Scilicet plus quàm miserrimus, ideo misericordiâ populi dignissimus! tantùm abest ut mitiores facti sint Iudæi conspectu Christi miserabili, & nihil hominis humaniq; habentis specie, ut potiùs Canum instar efferati, rabidique magis facti sint, exclamaverintq; Tolle, tolle, Crucifige eum; & opponente Pilato. Quid enim mali fecit: illi ad talia omnia surdi, solo suo furore rabidi, famamq; sanguinis & vitæ Christi patientes ut Canes, magis tumultuabantur, magis clamabant, magis vocibus magnis instabant, Crucifigatur. Et quæ tandem cogitari potest rabies magis rabida, seu magis canina, quàm ista Iudaica? Verè Domine IESV circumdederunt te

Canes

Canes multi, canes sævi, canes rabidi, canes insatiabiles, canes impudentes, canes mortui, canes sancto indigni, canes quorum pretium infernus, canes quibus ingredi in Domum Domini sit nefas, canes ad vomitum suum redeuntes, eoque solo pastu digni.

Vocantur adhuc Domini nostri persecutores, Vrsi. Ita se ipsos vocant dicentes. *Rugiemus quasi Vrsi omnes.* De iisdem dicit Dominus. *Vrsus insidians factus est mihi* (populus) *Leo in absconditis.* esse dicitur Vrsus animal invidentissimum, adeòque invidiæ typus, est sævum, solitarium, inquietum. quod si alliges stipiti, perpetuò in gyrum cursitat, aut si subsistere coges, caput tamen incessabiliter agitat. Quid invidiâ Iudaicâ seu notius seu nocentius contra Christum? Ipse Pilatus compertissimum habebat, quòd per invidiam tradidissent, & mortem ejus obstinatissimè appeterent. Itaq; sicut invidiâ diaboli mors intravit in orbẽ terræ: ita invidiâ Judæorum mors Christo irrogata est, & Filium Dei omnibus utique mundis nobiliorem, digniorem, innocentiorem, utiliorem, invasit atque perdidit: ut tantò major sit Iudaicæ invidentiæ malitia, quàm diabolicæ, quantò Christus præstat universæ creaturæ. Ajunt autẽ Hebraisantes, Vrsi nomen Hebraicum [*Dob, vel Diba*] desumptũ esse & significare oblocutionem, detractionem, infamationem, murmur, & truculentiam infamem: quæ omnia sunt invidiæ progenies, & nulli alteri æquè ac Judæorum contra Christum malevolentiæ, æstuantibusque odiis conveniens. Gens fuit solitaria Judæorum, gentibus reliquis omnibus tam inimica, quàm & exosa, atque contempta. De ejus inquietudine satis sit, quòd Christus Pharisæis objicit: quia *Circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proselytum, & faciatis eum filium gehennæ duplò quàm vos.* Vrsi à melle devorato, & ab alvearibus perruptis, apibusque absumptis dicuntur medicinam sibi quærere. Et Judæi, suæ ut insaniæ, superstitionique consulerent, tam Christum ipsum, alvear certè melle nobilissimo plenissimum, quàm Ecclesiam ejus destruere devorareque sunt, quamvis frustra, conati, & ideo *Deo non placent & hominibus omnibus,* salutique inprimis eorum *adversantur usque hodie,* neque ipsi introeuntes, neque alios introire, (quantùm in ipsis) sinentes. Horum ergo rabiosæ in Christum invidiæ, mors Christi filia est: illa est, quæ Dei cidii parturiit injustitiam, concepit dolorem, & tandem peperit iniquitatem, vix in cor hominis, atque dæmonis ascendentem, cogitationique creaturæ aut capacitati impossibilem, nisi re ipsâ perpetrata esset.

5. *Isaiæ 59. 11. Thren. 3. 10.*

Balleſter lib. 4. Hierologiæ c. 4. n. 18.

Matth. 23. 15.

1. Thes. 2. 15.

6. Vocantur insuper Inimici DEI Nostri, Apri. Aper de sylva, & singularis ferus, qui nostram vineam cultissimam, Dominoque plus quàm dilectam, depastus est, Iudæorum populus cum Principibus suis est. Suâ enim efferâ feritate, totis viribus in hoc incubuit, ut quidquid Christi esset inprimis, deinde quidquid post Christum Christi supereſſet, fideles, discipuli, Ecclesia, Nomen, Doctrina, Miracula, & demum omnia, funditus, radicitusque evelleretur, & aboleretur, & periret. Præeuntes ferme hac in parte, & in hoc studio, conatuque, ipsis dœmonibus, qui ab ipsis Judæis videbantur didicisse, quomodo, & quousque Christum persequerentur, alioqui enim verecundati fuissent, (maximè post ejus ad inferos descensũ) tantâ rabie desævire in Christianos, nisi à sævitie ipsorum in Christum Judæorum edocti animatique fuissent. Dæmones teste Apostolo, *si Christum planè cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Hi autem & *cognoverunt, & oderunt Christum, & Patrẽ ejus: sed ut adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est. Quia odio habuerunt me gratis.* Itaque isti feri efferi, isti singulares feri, fecerunt peccare in Christum, non tantùm gentem suam, non tantùm Pilatum, Herodem, gentilesque, verùm etiam dæmones ipsos. Nunquam certè legimus, Dæmones tantùm fuisse ausos ut Christũ dæmoniacum, vel dæmonis consortio utentem appellarent, immo diabolus, qui eum in deserto & portavit, & tentavit, reverenter eum & innocuè gestavit, & sinè ejus concessione, ne ipsos quidem porcos attingere ausi sunt, atque etiam eum adorare, & deprecari soliti fuerunt: isti verò singulares feri Iudæi, omnia sensêre, & dixêre contraria, affirmantes, & in vulgus spargentes, Christum dæmoniacum esse, dæmonium habere, in principe Beelzebub ejicere dæmonia: propter quod judicati sunt à Christo, peccare *in Spiritum Sanctum, tali peccato, quod neque in hoc, neque in futuro sæculo remittendum eis foret.* De quo etiam peccato peculiariter dicit Dominus Noster per Jeremiam. *Tu Domine demonstrâsti mihi, & cognovi: tunc ostendisti mihi studia eorum. Et ego quasi Agnus mansuetus qui portatur ad victimam.* Studia Judæorum vocat, ut exaggeratam eorum in se, & contra se malignitatem rabiei explicet: Studia vocat, deliberatè conceptam adultamque invidentiam: studia eorum vocat, implacabile & insatiabile odium: studia eorum vocat viscerosum cordialemque nocendi, & perdendi omni acerbiore modo & arte conatum, atque diligentiam. Pro quibus studiis eorum, induxit

Psal. 79. 14.

1. Cor. 2. 8.

Ioan. 15. 24.

Ierem. 11. 18.

xit Dominus super eos etiam *Annum visitationis eorum*, hactenus nec dum terminatum. *Ibid. V. 23.*

Hactenus de nominibus atque comparationibus, quibus Spiritus Sanctus in sacris literis enormitatem passionum Christi delineat, per crudelitatem ferocium bestiarum. Plures hujusmodi comparationes ex Sacris Scripturis depromere, & in meditationem adhibere non erit difficile. Ex his autem varios affectus, varias vitiorum quidem Judaeorum detestationes, varias quoque virtutum Christi æstimationes, & imitationes desumet Meditator pius, ut fructum competentem meditationis habeat. Omnes enim peccatores, bestiæ alicujus, aut etiam pluriũ simul, feritatem, pectatis & affectibus suis repræsentant, iisdemque suo modo in Christum desæviunt. Superbi enim & crudeles, & subjectionis debitæ excussores, Leones sunt. Potentes, & aliorum præ se ipsis contemptores, suique nimii amatores, tauris meritò pinguibus comparantur. Vrsos porrò, meritò sanguinariis, murmuratoribus, detractoribus, invidis assimiles. Gulosis & crudelibus, lupos assignes congruè. Impudicos, mordaces, sordidos, iracundos, canibus similes nemo negaverit. Tepidos, somnolentos, quorumque adhæsit in terra, & adglutinatus est venter, itemque avaros, & sordidè parcos, singularibus feris comparare congruè licet: atque sic de aliis similibus, de quibus omnibus jure dicas, illud Moysis, esse illos *dentes bestiarum cum furore trahentium super terram atque serpentium* à quibus tantò amplius, indigniùs, crudeliusque tractatur Christus nunc, licèt jam in Cælis glorioſus & regnans, quàm olim à Judæis, Gentilibusque, nostris in hac vita infirmitatibus obnoxius, quantò scelestius est, à suis scilicet fidelibus, atque professione cultoribus, cognitum, compertumque, & cultum, nihilominùs contemni, & despici DEVM, quàm ab infidelibus, & impietate cæcatis inimicis, incognitum, inæstimatumque violari hominem. sive, quantò absurdius est Glorioſum in Cœlo DEVM, quàm ærumnoſum in terra contumeliosè & injuriosè tractari. *Deut. 32. 24.*

MODVS LXIII.

MOdus sexagesimus tertius meditandi Passionem Domini Nostri esse potest: ita Passionem Dominicam recogitando meditandoque decurrere, ut Deo Patri tanquam Principali Redemptionis nostræ, per Passionem Christi Authori, pro eadem Passione, eâdem

Aloysius Novarinus. libro de Tributo Divino §. 31. 32. sive, Tributo 15.

ipsâ Passione tributum dependamus. Dabo explicationem hujus meditandi modi, ipsumque adeò modum, ex probatissimo scriptore, tametsi non ad verbum ex eo desumptum.

Debitores sumus DEO nostro Patri Æterno tributi compassionis pro Passione, quam pro nobis pertulit unigenitus ejus, & Dominus Noster IESVS Christus. In qua compassione, minimè nos esse parcos convenit, quando & Dominus noster IESVS Christus in sua pro nobis Passione minimè parcus, summè autem liberalis fuit: idq; à primo conceptionis suæ instanti, usque per totam vitam suam: propter quod etiam gratitudinis nomine debemus illi hunc compassionis affectum, sive tributum, toto quo possumus cordis affectu illum exercendo.

1. Ac primò colligemus in unum omnes actus, sive Compassionis, sive Gratiarum actionis, quoscunque unquam aliquæ creaturæ persolverunt DEO, præsertim pro Redemptionis suæ, Passionisque Christi beneficio, atque omnes hos actus, affectusque quanti quanti sunt, denuo DEO in tributum offeramus, quantumvis aliâs dudum eidem oblatos.

2. Secundò. Desideremus habere & exercere talem compassionis affectum, qui sit par Christi Passioni, nostræ pro illa erga ipsum obligationi; quem quia in effectu habere non possumus, saltem in desiderio illum habere studeamus.

3. Tertiò. Studeamus amplius semper cognoscere atque exercere oblationem illam vitæ ac Passionis Christi, ejusque modum, quem ipse Dominus IESVS tenuit in offerendo semetipso Passioni, & idem ejusdem desiderium & amorem, quo partim Passus est, partim pati amavit, & optavit.

4. Quartò. Consvescamus Passionem Domini repræsentare in omnibus (quoad repræsentari potest) actionibus, occupationibusque nostris. v. g. Dum ambulamus, repræsentemus quasi Christum cum Cruce ambulantem, dum manus brachiaque expandimus, effingamus Christum in Cruce expansa brachia expandentem: dum in lecto sumus, Christum in Cruce positum repræsentemus; dum loquimur, Christi verba inter patiendum referamus; dum tacemus, silentio nostro, Christi in Passione silentium veneremur. Par de aliis actionibus ratio.

5. Quintò. Offeramus DEO omnes dolores, quos aut alii passi in morte sua sunt, aut patientur, aut etiam nos patiemur in morte nostra:

stra: respiciendo in illis, conjungendoque illos doloribus Christi, quos in Passione, & morte sua pro nobis sustinuit.

Sextò. Coacervemus in nostrum Cor cum omni affectu nostro, omnes fructus, qui ex Passione Christi, & nati sunt, & nascituri: eosque omnes offeramus ipsi Christo, cum singulari quadam complacentia, atque congratulatione ex eis, & quòd Christus per suam infinitam sapientiam, eos ex sua amara, & probrosa, pro nobis Passione, cruce, & morte educere scivit. 6.

Septimò. Convertamus cælesti quâdam spiritualique alchimiâ omnes nostros, & omnium reliquarum creaturarum dolores, compassiones, tristesque affectus, & sensus, qualitercunque habitos, & toleratos, in affectum quàm maximæ compassionis pro Passione, & super Passionem Christi. 7.

Octavò. Omnes item dolores, afflictionesque nostras, accepte- 8.
mus à DEO, & sustineamus cum omni modestia, & hilaritate, propter amorem IESV Passi, ejusque Passionis pro nobis; optando ut omnes creaturæ id ipsum faciant, atque etiam earum hac in parte vicem quantùm ex nobis supplendo, Deumq; in omnibus omnium afflictionibus laudando, omnes pro eis perferendo, atque Christi passionibus uniendo, & ut ipse illas uniat desiderando, atque rogando.

Nonò. Si quando in aliquam imperfectionem defectumque la- 9.
bimur, subitò pro illo lapsu nostro offeramus Deo totum illud, quod innocentissimus Agnus Dei pro nostris peccatis pertulit. Et quantò erunt majores lapsus nostri, tantò diligentiùs pro omnibus illis intendamus, consvescamusque tam Patri Æterno, quàm ipsius Domini JESV cordi offerre Passionem Christi, & quidem ipso ejusdem corde.

Decimò. Oremus Amabilissimum Redemptorem nostrum, ut 10.
sibimet ipsi offerat pro nobis totum id, quod passus est pro nobis. Itemque oremus, & Sanctos omnes, ut offerant pro nobis Passionem Christi, ipsimet Christo.

Vndecimò. Supplicemus Pretiosissimæ Dei Matri Virgini MA- 11.
RIÆ, ut totum hoc, quod in Passione Filii sui perpessa ipsa est, offerat eidem Filio pro nobis passo. Vicissim verò offeramus, & repræsentemus Christo, MARIÆ Matris Filio, id totum, quod illa cum ipso, & pro ipso passa est, quodque ipse cum Matre, & in Matre sua

MARIA perpessus est, & denique etiam ipsi Matri hoc offeramus, quod Filius ejus in ipsa perpessus est.

12. Duodecimò. Demus operam, ut non sit ullum verbum, non spiramentum, non cogitatio, non actio, non passio seu mutatio ulla in nobis, vel à nobis, cui inserere non intendamus, supra dictos actus, in infinitum multiplicatos, & secundùm quod DEus scit, aut potest facere, fierique multiplicatos; adjungendo extensioni, & numero actionum, intensionem quoque majorem, ac majorem, perfectioremque semper.

Supradicti Actus, etsi meliùs affectibus Cordis, quàm vocibus oris exercebuntur, poterunt tamen etiam hisce sequentibus, vel aliis his similibus verbis exprimi, & exerceri.

1. Benedictus sis ô Pater Æterne, & sit benedicta infinita charitas tua, quæ te impulit, ut unigenitum Filium tuum dares ad assumendam nostram mortalitatem, in qua pati & mori pro nobis posset. Benedico te, & in omnem æternitatem benedicere volo, pro eo, quòd sicut Filium tuum ab æterno ex tua substantia genuisti; ità etiam eundem ab æterno ardenter voluisti nasci ad patiendum pro nobis. Atque utinam prævaleam adeò gratus esse Majestati tuæ pro hoc beneficio, quàm magnus est Amor ipse tuus, quem in ipso isto beneficio demonstrâsti nobis.

2. Nunquam volo permittere mihimet, ut ex memoria mea deleatur recordatio beneficii hujus Domini mei JESV Christi, quod præstitit mihi patiendo pro me, ac si prorsus mei solius causâ pati venisset, aut passus esset.

3. Volo etiam ex nunc ad te Dominum meum dirigi omnes operationes meas, omniumque aliarum creaturarum, omnes cogitationes, locutiones, respectus, intentionesque, immersas, & absorptas, & appretiatas, in sanguine atque Passione JESV Christi, cum omnibus actibus gratiarum actionis, & compassionis, & devotionis, tuæ Majestati unquam exhibitis, à quocunque servorum tuorum, in unione Passionis ejusdem Domini nostri, Filii autem tui, JESV Christi.

4. O Domine JESV Christe, nunquid ego tanta pati possum pro Te, quanta Tu passus es pro me? Non equidem possum, attamen in compensationem qualem qualem hujus impotentiæ meæ, offero tibi totaliter, quidquid passus unquam sum, quidquid adhuc patiar, quidquid passi sunt homines universi, atque adhuc aliquando patientur,

tiantur, quacunque de causa, & quocunque motivo. Quod totum volo, & intendo, ut fiat propter amorem tuum, & propter amorem totius Passionis tuæ pro nobis.

Æterne DEvs, & Pater Domini Nostri JEsv Christi, omnes 5.
defectus, omniaque delicta, & mea, & omnium creaturarum tuarum, quæcunque unquam commisimus displicita tuæ sanctissimæ voluntati; nunc quidem ego, quantùm in me est, agnosco, confiteor, & retracto, coram Te, simul autem Bonitati tuæ offero totum id, quod Dominus noster JESVS Christus Filius tuus passus est, pro omnibus delictis nostris, simulque oblatione huic meæ, adjungo illam ipsam oblationem, quâ Tibi Æterno suo Patri, Dominus JESUS obtulit suam omnem pro nobis Passionem.

Desidero, statuo, & intendo, omnibus & singulis actionibus meis 6.
repræsentare, ac etiam quantùm mihi fas fuerit, exercere totam Christi Passionem, omnesque Passionis partes ac modos, & actiones. Sic volo, ambulationibus meis, dolorosas Christi per suam Passionem, ad usque Crucifixionis suæ locum ambulationes referre, illasque his associare, & hoc ipsum quod sensit in suis JESVS, ego quoque in meis propter ejus amorem sentire. Sic etiam volo omnibus verbis ac sermonibus meis venerari omnes Domini mei inter patiendum pro me, locutiones. Pariter, silentium omne meum, admirando illi silentio Domini mei conjungere, eodemque illud exornare volo. Omnem quoque cibum & potum meum, quem aliquando propter obsequium tuum divinum sumam, intingere volo in felle, myrrha, aceto, totaque calicis amaritudine, quem Dominus meus JESVS Christus in sua Passione bibit & ebibit. Vestitum meum conjungo, Domini mei, partim spoliatione, & nuditati, partim candidæ Herodianæ vesti, partim illusoriæ purpuræ, quâ illusus est pro nobis. &c. Denique somnum meum, & lectum, associo duro Crucis Christi lecto, mortisque somno, quem in Cruce obdormivit pro me. Ad extremum, protestor me intendere, proponereque omnem sive corporis, sive animi actionem, atque Passionem meam, quin & quantùm in me est omnis creaturæ, in conjunctione, respectu, & honore, atque veneratione amarissimæ simulque pretiosissimæ Passionis ac Mortis Domini Nostri JESV Christi peragere.

Recipe etiam Pater æterne, de manibus meis totum id, quod 7.
pretiosissima Filii tui, DEI Dominique nostri Genitrix, in Passione Fi-

ne Filii sui, Tuique, perpessa est. Recipe inquam, sed potiùs de manibus illius ejusdem Matris illud ejus sacrificium, quod illa Mater omnis pietatis, fecit, & obtulit cordi tuo Divino pro nobis, tam ex se ipsa, quàm ex Filio suo, eodemque Tuo, ac Redemptore nostro.

8. Congrego in unum, atque comprehendo toto cordis mei affectu, omnes effectus fructusque Passionis Domini Nostri JESV Christi, præteritos, præsentes, ac futuros, in omni tempore, ac tota deinceps æternitate: eosque omnes quanti quanti sunt, Tuæ, ô Pater Æterne, Majestati offero, & in hac oblatione per manere volo, omnibus, & singulis momentis vitæ meæ, ipsam istam permanendi in hac oblatione voluntatem in ea comprehendo, atque ut sit quasi unus ex Passionis Christi JESV fructibus intendendo, ut tanto acceptior sit tuæ Divinæ voluntati, Majestati, voluptati.

9. Quâlibet respiratione & aspiratione, totius vitæ meæ, offerre intendo, & re ipsâ actualiter offero, vitam omnem meam, actionemq; omnem vitæ totius meæ, tuæ pro me in ligno Crucis exspirationi, & per punctum illud instansque mortis meæ, quo actualiter moriar, propono, & intendo, pro Te Domino meo mori, ut hac ratione morte meâ correspondeam aliquantula ex parte Morti tuæ, instantique mortis tuæ, quo tu omnis vitæ author in Cruce exspirâsti pro me: Atque ad hanc ipsam intentionem, quantùm possum, dirigo omnem quoque, omnis mortalis, & mortuæ, morituræve creaturæ mortem.

10. Accepta ô Æterne DEVS, pro tributo à me nunc tibi exhibito, oblationem illam, quam Tibi de se ipso fecit pro me Dominus JESVS, quamque de eodem Domino JESV filio suo, simulque tuo, tum simul & de se ipsa fecit Mater Domini JESV, itemque illam, quam & ipse JESVS, & ejus Mater MARIA fecerunt Tibi pro me, & pro omni creatura. Et insuper intendo per omnia esse totus tuus, toto illo modo, quo tuum esse Filius tuus fecit, tantoque me ad hoc amplius obligavit, quantò ipse plus pro me pertulit.

Vsque huc Novarini modus atque sensus quantum pro me licuit ex ejus Italico expressus: sitque hoc interim satis, de tributo solvendo pro Christi Domini Passione, DEO Patri Æterno. &c. &c.

MO-

MODVS LXIV.

SExagesimus quartus Modus meditandi Passionem Domini nostri, esse potest, ejusmodi; quem adumbratum legimus in Esdrâ de quo scribitur. [*Congregatusq; est omnis populus quasi vir unus ad plateam, quæ est ante portam aquarum. Attulit ergo Esdras Sacerdos legem coram multitudine virorum & mulierum, cunctisq; qui poterant intelligere. Et legit in eo apertè, de manè usque ad mediam diem in conspectu virorum & mulierum, & sapientium: & aures omnis populi erant erectæ ad librum. Steterit autem Esdras scriba super gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum. Et steterunt juxta eum ad dexteram ejus & ad sinistram ejus. Et aperuit Esdras librum coram omni populo, super universum quippe populum eminebat. Et cùm aperuisset eum, stetit omnis populus.*] Ad hunc ergo modum, & juxta hanc figuram, Christus Dominus noster Sacerdos, & scriba summus, atque sapientissimus, cogitari potest, stans super gradum ligneum, nempe super Lignum Crucis suæ affixus, pendens, aperire Librum Legis, qui ipse idem Dominus est, tum Liber, tum Lex, tum etiam Legislator. Qui liber scriptus intus & foris, Carmine, væ, & lamentationibus, in passione, partim clausus, & obsignatus, partim etiam apertus & lectus est: neque ab alio ullo, quàm ab ipsomet Christo Domino meliùs: nam alii hunc ignorantes, voces Prophetarum *quæ per omne Sabbatum leguntur, judicantes impleverunt.* Ad hunc ergo Lectorem Legis Divinæ, ad hunc Sacerdotem, & scribam, super gradum ligneum, super Cathedram Crucis suæ stantem, omnis Anima fidelis *meritò concurret, & aures ejus ad Librum erunt erectæ.* Optimè enim & appositè ad propositum præsens dixit Augustinus. *Crucem Christi, non solùm esse lectulum morientis, sed etiam cathedram docentis.* Libeat ergo Animæ fideli cuicunq; vel legere propriis oculis librum hunc, vel audire legentem semetipsum Librum ipsum: miro quidem per omnia, tamen vero modo, quoniam in rei veritate, & Liber, & Libri verba, & Lex, & Lector Libri, & Legislator, unus, ac idem est Dominus noster IESVS Christus: potestque, immo debet, sive legi, sive lectus audiri, ab omni Anima fideli, Credendo, Amando, Compatiendo, Obediendo, Laudando, Gratas agendo, Adorando, Servando, & Explendo, atque Imitando.

2. Esdræ 8. 1.

Ezech. 2. 9.

Act. 13. 27.

August. Tr. 119. in Ioann.

Porrò quid sit in hoc Libro legendum non est quidem difficile

nôsse, tum ex ipsa Passione; tum ex modis supra jam adductis, & præcipuè *Modo* v. g. *20.* Vbi agitur de Opere, Modo, & Causa. Item *Modo 36.* De labore & dolore Christi in Passione. *Item 24.* De quavis Parte Passionis Christi, & de peccatis eam causantibus, deque virtutibus & earum doctrinis, in ea nobis propositis &c. &c. Possunt nihilominus sive legi, sive etiam tanquam lecta audiri in eo Libro, ea ipsa verba æternæ vitæ, quæ Christus sicut vivens docuerat, ita Patiens, atque Moriens, ipso Passionis & Mortis suæ actu exercebat, exercendoque prædicabat. v. g. docebat Christus vivens. *Pœnitentiam agite,* appropinquavit enim Regnum DEI: id ipsum luculenter, & legere, & audire est, ex hoc Libro, & ab hoc Lectore super gradum ligneum, seu lignum Crucis stante, legente, prædicante, demonstrante.

Luc. 9. 27. 2. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum & tollat Crucem suam quotidie, & sequatur me.* Lege hoc ipsum in libro isto, & audi ab Esdra Christo in Cruce prælegente.

Matth. 19. 17. 3. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, & da pauperibus, & veni sequere me, & habebis thesaurum in Cœlo.* Lege hanc vocem, & vocationem in isto libro.

Luc. 13. 24. 4. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

Mat. 11. 29. 5. *Contendite intrare per angustam portam, quia arcta est via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam.*

6. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.*

Ioan. 12. 24. 7. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit: ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.*

Luc. 12. 8. 8. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, & coram Angelis* DEI, *qui autem me confusus fuerit* (aut erubescet) coram hominibus, *confundar & ego eum coram Patre meo, & coram Angelis ejus.*

Ioan. 13. 13. 9. *Scitis quid fecerim vobis? vos vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis, sum etenim; Si ergo ego Dominus & Magister vester, lavi pedes vestros,* (hæc, & talia pertuli pro vobis) *& vos alter alterius debetis lavare pedes. exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, & vos similiter faciatis.*

Ioan. 14. 30. 10. *Vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio.*

Ioan. 3. 14. 11. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Sic enim DEVS &c. 12. *Sic*

12. *Sic DEVS dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret; ut omnis qui credit in eum, non pereat sed habeat vitam æternam.* *Ibid. V. 16.*

13. *Majorem charitatem habet nemo, quàm ut ânimam suam ponat pro amicis suis.* *Ioann. 15. 13.*

14. *Ego sum Pastor bonus, & animâ meam pono pro ovibus meis.* *Ioan. 10.*

15. *Meus cibus est ut faciam* (patiar) *voluntatem Patris mei, qui in Cœlis est.* *11. Ioan. 4.*

16. *Diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos, orate pro persequentibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est, qui Solem suum facit oriri, super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.* *34. Luc. 6. 17. Luc. 23.*

17. *Si in viridi ligno hæc faciunt: in arido quid fiet?* *31.*

18. *Qui autem in terram bonam* (id est, qui sunt terra bona, semen verbi DEI excipiens) *hi faciunt fructum multum in patientia.* *Luc. 8. 15.*

19. *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* *Mat. 10.*

20. *In Patientia vestra, possidebitis animas vestras.* *22.*

21. *Omnis qui non bajulat Crucem suam quotidie, & venit post me, non est me dignus.* *Luc. 21. 19.*

22. *Vulpes foveas habent, volucres cœli nidos, Filius autem hominis, non habet ubi caput suum reclinet.* *Luc. 14. 27.*

23. *Hæc oportebat pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* *Luc. 9.*

24. *Non est servus major Domino suo: sed sufficit illi si sit sicut Dominus ejus. Si me persecuti sunt, & vos persequentur, si Patrem familiâs Beelzebub vocaverunt, quantò magis domesticos ejus?* *58. Luc. 24. 26.*

Hæc omnia docuit Christus vivens inter homines, hæc eadem omnia, legere est in ipso eodem Christo velut in libro super Crucem expanso, hæc omnia audire potest, ac debet, Anima quævis, ab eodem, de Crucis gradu cathedraque prælegente: hæc omnia docet Christus patiens, & moriens, & quidem non jam solis verbis, sed ipsis operibus, atque adeò doloribus, & vulneribus, ut dicere videatur: *Si verbis meis non creditis, operibus credite*; & ea operibus vestris complete. *Ioan. 13. 16. Ioan. 10. 38.*

Hæc ipsa nostri Esdræ de ligneo Crucis gradu seu cathedra legem DEI edocentis, præcepta, ad alia pauciora prioribus, non minùs tamen prægnantia capita revocari possunt. In Christi enim Crucifixi & Passi volumine legi possunt e. g. hæc. *Eph. 2. 4.*

1. Amor DEI, atque ut Apostolus loquitur nimia Charitas Dei erga nos. *Sic enim DEVS dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. &c.* *Ioan. 3. 16.*

Gal. 2. 20. 2. Amor Christi Domini etiam erga eosdem nos. *Qui dilexit me, tradidit se ipsum pro me.*

3. Via ad Cœlum unica, & recta, & tuta, per Crucem & passionem propter Christum.

Rom. 8. 32. 4. Odium immensum Dei contra peccatum, zelusque justitiæ ac furoris ejus contra ipsum. *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum in mortem.* &c.

Luc. 23. 31. Ioan. 15. 2. 5. Immanitas pœnarum inferni, destinatarum peccatis & peccatoribus. *Si enim in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Omnẽ palmitem in me non ferentem fructum, Pater meus tollet eum, & in ignem mittet, & ardet.* Denique immanitatem illam hoc luculenter ostendit, quia sanguine Christi eam extingui oportuit.

Mat. 5. 12. 6. Immensitas Cœlestis gloriæ, quam adeo pretioso, id est divino sanguine comparari necesse erat. *Gaudete & exultate, quia merces vestra multa est in cœlo.* Sed Christi sanguine exarata.

7. Pretium animarum nostrarum, quas Christus, non utique insipiens Mercator, sanguini, & vitæ suæ præferre non dubitavit, quod sanè ampliùs est longè, quàm illud ejusdem Domini dictum. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur.* &c. *Aut quam commutationem dabit homo pro anima sua?* Certè Christus pro ea dedit suam. Vide ergo quanti æstimavit alterutram?

Matt. 16. 26. Ioan. 13. 15. Luc. 14. 27. 8. Exemplum omnino imitandũ ab omnibus. *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Qui non non bajulat Crucem suam & non sequitur me, non potest meus esse discipulus.*

Nicol. Lancitius opusc. 10. med. 29. Nicolaus Lancitius accuratus vitæ spiritualis Magister, tomo 1. Operum Spiritualium. Opusculo 10. Meditatione 29. ad quatuor capita revocat omnia, quæ præcipuè in Christi Passione, Passique Christi libro legenda sunt. 1. est. Gravitas peccatorum nostrorum. 2. Liberalitas Christi in nos, eandẽ vicissim à nobis in Christum requirens. 3. Amor efficax Inimicorum, & ingratorum, & indignorum. 4. Renuntiatio omnium commodorum personaliũ, propriorum: quæ apud ipsum fusiùs legere est.

Laur. Iustin. lib. de Triũphali Ago Libet hunc Modũ concludere Beati Laurentii Iustiniani verbis, quæ supra dictis lucem dabunt. Nihil eorum, quæ in sacro continentur eloquio, sic humanum valet excitare affectum, mentem erigere, temperare laborem, peregrinationis tœdium auferre, & felicitatis æternæ spem immittere, quàm redemptionis humanæ mysterium.

sterium. In illo miserationis divinæ reseratur abyssus, cœlorum aperitur janua, charitatis latitudo ostenditur, & quantus sit homo apertissimè demonstratur. Pro tuis itaque facinoribus, ô homo, tristare in Christo. Te agnosce in illo, tua in ejus afflictionibus metire delicta, debita tua in Christi lege membranis. Ipsius attritio, livor, & passio, nostræ sunt calamitatis indices, & adeptæ pacis speciales testes. Hanc itaque (pacem) non in membranis, non in lapide, neque in ligno, sed sanguine proprio in sua carne conscripsit. Librum hunc, ut ab universis legatur publicè exposuit, non sermone compositio, vel humanæ sapientiæ exaratus est verbis, sed hominum interveniente malitiâ, digito DEI scriptus; nempe sævientibus inimicis depictus est foris: Charitate autem & sapientiâ Christi, formatus est intus. Habet foris, simplex & indoctus quid legat, habet spirituales & perfectus quid intus intelligat. Legit simplex & lætificatur, atque compungitur, exercitatus verò intelligens irradiatur, atque accenditur. Quis, nisi Sapientia Doctrix poterat tam multa paucis colligere, abbreviatam legem, legalia Sacramenta, charitatis compendium, perfectionis celsitudinem, & totum Redemptionis humanæ Modum, in hoc Corporis sui conclusit volumine. Quamobrem cùm scribere complêsset, nihilque superesset scribendum, dixit: *Consummatum est.* Hæc Beatus Laurentius. *ne Christi cap. 20.*

MODVS LXV.

SExagesimus quintus meditandi Passionem Domini Modus esse potest; si assumatur Christus Patiens vel Passus, atque meditanti proponatur, ita, ut totus quantus est Christus opponatur homini, velut quidam accusator, expostulatorve, ac simul Iudex; simulque etiam Medicus, aut Parens indulgentissimus. Opponatur autem secundùm omnia exteriora & interiora sua, toti homini, item secundùm exteriora & interiora ejusdem hominis. Explicatione, & exemplo res fiet clarior. Igitur ô Christiane pone tibi ob oculos cordis tui Christum DEVM tuum, in conditione quidem quâ vóles, & videtur utilissimum efficacissimumque futurum, si Patientem aut Passum pro te tibi proposueris. Rursum verò coram Christo pone temetipsum abjectum & prostratum in genua vel faciem, (prout æquum est) vel prout commodiùs videbitur meditationi. Tum audire tibi videaris Christum dicentem ad te illa. *Narra si quid habes,*

Isa. 43. *bes, ut justificeris.* Conclusio tractatûs istius, erit illa Beati Iob.
27. *Non respondebit ei unum pro mille.* Vel etiam illa. *Non justificabitur homo compositus DEO.*
Iob. 9. 3. Audi ergo homo quomodo Christi exteriora stent contra te, & accusent te? *Ecce Caput Christi*
Iob. 25. confixum spineo serto, conquassatum, depilatum, laceratum, humi-
4. liatum: Accusat caput tuum, iludque secum in judicium vocat, quia est sibi valde dissimile: nam est superbum, delicatum, calamistratum, concinnatum, & cincinnatum, pingue, & unctum, erectum, & cervicosum. *Frons Christi* veneranda, tuam effrontem frontem immodestam, & superbam arguit. *Oculi Christi* modesti, demissi, verecundi, suffusi, & caligine sanguineâ obtenebrati, oculos tuos nutibus suis ambulantes, & usque ad fines terræ porrectos, vagos, vanos, lubricos, curiosos, molles, procaces, volubiles, in judicium vocant. Defende si potes, ex causa, atque causam oculorum tuorum, frontis tuæ, capitis tui; quod si non potes? si quàm longissimè (quod est per omnia verum) absunt à Christi exterioribus, quid restat, nisi ut denique te ipse condemnes, & dicant contra te iniquitates tuæ testimonium? sic enim tantùm evadere potes horribile DEI judicium. Nam si accusas te, justificas: quod si justus es? sequitur Christum iniquum esse. Atqui sic contra DEVM facis, & justior es factore tuo. Si autem accusas te, & condemnas, cum DEO facis, exaltas quidem Christum, qui est super omnia DEVS benedictus in sæcula: Tibi autem solùm faciei confusionem (quæ revera sola tua est, tibique debetur) inducis & indicis, & per hoc justus efficeris. Quod de Capite, Fronte, Oculis Christi dixi, de tota Corporis Christi, compage meditandum est, sed hoc in præsenti (ubi modos tantùm meditandi non meditationes scribimus) locum non habet. Atque etiam id ipsum cogitandum de Christi interioribus, ita ut Anima Christi animam nostram incúset, Memoria memoriam, Intellectus intellectum, Voluntas voluntatem, Phantasia Phantasiam, Iudicium & æstimativa, itemque consultiva & electiva facultas Christi, nostrã judicativam, æstimativam, consultivam, & electivam vim in jus vocet. Pariter Amor amorem, Timor timorem, Tristitia tristitiam, Ira iram, Odium odium, Fuga fugam, omnis denique appetitus Christi, nostrum appetitum accuset. Præterea, Charitas charitatem, Contritio contritionem, Obedientia obedientiam, Paupertas paupertatem, Puritas puritatem, Humilitas humilitatem, Mansvetudo, Patientia, Modestia, mansue-

mansvetudinem, patientiam, modestiam. Constantia, Fortitudo, Perseverantia, Fervor, Devotio, nostram constantiam, fortitudinem, perseverantiam, feruorem, devotionem inculpet, & de ea coram DEO Patre, vel ipso Christo, vel conscientiâ tanquam Iudice, coram sanctis conqueratur; quòd nempe tanta sit inter sua & nostra differentia, dissimilitudo, ut præter sola nomina, nullo modo in comparationem venire possint. Nam v. g. quæ comparatio nostræ charitatis ad Charitatem Christi, nostræ mansvetudinis ad Mansvetudinem Christi, nostræ orationis ac religionis, ad Orationem & Religionem Christi? Par de aliis judicium, par & sententia, decretumque esto. Et tamen Professio, vocatio, obligatioque nostra magnam similitudinem promittit, & profitetur, & exigit: & tamen auxilia subsidiaque gratiæ, itemque opportunitas & occasiones, itemq; exempla tum Christi Domini, tum Sanctorum, tum eorum, quos inter vivimus, à quibus & habemus data, quibusque obligamur dare, longè alia virtutum, perfectionumque argumenta, jure suo exposcunt Hac tali meditatione, collatione, dijudicationeque Christi ad nos, nostrique ad Christum, præsertim Passum ac Patientem, institutâ atque peractâ, cum debita applicatione atque serietate, quæ, vel cujus nostrûm erit Anima, in qua non enascantur competentes, hoc est, maximè resoluti, accurati, obfirmatique affectus, & conatus ad meliora, ad perfectiora, ad Christo similiora, vivendi, agendique studia? Atque nisi me mea fallit opinio, talis dijudicatio, atque (ut sic loquar) Christi nobiscum, nostrique cum Christo confrontatio, illis potissimùm usurpanda est, qui perfectionis christianæ, vel actualem possessionem, vel actualiter continuatam consectationem profitentur statu suo, rationeque vivendi, & vocationis instituto. Gentilibus enim, maximè cum lumine rationis naturalis contendendum erit in judicio, cui scilicet obluctati sunt, & veluti exuto rationis freno, bestiali libertate vixerunt. Christianis & Mãdata quidem DEI lumine rationis cognita, ac insuper à DEO proposita, sed præterea etiam fidei christianæ præcepta sinè dubio opponentur in judicio, & ad illa, ipsorum vivendi ratio strictè examinabitur. At verò Christi perfectam imitationem professis: totus quantus est Christus, totaque virtutum ejus sinceritas, sublimitas, heroicitas, atque exemplaritas, ob oculos statuetur, & ad earum normam, vitæ, virtutumque, nec non singulorum operum, omniumq; morum perfectio, & sinceritas, & sublimitas expendetur: non utiq;

sinè

sine grandi confusione ejus, qui inventus fuerit minus habens. Sicut etiam non erit absque magna, ac omnino divina consolatione, exultationeque illius cujusque, quicunq; inventus fuerit quàm exactissimè prototypo, exemplarique Christi Domini respondisse, ad illiusque similitudinem proximè accessisse. Quare hoc genus meditationis, sui nempe cum Christo collationis, & tam ab ipso, quàm omnibus quæ sunt in ipso, nostrarum rerum, virtutum, partium, affectionum Accusationis, Examinationis, Dijudicationis: faciat unusquisque nostrùm, qui vocatione statuque perfectionem, & perfectam Christi imitationem profitemur, sibi valde familiarem. Sic enim fiet, vt magnis, & perpetuò continuatis passibus, atque progressibus stadium perfectionis christianæ decurrisse nos, decurrereque experiamur, assequamurque illud felicitatis, quod sponsæ in Canticis obvenisse legimus: quæ omnibus illis encomiis, à sponso suo vicissim recommendatur exactè, quibus ipsa sponsum suum copiosè & sigillatim dilaudat. Ad hoc certè studii genus Beatus Petrus videtur exhortari fideles, omnes quidem, at revera virtutis perfectionem professos, præcipuè, cùm ita monet. *Christo in carne passo, & vos eâdem cogitatione armamini.* quibus verbis Apostolus, & admonet nos obligationis nostræ, quæ in nobis exsurgit, ex eo præcipuè, quòd Christo Crucifixo, Passoque pro nobis nomen dedimus: ejusque obsequio nos dedidimus: videlicet ad imitationem ejus in Passine & sufferentia adversitatum quarumcunque: & præterea demonstrat, quantò cum studio, animique applicatione, & obligationis appretiatione hanc ipsam obligationem exequi, tenere, & conservare debeamus: eâ scilicet quâ videmus militiæ consecratos homines, arma sua sive defensiva, sive offensiva solitos esse conservare, tueri, æstimare. Cogitationes enim de Patiendo pro Christo, & cum Christo, & exemplo Christi, vocat armaturam nostram, contra omnes, non tantùm adversitates, sed, etiam adversarios ipsos, Denique etiam Beatus Apostolus fructum nobis indicat ejusmodi cogitationum, atque ad patiendum (exemplo Domini nostri IESV Christi) resolutionum: videlicet securitatem, & ab omni vulnere immunitatem, siquidem talibus cogitationibus non aliter quàm invincibilibus armis, & protegemur ipsi, & hostibus formidini erimus. Quocirca Christo in carne sua Passo, armemus & nos carnem nostram patiendi resolutionibus. Christo in Anima sua Passo, armemur & nos proposito patiendi cum ipso in animabus nostris,

Cant. 4. 1.
Cant. 5. 9.

stris, Christo humiliato, contempto, vulnerato, cruentato, illuso, exinanito, cum iniquis deputato, à Patre derelicto: & nos similium perpetiendorum desiderio proposito, studio, inquisitione, æstimatione armemur: ut humiliari, despici, affligi, crucifigi, cum latronibus & impiis reputari, ipsum etiam cordis à DEO exilium perpeti concupiscamus, quæramus, ambiamus, gaudeamus.

MODVS LXVI.

SExagesimus sextus Passionem Domini meditandi Modus esse potest, recogitando, & devotis cum affectibus expendendo, qualiter Dominus IESVS semper quidem aliàs in tota mortali vita sua; ac specialiùs Passionis suæ, mortisque tempore, omnem quidem infirmitatem, & miseriam, atque vilitatem humanæ conditionis, quam assumpserat pro nobis, luculenter ostendit: contrà autem omnem Divinitatis majestatem à persecutorum suorum oculis abscondit. Exhibet istum Modum meditandi Gregorius Magnus, ubi verba illa Beati Iob [*Si expavi ad multitudinem nimiam, & despectio propinquorum terruit me, & non magis tacui, nec egressus sum ostium.* ad Christum Dominum accommodans, ita loquitur. [Quæ scilicet verba, si ad mysticum intellectum pertrahimus, in eis citiùs operationem nostri redemptoris invenimus. Ipse quippe ad multitudinem nimiam non expavit, dicens. Ego sum. Ipsum despectio propinquorum non terruit, qui nos ab æternis suppliciis liberans, palmas in facie æquanimiter accepit. Ipse tacuit, & ostium egressus non est, qui sub ipsa jam hora Passionis, cùm humanitatis infirma pateretur, Divinitatis potentiam exercere noluit. Mediatori quippe DEI & Hominum quasi ingredi ostium fuisset, si cùm teneretur ut Homo, Majestatis suæ potentiam voluisset ostendere: & per Divinitatis Magnitudinem susceptæ carnis infirma transire. Vt autem apertus Homo mori posset, DEVS mansit occultus, quia si cognovissent nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Non est ergo egressus ostium, qui & requisitus à Pilato tacuit, atque inter persecutorum manus, & corpus Passioni obtulit, quod pro electis assumpserat, & resistentibus noluit demonstrare, quod erat. Vnde etiam per Psalmistam dicitur: Posuerunt me abominationem sibi, traditus sum & non egrediebar. Cùm enim despiceretur, quia homo videbatur, egressus esset, si occultam majestatem suam ostentare voluisset. Sed quia infirmitatem prodidit, potentiam abscondit, in

Iob. 31. 34.

Greg. lib 22. Moral. c. 12.

1. Cor. 2. 8.

Psal. 87. 9.

„ eo quod persecutoribus suis incognitus mansit, ad eos minimè exi-
„ vit. Qui tamen ad electos exit: quia Divinitatis suæ svavitatem
„ quærentibus aperit. Vnde etiam per Prophetam dicitur. Existi in
Abac. 3. salutem populi tui ut salvos facias Christos tuos. Hæc Sanctus
13. Doctor.

Licebit ergo ad hunc Modum Passionem Dominicam contemplari, ut videlicet in infirmitatibus, & miseriis, & abjectionibus Salvatoris, quæ in oculis omnium fuerunt, & quæ Salvatorem æstimationi malignorum atque hostium vilissimum & contemptissimum per omnia exhibuerunt, scrutemur, admiremur, deploremus, exaltemus, magnificemusque ea, quæ sunt Divinitatis, quæ Majestatis, quæ Gloriæ, Dignitatisque ejusdem, sic enim Anima pertranseundo, nunc priores & manifestas ignominias atque dolores, nunc *posteriores* & occultatas gloriæ majestatisque divitias; *egredietur, & ingredietur, & pascua inveniet.* Pascua (inquam) uberrima piissimorum atque devotissimorum affectuum, tum circa, & erga Dominum suum Redemptorem, tum circa, & erga semetipsam ab ipso redemptam.

1. Pet. 1. *8.* *Ioan. 10.* *9.*

Ita si Anima fidelis contempletur Christum in Horto Patri supplicem in terram positis genibus, totoque corpore prostratum, Calicem Passionis, cum summa suæ voluntatis abnegatione, deprecantem, atque præ angustiis sacratissimæ suæ Animæ agonisantem, atque sudore sanguineo manantem: Non hoc tantùm, quod deforis patet, in Christo suo spectabit, atque deflebit, verùm etiam ad interiora IESV introibit, & videbit in Christo, qui orat, Christum ipsum; qui etiam oratur; in Christo Calicem Passionis deprecante, Christum calicem Passionis porrigentem; in Christo per Angelum confortato, Christum Angelorum fortitudinem & beatitudinem; in Christo agonisante, Christum Agonothetam; in Christo sanguineis guttis sudante, Cristum infatigabilem in se, & omnium pro se fatigatorum recreatorem. Vtraque porrò istorum tam scilicet forinseca infirmitatum & miseriarum JESV, quàm Interiora gloriæ & majestatis ipsius, docebunt, & deducent Animam, ad complectendum fide, spe, charitate JESVM, ad ejus adorationem atque reverentiam, ad compatiendum condolendumque ipsi, ad patiendum & sustinendum omnia adversa propter ipsum, ad suæ propriæ voluntatis translationem in ipsius beneplacitum, ad laborandum & sudandum infatigabiliter propter Nominis ejus gloriam, ad humiliandum & abjiciendum sese sub potenti manu DEI. Ea-

Eadem Anima fidelis si contempletur Christum suum aforis quidem proditum, derelictum, captū, vinculis constrictū, & ad tribunalia Annæ & Caiphæ raptatum, ibidem indignissimis injuriarum & contumeliarum modis saturatum, blasphemiæ damnatum, reum mortis uno omnium Pontificum, Sacerdotum, Legisque-Doctorum, ore, & decreto pronuntiatum. Simul etiam eundem intuebitur oculo fidei ad interiora IESV pertingente, eundē judicem coram reis, discretorem & scrutatorem cordium inter hypocritas impios, ultorem & vindicem omnis non blasphemiæ tantùm, sed absolutè cujuscunque iniquitatis, Sanctum Sanctorum, & Candorem Lucis æternæ, Iustitiamque omnem impium justificantem, quicunque illi sese subdere voluerit, & subdendi datam sibi ab eo gratiam & voluntatem non abjecerit. Ex quibus utrisque, discet Anima, brachiis fidei, spei, charitatisque suæ, intimè complecti Christum sunm, discet gratias agere corde, voce, & inprimis opere, Christi Majestati, in tanta sepultæ, suâ causâ, opprobriorum, & indignitatum enormitate. Discet respicere, timere, revereri, atque demereri Iudicem suum olim futurum, cujus causam veluti impii advertit ab impiissimis judicari, discet explere honoribus, & æquare laudibus conari, atque studere eum, cujus Animam intuetur omnibus inhonorationibus, & contemptionibus inimicorum pro se inundatam, atque prorsus obrutam, & absorptam. Discet in medio impiorum pietatem exhibere, in medio perfidorum veritatem profiteri, in medio nocentium innocentiam servare, in medio hypocritarum dolorosam simplicitatem tenere, in medio persequentium & contradicentium constanter stare: in medio terrentium atque affligentium non timere: in medio inimicorum DEI pro DEO certare, & cum DEO esse.

Itidem si voluerit Anima fidelis & amans, contemplari infirma Salvatoris sui in Pilati examine, Iudicio, & Decreto, in Herodis fastu, ludibrio & contemptu, in comparatione cum Barabba: In flagellatione æquè crudeli ac probrosa, inveniet Christum judicibus hominibus, à maximis ad minimos, malefactorem, seditiosum, rebellem, læsæ Majestatis reum, fatuum, atque stultum, conditione, scelere, supplicio servum, vitâ & terrâ, & nomine etiam, memoriâq; inter homines indignum. Rursum autem eundem ipsum Christum suum, quamvis hoc modo plus quàm miserabili conditionatum, in interioribus ejus contemplans, reperiet Christum omni potestate

ablolutum & majorem, reperiet teſtem veritatis, doctoremque, imò ipſiſſimam veritatem, reperiet Dominum ac Regem ſupra hunc mundum, reperiet ſapientiam, & ſapientiæ fontem ex ore Altiſſimi promanantem, reperiet veſtitorem Syderum, Cœlorum, terrarum, rerumque omnium, veſtimento tam naturæ, quàm gratiæ, quàm gloriæ, reperiet verbum, quo conditi & formati ſunt cœli omniſq; virtus eorum, verbum virtutis continens omnia, atque ſtabiliens, reperiet ſanitatem & ſalutem univerſarum infirmitatum noſtrarum, cujus livore nunquam ſanati fuiſſemus, niſi prius æternâ charitate dilecti, & miſeratione perpetuâ præventi fuiſſemus. Hæc verò utraque, noſtri Saluatoris, tam patentia quàm latentia adjuncta, animam conſiderantem docebunt, Chriſtum ſuum fide, ſpe, charitate complecti, ſtultitiam Chriſti non erubeſcere, imò eam propter Chriſtum & ambire, & amplecti; comparari, imò & infraponi peſſimis, abjectiſſimiſque, non tantùm ſilenter, ſed etiam gaudenter, fieri pauperem uſque ad nuditatem, caſtigari totâ die vitæ præſentis, & pati flagellationes manuum, linguarum, judiciorum propter Chriſtum, propter virtutem, propter veritatem, propter juſtitiam, propter aliena ſibi imputata delicta, denique ſubdi omni creaturæ propter Deum ad uſque ſerviliſſimam conditionem, in laboribus, in doloribus, in ſuppliciis, in contemptibus, in contumeliis, in calumniis, in injuriis, in oblivionibus hominum, in ingratitudinibus, in malorum pro bonis exhibitionibus, interim autem, hæc inter omnia obfirmatè ſilendo, & hæc univerſa in taciturnitate ſepeliendo; ut quod piè patitur dextera, vanè vel amarulentè non clamet ſiniſtra.

Quod ſi Anima fidelis circumſpicere voluerit Chriſtum ſuum Redemptorem, ludibrio crudeli, & crudelitate ludicrâ coopertum, nimirum in ſerto ſpineo, in chlamide coccinea, cum ſceptro arundineo, facie concuſſum ſimul & conſputum, in Regem miſeriarum, in virum dolorum, in monarcham contemptuum, in ſcientem infirmitatem, deformatum: ab univerſo populo ſuo abnegatum ad patibulum Crucis, non tantùm maximâ clamorum inſtantiâ, verum etiam ſuimet ſuorumque infelicium filiorum jacturâ & perditione, ſive expoſtulatum, ſive extortum, demumque effæminato Præſidis Pilati timore, ſupplicio, mortique Crucis, & (quod eſt miſerius) voluntatibus inimicorum ſuorum donatum, traditumque. Si inquam hæc circumſpectare in Salvatore Anima fidelis, piaque voluerit

rit, sanè nihil ad exaggeratissimas calamitates miseriasque tanquam extremi homuncionis Dei sui desiderabit. Attamen interea sagacissimâ fide, fidentissimâque charitate, in his ipsis calamitatibus vermis & non Hominis, opprobrii hominum, & abjectionis plebium, indagabit, & inveniet Regem in decore suo, cujus vultum desideret universa terra, & in quem desiderent semper, cessent nunquam, Angeli prospicere. Inveniet Dominum excelsum, & elevatum, & Majestate gloriæ suæ terras cœlosque replentem: cui adstantia Seraphim Sanctus, Sanctus, Sanctus, incessabiliter decantent. Inveniet Dominum regnantem, indutum decorem, indutum fortitudinem, atque præcinctum. Jnveniet Regem Salomonem, universa in sanguine suo pacificantem, redimitum diademate, quo coronavit eum Mater sua, in die desponsationis suæ, & in die lætitiæ cordis ejus. Inveniet Filium Dei, non fictitium, neque creatum de nihilo, sed ex utero Patris, in splendoribus Sanctorum, atque sanctitatum genitū, & unigenitum, eundemque ex semine David, in tempore definito, ex virgine factum, & natum. Inveniet fortissimum Deum Sabaoth, qui solus habet immortalitatem, potentiam, atque virtutem, cui omnis fortitudo creata arundinea est infirmitas. Inveniet Leonem Agnum, (nempe Deum Hominem, Verbum carnem) coram quo viginti quatuor Seniores, & animalia quatuor sancta procidunt & coronas capitum suorum, pedibus ejus advoluunt, Seraphim autem alis suis faciem ejus velant, decorem & majestatem vultûs ejus contueri non prævalentia. Porrò anima contemplans fideli charitate hæc tam Infirma, quàm Glorioſa Salvatoris sui, habet unde lactetur si infantula est, habetque unde solido cibo fortium pascatur, si jam idonea est. habet sugere mel de petra, oleum quoque habet de saxo durissimo. habet unde suam quidem superbiam, & tumorem vanæ mentis confundat, & contundat in ignominis Redemptoris: habet unde totam se profundat in exaltationem, atque magnificationem ejusdem Majestatis. Habet unde in imas abyssos demergatur propriæ vilitatis, dum in tanta despectione demiratur Dominum, & fontem omnis Dignitatis. Audit inclamantem furiosæ multitudini Pilatum, Ecce Homo: sed vicissim reponit auribus omnis creaturæ inclamans, Ecce DEVS. Abhorrescit audiens infernalem rabiem dicentium. Sanguis ejus super nos, & super filios nostros; & nihilominus adverso, id est, cœlesti spiritu repetit, & expetit, veniat, & sit sanguis ejus super nos, & super filios nostros in salvatio-

Apoc. 4. 4.

Isaiæ 6. 2.

nem. Agnoscit omnem suam, & quamcunque creatam virtutem, & excellentiam, atque potentiam arundineam prorsus esse, per omnia, nisi à manu Dominica robur, & vegetationem perenniter influentem accipiat. Denique peccatis quidem suis, atque adeò toti sibi ex animo, & ex veritate inclamat assiduò, Tolle, tolle. Crucifige, crucifige: at verò Salvatori suo, Deo, Domino, totis medullis, totisque viribus suis inclamat, & insonat jugiter; *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini Sancto ejus. Magnificate omnes creaturæ Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipsum. Quantumcunque potestis, glorificate eum; nec deficiatis, supervalebit enim adhuc.*

Psf. 33. 1. *Psf. 10. 2. 1.* *Psf. 33. 4.* *Eccl. 43. 32.*

Quodsi tandem fidelis Anima contemplari voluerit damnatum ad Crucem Iesum, & cum iniquis deputatum, & ipsum sibi bajulantem supplicium suum usque ad mortis diritissimæ locum, cinctum innumerâ multitudine spectatorum, præsertim hostium; felle acetoque potatum, nudatum, aut magis excorticatum, totum tamen Cruore, vulneribusque suis vestitum, in Cruce expansum, eique admensum, & affixum, tandem in alto montis vertice, medium latronum constitutum, omnibusque creaturis miserabile, saxis ipsis, rupibusque lachrymabile, solis hostium amarissimorum odiis oculisque desiderabile, & oblectabile spectaculum, virulentissimarum linguarum aculeis, spiculisque, magis, quàm tota fuerit antegressa Passio, excruciatum, in extrema, funestaque siti, novercali aceto recreatum, demumque inter omnia miseriarum, dolorum, despretionum, exacerbationum, prosciscionum volumina, fluctusque plusquàm decumanos, velut in altitudine maris, furentiumque tempestatum vortices demersum: tandem mortuum, sepulchralia omnia, ipsamque etiam sepulturam passum, & ingressum: Nunquid aliquid desiderare poterit Contemplatrix Anima infirmitatum & miseriarum Iesu? Interim tamen per ista omnia forinseca Iesu, quæ impios traxerunt ad contumelias, tormenta, & contemptum, & necem Christi, deveniet ipsa ad intima viscera Misericordiæ, Bonitatis, Charitatis, Iustitiæ, Majestatis, Gratiæ, Gloriæ, Divinitatis, Beatitudinisque ipsius. Inveniet Deum in Christo, & per Christum reconciliantem sibi mundum. Inveniet Dominum regnantem à ligno, & per contemptibile Crucis lignum, atque supplicium ex diluvio peccati, atque mortis eruentem omnem humanam creaturam.

Inve-

Inveniet in rubro mari Passionis Christi, demersos quidem Ægyptios, Salvatos verò Hebræos. Inveniet in sanguine testamenti ejus eductos in fortitudine vinctos, de lacu, in quo non erat aqua. Inveniet architectum salutis humanæ in medio terræ. Inveniet Æternum unigenitumque Filium, Patri Æterno exsolventem pretium Redemptionis nostræ, copiosâ supra omnem modum, supraque omnem Iustitiæ rigorem redemptione, & quidem non impenso auro, aut argento, sed pretioso sanguine Agni immaculati profuso. Inveniet supereminentem scientiam charitatis Christi, atque cum omnibus sanctis comprehendet, quæ sit longitudo, & latitudo, quæ sublimitas & profundum salvationis nostræ, & glorificationis DEI, & exaltationis Christi, in Cruce, perque Crucem peractæ. Inveniet illam plenitudinem beneficii *DEI & Patris qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum, in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in Regnum Filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem & remissionem peccatorum.* Inveniet eum, *qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso sunt condita universa, in cœlo, & in terra, visibilia & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates; omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.* Inveniet *quia ipse est Caput Corporis Ecclesiæ, qui est Principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens. Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem Crucis ejus, sive quæ in cœlis, sive quæ in terris sunt.* Inveniet ad extremum, *Mysterium, quod absconditum fuit, à sæculis, & generationibus, nunc autem* in crucifixo Salvatore, *manifestatum est Sanctis ejus, quibus DEVS voluit notas facere divitias gloriæ Sacramenti hujus, quod est Christus; spes gloriæ.* Ista omnia inveniet & degustabit fidelis Anima in Cruce, & Morte, & sanguine, & vulneribus, & opprobriis Christi Crucifixi, procedens ab exterioribus infirmitatibus ejus, ad interiores & inenarrabiles divitias gloriæ ac virtutis ejus, *per illuminatos oculos cordis sui: quibus & cognoscit, quæ sit spes vocationis, agnitionis eius, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in Sanctis, & quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus secundùm operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen,*

Coloss. 1. 12.

Ibid. 1. 15.

Ibid. 1. 18.

Ibid. 1. 26.

Ephes. 1. 18.

Coloss. 1. 28. *men, quod nominatur, non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro.* Ex quibus omnibus *corripitur & docetur in omni sapientia,* exhibeturq; *perfecta in Christo IESV.* Etenim parùm foret omni Animæ, sive intueri exteriores miserias Christi Crucifixi, sive contemplari interiores Divitias Divinitatis ejus in Cruce absconditas, nisi simul etiã ipsa recipiat in sese imaginem, & similitudinem, & amorem, & gustum, & virtutem, & Possessionem Crucis ejus in ipso, ut absit ei gloriari in ullo penitus, præterquam in Cruce Domini nostri IESV Christi, transformeturque in eum ipsum, & consigatur, conformeturque cruci ejus, in omnibus, & per omnia. Ipsi gloria in sæcula sæculorum.

MODVS LXVII.

SExagesimus septimus Modus Passionem Domini nostri meditandi esse potest, per recogitationem, allegationem, exprobrationem piam atque devotam ipsimet Domino IESV, omnium earum indignitatum, quas ipse, sive in omni vita, sive potissimùm in Passione & Morte sua pro nobis dignantissimè subire, seque illis, & (ut ait Tertullianus) eorum patientiâ saginare voluit. Collaudando interim Christum, compatiendo ei, gratias exhibendo ipsi, appetendo similia perpeti, & offerendo ac præparando nosmet ad consimilia toleranda cum ipso, pro ipso, tenerâ quâdam devotione, atque devotâ teneritudine cordis, veluti exprobrando hæc indigna Christo, re autem verâ illum tenerrimè laudando, & exaltando, in ist s, & propter ista, atque adeò per ipsa ista, allegando ea tanquam argumenta petitionum nostrarum pro nobis, proque aliis, à Christo Domino obtinendarum.

Vixit Cracoviæ in Polonia ante annos non ita multos Virgo nomine Susanna, illustri, sed hæreticâ labe infecto genere, orta. Hæc cum fidem Catholicam amplexa esset, neque ullis artibus propinquorum suorum ab ea abduci posset, deserta, spreta, & omnibus mundi subsidiis destituta, inter summæ paupertatis, omnisque austerioris vitæ ærumnas, in obsequio divino ferventissima constantissimaque ad mortem perseveravit. Vix ulli mortalium cognita, inter absconsos Christi sponsi thesauros secura, quia in humilitatis agro sepulta delituit, tantò uberiùs interioribus divitiis à Domino Deo suo cumulata, quantò minùs vulgo nota, quantò ampliùs soli & uni pœne Deo & perspecta, & complacita exstitit. Texere pleniorem

riorem de ejus virginis virtutibus, cæteriſque divinis muneribus narrationem, hujus neque loci, neque propoſiti eſt. Quod meo ſervit propoſito id refero. Ejus ſcilicet eſſe modum hunc, Paſſionem Domini meditandi, cumque Domino Paſſo & Crucifixo agendi, & cauſas ſuas tractandi, quem in præſenti, & jam retuli, & uberiùs pro piarum animarum vel ſolatio, vel eruditione, refero. Narrant ergo (qui noverant) virginem hanc, familiarem hujuſmodi orandi Chriſtum, & agendi cum Chriſto modum uſurpâſſe. Accedebat ad Crucifixi Salvatoris imaginem (& in ſpecie ad illam, quæ in templo Cathedrali Caſtri Cracovienſis prope Sacrarium proſtat, antiquituſque multâ hominum veneratione colitur, & Beatæ Hedvigi Poloniæ quondam Reginæ locuta miraculosè perhibetur) coram illa, in genua provoluta, aut certè humi conſidens, in eum denique deveniebat orandi modum, ut reverentiſſimâ, tenerrimâ, devotiſſimâque ſimul audaciâ enumeraret, & veluti objectaret, exprobraret, improperaretue vocibus, atque nominibus ſeu compellationibus Chriſto Domino, quæ ille pro noſtra ſalute dignantiſsimè ab inimicis potiſsimùm ſuis oggeſta, aut etiam ex conditione humili, quam inter nos tenuit, adnata fuêre. Eum itaque alloquens ajebat. O Tu ſeductor, & impoſtor. Tu Pſeudopropheta, Tu Blaſpheme, Tu ſeditioſe, Tu Regnum ambitione quærens, Tu ad columnam manu & loris carnificum ligate, & verberate, Tu conſpute, & vultu ſordide, Tu patibulo addicte, archilatro, Tu Potator vini, Tu Peccatorum, & Publicanorum Conviva, Amice, Sodalis, Tu dæmonium habens, Tu inſane & in furorem verſe. &c. His ſimilibuſque titulis velut inſignibus encomiis, ſive memoriâ de ſcripturis, ſive mentis piæ affectibus ſuggerentibus, Chriſtum cùm ſatis appellitâſſet, effundebatur in pias tum lachrymas, exteriùs, tum laudes, amores, gratias, poſtulationes, obſecrationeſque interius: ſuorum plerumque votorum facta compos, quæcunque tam piis ſarcaſmis condita Chriſto propoſuiſſet.

Arbitror non defuturos inter pios devotoſque Chriſti Paſsi cultores, amatores, oratoreſque, quibus hic Modus cum DEO ſuo agendi interdum ſaltem arridebit. His proinde, ut pro modulo meo ſubſerviam, contexo uberiorem talium Domini Noſtri IESV Chriſti pro nobis Paſsi, encomiorum indiculum, quem recolens tenera pietas, devotaque, ſeſe, & ſi fortè non planè ſatiare, at ſaltem refovere poſsit.

1. Conceptionem obscuram & pœnè suspectam habens.

Ioseph cum esset vir justus, & nollet eam traducere. *Mat. 1 19.*

2. A publico diversorio exclusæ.

Non erat eis locus in diversorio. *Luc. 2 7.*

3. In stabulo nate, puer, infans.

Invenietis Infantem, positum in Præsepio. *Luc. 2. 12.*

4. In Præsepio reclinate.

Reclinavit eum in Præsepio.

5. Pannis involute.

Pannis involutum. *Luc. 2. 12.*

6. Fugâ nocturnâ Herodis furori elapse.

Surge, & fuge in Ægyptum: futurũ est enim ut Herodes quærat puerum. *Matth. 2. 13.*

7. Circumcisionis stigmate notate.

Cùm completi sunt dies octo, ut circumcideretur. *Luc. 2. 21.*

8. Nazarene.

Habitavit in Nazareth, quoniã Nazaræus vocabitur. *Mat. 2. 23.*

A Nazareth potest aliquid boni esse? *Ioan. 1. 46.*

9. Subdite putato Patri, & Matri homini.

Et erat subditus illis. *Luc. 2. 51.*

10. Inter peccatores baptismo pœnitentiæ ablute.

Venit IESVS in Iordanem ad Ioannẽ, ut baptizaretur. *Mat. 3. 13.*

11. Famem, esuriemque patiens.

Cũ jejunãsset quadraginta diebus, & noctib⁹, esuriit. *Mat. 3. 17.*

12. Tentate à diabolo.

Et accedens tentator dixit, si Filius DEI es. *Ibid. 43.*

13. Ab eodem gestate.

Tunc assumpsit eum diabolus. *Ibid. 4. 5.*

14. Fatigate itineribus.

IESVS autem fatigatus ex itinere, sedebat sic. *Ioan. 6.*

15. Non recepte à civitatibus.

Et non receperunt eum, quia facies ejus erat euntis in Ierusalem. *Luc. 9. 53.*

16. Timide, & latibula quæritans.

IESVS autem exivit de templo, & abscondit se. *Ioan. 8 59.*

17. Mendicans aquam ad bibendum.

Mulier, da mihi bibere. *Ioan. 4. 7.*

18. Novam doctrinam disse minans.

Quænam est doctrina hæc nova? *Mar. 1. 22.*

19. Phan

Exi-

19. Phantasma.

Existimârunt eum phantasma esse. *Mar. 6. 49.*

20. In furorem verse, & ligande.

Voluerunt ligare eum dicentes, quia in furorem versus est. *Mar. 3. 21.*

21. Insane.

Insanit iste. quid eum auditis. *Ioan. 10. 20.*

22. De quo nescitur, unde sit.

Hunc nescimus unde sit. *Ioan. 9. 29.*

Vnde es Tu? *Ioan. 19. 9.*

23. Nihil boni.

A Nazareth potest aliquid boni esse? *Ioan. 1. 46.*

24. Dœmonium habens.

Nonne benedicimus nos quia dæmonium habes. *Ioan. 8. 48. 52.*

25. Samaritane.

Et Samaritanus es. *Ioan. 8. 48.*

1. Cujus testimonium non est verum.

Tu de te ipso testimonium perhibes, & testimonium tuum non est verum. *Ioan. 8. 13.*

2. Homo faciens te ipsum DEVM.

Tu homo cùm sis, facis te ipsũ DEVM. *Ioan. 10 33.*

3. Lapidibus appetite.

Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum. *Ioan. 8. 59.*

4. Homo non à DEO.

Non est hic homo à DEO, qui Sabbatum non custodit. *Ioan. 9. 16.*

5. In quem nemo ex Principibus credidit.

Nunquid aliquis ex Principibus credidit in eum? *Ioan. 7. 48.*

6. Seducens turbas.

Alii dicebant quia bonus est, alii autem quia non, sed seducit turbas. *Ioann. 7. 12.*

7. Cum Publicanis & peccatoribus manducans.

Quare cum Publicanis & peccatoribus manducat & bibit, Magister vester. *Matth. 9. 11.*

8. E Synagoga ejecte & Civitate.

Ejecerunt eum extra Civitatem. *Luc. 4 29.*

Duxe-

9. Præcipitande de montis supercilio.

Duxerunt ad supercilium mõtis, ut præcipitarent eum. *Luc. 4. 29.*

10. Tradite gentibus ad illudendum.

Tradent enim eum gentibus ad illudendum, flagellandum. *Matt. 20. 19.*

11. Lachrymans.

Et lachrymatus est IESVS. *Ioan. 11. 35.*

12. Filius hominis.

Quem dicunt homines esse filium hominis? *Matth. 16. 13.*

13. Tributis serviens.

Da illis pro me, & pro te. *Matth. 17. 23.*

14. Ascendens super asinam, & pullum ejus.

Ecce Rex tuus venit tibi, sedens super asinam. *Matth. 21. 5.*

15. Peccator.

Nos scimus, quia hic homo peccator est. *Ioan. 9. 24.*

16. Mendicus & pauper.

Ego autem mendicus sum & pauper. *Psal. 39. 18.*

17. Vermis, & non homo.

Ego autem sum vermis, & non homo. *Psal. 21. 7.*

18. Opprobrium hominum, & abjectio plebis.

Opprobrium hominum, & abjectio plebis. *Ibidem.*

19. Filius fabri.

Nonne hic est fabri filius, filius Ioseph. *Ioann. 6. 42.*

20. Faber.

Faber. *Marci 6. 3.*

21. Filius MARIÆ.

Et filius MARIÆ. *Ibidem.*

22. Quem Herodes quæsivit interficere.

Exi hinc, quia Herodes quærit te interficere. *Luc. 13. 31.*

23. Pauperior vulpibus & avibus.

Vulpes foveas habent, volucres cœli nidos. *Luc. 9. 58.*

24. Non habens ubi caput reclines.

Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet. *Ib.*

25. In Beelzebub ejiciens dœmonia.

In Principe Beelzebub ejicit dœmonia. *Matth. 12. 24.*

1. Blasphemie.

Hic blasphemat. Blasphemavit. *Matt. 9. 3. 16. 26. 65.*

1. Ami-

Ami-

2. Amice Publicanorum

Amicus Publicanorum, *Luc. 7. 34.*

3. Amice Proditoris Iudæ.

Amice ad quid venisti? *Mat. 26. 50.*

4. Tanquam latro comprehense.

Tanquam ad latronem existis cum gladiis. *Matt. 26. 55.*

5. Suspecte de doctrina.

Interrogavit eum de doctrina. *Ioan. 18. 19.*

6. Vorax, & Potator vini.

Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt vorax & Potator vini. *Matt. 11. 19.*

7. Vilis merces, vilissimi pretii.

Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? at illi constituerũt ei triginta argenteos. *Mat. 26. 15.*

8. Deserte & derelicte à tuis.

Discipuli relicto eo, fugerunt omnes. *Matth. 26. 56.*

9. Cum juramento, anathemate, & detestatione, abnegate.

Tunc cœpit detestari, & jurare, & anathematisare. *Matth. 26. 74. Marci 14. 71.*

10. Blasphemiæ in DEVM convicte.

Quid adhuc desideramus testes: audistis blasphemiam. *Mar. 14. 63.*

11. Reus mortis ab universo concilio pronuntiate.

Qui omnes condemnaverunt eum esse reum mortis. *Ibid. V. 64*

12. Pseudopropheta.

Prophetisa nobis Christe, quis est, qui te percussit. *Mat. 26. 68.*

13. Cujus vultus, consputationis locus.

Tunc exspuerunt in faciem ejus. *Ibid. V. 67.*

14. Malefactor publice & notorie.

Si hic non esset malefactor, non tibi tradidissemus eum. *Ioan. 18. 30.*

15. Pejor seditioso homicidâ, latrone Barabba.

Non hunc, sed Barabbam dimitte: erat autem Barabbas latro. *Ibid. V. 40.*

16. Ad flagella nudate & flagellis serviliter cæse.

Tunc apprehendit Pilatus IESVM, & flagellavit. *Ioan. 19. 1.*

17. Fatue, insane, illuse fatuorum veste, & sprete.

Sprevit eum Herodes, & illusum veste albâ remisit. *Lucæ 23 11.*

18. Rex spinee, arundinee, derise, consputate.

Milites coronam spineam imposuerunt capiti ejus. *Ioan. 19. 2.*

19. Iuridicè abnegato ab universa gente tua.

Quem vos negâstis ante faciem Pilati. *Act. 3. 13.*

20. Indigne nomine & appellatione.

Non hunc; tolle, crucifige hunc, & dimitte nobis Barabbam. *Lucæ 23. 18.*

21. Damnate ad mortem.

Pilatus adjudicavit eum, petitioni ipsorum. *Lucæ 23. 24.*

22. Tradite voluntati inimicorum.

IESVM verò, tradidit voluntati eorum. *Ibid. V. 25.*

23. Ecce Homo.

Exivit ergo IESVS portans coronam. &c. Ecce homo. *Ioan. 19. 5.*

24. Bajulator proprii patibuli, ad locum supplicii.

Et bajulans sibi Crucem exivit. *Ibid. V. 17.*

25. A turbis ad supplicium deducte.

Sequebatur autem eum multa turba populi. *Lucæ 23. 17.*

1. Crucifixe & in ligno suspense.

Crucifixerunt eum. *Ioan. 19. 18.*

2. Inter latrones velut Archilatro Crucifixe.

Et cum eo alios duos, hinc, & hinc. *Ibid.*

3. IESVS Nazarænus Rex Judæorum.

Scripsit autem & titulum Pilatus, & posuit super crucem *Ibid. V. 19.*

4. In Cruce derise.

Et stabat populus, & deridebant eum Principes cum eis. *Luc. 23. 35.*

5. Impotens ad salvandum se.

Alios salvos fecit, se ipsum non potest. *Matth. 27. 42.*

6. A latronibus concrucifixis improperate.

Id ipsum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. *Ibid. V. 44.*

7. Fru-

Con-

7. Fruſtra in DEO confiſe.

Confidit in DEO, liberet nunc ſi vult eum. *Ibid. V. 43.*

8. Falſe DEVS ſeu Deaſter, arrogatorque Deitatis.

Dixit enim quia Filius DEI ſum. *Ibidem.*

9. Derelicte à DEO.

DEVS DEVS meus ut quid dereliquiſti me. *Matth. 27. 48.*

10. Sitiens, & in ſiti aceto potate.

Dicit, Sitio. Vas ergo poſitum erat aceto plenum. *Ioann. 9. 29.*

11. Veſtibus ſpoliate, & nudus pendens in cruce.

Milites acceperunt veſtimenta ejus. *Ibid. V. 23.*

12. Super quem hoſtes moverunt capita ſua, illudentes.

Prætereuntes blaſphemabant eum: moventes capita ſua. *Marci 15. 29.*

13. Fruſtra præſumés deſtruere reædificareque templum DEI.

Vah! qui deſtruis templum Dei, & in triduo reædificas. *Mat. 27. 40.*

14. Inclinato capite mortue.

Et inclinato capite, tradidit Spiritum. *Ioann. 19. 30.*

15. Cadaver.

Vt viderunt eum jam mortuũ. *Ibidem V. 33.*

16. Lanceâ transfixe per latus.

Vnus militum lanceâ latus ejus aperuit. *Ibid. V. 34.*

17. Alienâ miſericordiâ ad ſepulturam curate.

Acceſſit ad Pilatum, & petiit Corpus JESV. *Lucæ 23. 53.*

18. Alieno ſepulchro condite.

Poſuit corpus in monumento ſuo novo. *Matth. 27. 60.*

19. Extra Civitatem Sanctam ejecte.

Ejecerunt eum extra vineam & occiderunt. *Math. 21. 39.*

20. Eraſe cum nomine ipſo de terra viventium.

Eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur ampliùs. *Hieronym. 11. 19.*

21. Peccatum.

Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit. *2. Corint. 5. 21.*

22. Maledicte.

Maledictus omnis qui pendet in ligno. *Gal. 3. 13.*

23. Ma-

Audito

23. Maledictum.	Factus est pro nobis maledictum. *Gal. 3. 13.*
24. Scandalisator. Scandalum.	Audito verbo hoc, scandalisati sunt. *Matth. 15. 12.*
	Et. Scandalisabantur in illo. *Marci 6. 3.*
	Et. Beatus, qui non fuerit scandalisatus in me. *Matth. 11. 6.*
25. Seductor.	Recordati sumus, quia seductor ille dixit. *Matth. 27.*

O JESV talis propter me, talis mihi carissime. Miserere mei, sicut potes, scis, & vis, propter dignationes & abjectiones istas tuas, secundùm voluntatem tuam, propter Dignitatem tuam. &c.

Habes Lector Centum ejusmodi titulos, in quatuor classes divisos: eis secundùm pietatem cordis tui utere, & in abjectionibus Domini tui gloriare, morare, vive. Ex eis veluti ex fodinis metalla pretiosa erue. Divinæ Laudationis, Miserationis, Charitatis, Exaltationis; tuæ verò humiliationis, mansvetudinis, patientiæ, orationis, atque postulationis, protectionis etiam, fiduciæ, & consolationis. Quod enim Augustinus de uno seductoris titulo, ab hostibus Christo impositio dixit. [*Dixerunt Judæi Pilato, Domine recordati sumus, quia seductor ille. Hoc appellabatur nomine Dominus IESVS Christus, adsolatium servorum suorum, quando dicuntur seductores.* Idem de omni alio titulo, qui Christo impositus sit injuriosè, aut humiliatoriè, & sentiri, & dici potest. Neque enim servus est major Domino suo, sed sufficit ei, si sit sicut Magister ejus. Et verò clarè id denuntiat Dominus ipse noster nobis. *Si Patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quantò magis domesticos ejus?* Quæ conditio usque adeò non est defugienda imitatoribus & servis Christi, ut etiam sit inter insignia, atque decora reputanda: dicente Petro Apostolo, atque monente. *Charissimi nolite peregrinari in feruore*, (zelo æstuantes in tribulationibus, aut opprobriis irrogatis vobis) *qui ad tentationem* (impatientiæ, aut vindictæ, aut dejectionis) *vobis fit, quasi novi aliquid vobis contingat*, & indebiti. *Sed communicantes Christi passionibus*, (titulis, opprobriis) *gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis; quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis DEI, & qui est eius*

Aug. in Psal. 63. V. 3.

Mat. 10. 25.

1. Pet. 4. 12.

est eius Spiritus, super vos requiescit. Idque est quod Paulus in Moyse *summopere commendat*, quòd *maiores divitias æstimavit thesauro Ægyptiorum, improperium Christi.* Neque dubitat ex hoc ipso capite gloriationem, consolationemque suam desumere David, dicens Domino. *Opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt super me!* quod David fecit Personâ, Spiritu, sensuque ipsius Christi, attestante Paulo. *Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est, improperia improperantium tibi, ceciderunt super me. Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.*

Hebr. 11. 26.

Psal. 68. 10.

Rom. 15. 3.

MODVS LXVIII.

SExagesimus octavus Modus meditandi Passionem Domini Nostri esse potest, per Comparationem ipsius Domini Nostri Passionis, atque Patientis, & nos ad sui in Passione & Humilitate imitationem invitantis, cum Diaboli inimici tam Christi, quàm nostri superbiâ & elatione, perque superbiam & elationem suam nos quoque ad omnem, Christo Patienti, & Humili contrarietatem, quà verbis; quà exemplis inducentis. Habet hunc Modum meditandi Gregorius Magnus; quem ejus verbis hîc proposuisse sufficiens Paradigma erit. Sic igitur ille.

Lib. 34. moral. c. 18. n. 22.

Ad hoc Vnigenitus DEI Filius formam infirmitatis nostræ susceptit, ad hoc invisibilis, non solùm visibilis, sed etiam despectus apparuit, ad hoc contumeliarum ludibria, irrisionum opprobria, passionumque tormenta toleravit, ut superbum non esse hominem doceret humilis DEVS. Quanta ergo Humilitatis virtus est, propter quam solam veraciter edocendam, is qui sinè æstimatione Magnus est, usque ad Passionem factus est parvus? Quia enim originem perditioni nostræ superbia præbuit diaboli, instrumentum redemptionis nostræ, inventa est Humilitas DEI. Hostis quippe noster magnus inter omnia conditus, videri voluit super omnia elatus: Redemptor autem noster, Magnus manens super omnia, fieri inter omnia dignatus est parvus. Sed meliùs elationis causam detegimus, & humilitatis fundamenta operimus, si brevi commemoratione perstringimus, quid mortis author, quid vitæ conditor dicat: ille namque ait: In cœlum ascendam: iste autem per Prophetam dicit: repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquavit: ille dicit: super astra cœli exaltabo solium meum: iste humano

„ mano generi è Paradysi sedibus expulso, dicit. Ecce venio citò, &
„ habitabo in medio tui. Ille dicit. Sedebo in monte testamenti in
„ lateribus Aquilonis. Iste dicit. Ego sum vermis & non homo, op-
„ probrium hominis & abjectio plebis. Ille dicit. Ascendam super
„ altitudinem nubium, & similis ero Altissimo. Iste cùm in forma
„ Dei esset non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semet-
„ ipsum exinanivit formam servi accipiens, & per membra sua loqui-
„ tur dicens. Domine quis similis tibi? Ille per membra sua loquitur
„ dicens. Nescio Dominum, & Israel non dimittam: Iste per semet-
„ ipsum dicit. Si dixero quia non novi eum, ero similis vobis men-
„ dax, sed novi eum, & sermonem ejus servo. Ille dicit. Mea sunt flu-
„ mina, & ego feci ea. Iste dicit. Non possum à me ipse facere quid-
„ quam. Et rursum. Pater meus, in me manens, ipse facit opera.
„ Ille regna omnia ostendens dicit; Tibi dabo potestatem hanc uni-
„ versam, & gloriam eorum: quia mihi tradita sunt, & cui volo do il-
„ la. Iste dicit. Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad de-
„ xteram vel sinistram meam, non est meum dare vobis, sed quibus
„ paratum est à Patre meo. Ille dicit. Eritis sicut Dii scientes bonũ
„ & malum. Iste dicit. Non est vestrũ nôsse tempora vel momenta,
„ quæ Pater posuit in sua potestate. Ille, ut voluntas Dei despici, & ut
„ possit propria svaderi, dicit. Cur præcepit vobis Deus, ut non co-
„ medere tis ex omni ligno paradysi? & paulo post. Scit enim Deus,
„ quod in quacunque die comederetis ex eo, aperientur oculi vestri.
„ Iste dicit: Non quæro voluntatem meam: sed voluntatem ejus, qui
„ misit me. Ille per membra sua loquitur dicens, nullum pratum sit,
„ quod non pertranseat luxuria nostra, coronemus nos rosis, antequã
„ marcescant, ubique relinquamus signa lætitiæ nostræ. Iste mem-
„ bris suis pronuntiat dicens: Plorabitis & flebitis vos, mundus autem
„ gaudebit. Ille nihil aliud mentes sibi subditas docet, quàm celsitu-
„ dinis culmen appetere, cuncta æqualia tumore mentis transcendere,
„ societatem hominum omnium, altâ elatione transire, ac sese contra
„ potentiam Conditoris erigere, sicut de illis per Psalmistam dicitur.
„ Transierunt in dispositionem cordis, cogitaverunt & locuti sunt ne-
„ quitias, iniquitatem in excelso locuti sunt. Iste adsputa, ad palmas,
„ ad Colaphos, ad spineam coronam, ad crucem, ad lanceam atque
„ mortem veniens, membra sua admonet dicens: si quis mihi mini-
„ strat, me sequatur. Quia igitur Redemptor noster regit corda hu-
„ milium, & Leviathan iste rex dicitur superborum, apertè cognosci-

mus,

mus, quod evidentissimum reproborum signum superbia est. at contra. *Humilitas electorum.* Hucusque Gregorius singulari contrapositione, diaboli quidem in superbia perversitatem, Christi verò in Passionis humilitate rectitudinem meditationi subjecit. Cujus ad instar facile erit, meditando dispicere, quomodo idem Dominus Noster Iesus Christus, per Passionem suam docuerit nos, Obedientiam, Patientiam, Mansuetudinem, Charitatem sive in Deum, sive in Proximum Constantiam, Longanimitatem, Animi Magnitudinem, Mundi & nostri ipsorum contemptum, Mortificationem, Perseverantiam, cæterasque omnes virtutes & perfectiones, quibus ab ipso jam Paradyso diabolus propinaverat omnem scelerum virulentiam, puta Rebellionem, Inobedientiam, Impatientiam, Dei & & Proximi Contemptum, Mendacium, Levitatem & Mollitiem, tam Carnis quàm Mentis, Invidiam, Gulam, omnemque sensuum indulgentiam. Quo ex genere meditationis devota mens, tum plurimas alias utilitates percipiet, tum illam inter has, quas idem Gregorius eodem loco suæ jam adductæ meditationi subjungit, his verbis. *Cùm ergo quam quisque (virtutem Christi, aut malitiam diaboli) habeat, cognoscitur, sub quo Rege, (Christo an diabolo) militet inveniatur. Vnusquisque enim, quasi quendam titulum portat operis, quo facilè ostendat, sub cujus serviat potestate Rectoris.*

MODVS LXIX.

SExagesimus nonus Modus meditandi Passionem Domini esse potest, disceptationem cum Christo Domino instituendo de jure, quod ad Passionem habeat Christus, & Homo, & evincendo, sibi quidem jus ad patiendum omne penitus suppetere, atque adeò incumbere, à Christo verò illud omnino alienum esse. venit in mentem modus hic Sancto Bonaventuræ, qui quodam in loco piam hanc devotamque litem movet Redemptori: contenditque & planè evincit, sibi quidem omni juris & debiti obligatione, debitam esse omnem quam Christus subiit, sibique arrogavit Passionem: Ipsi verò Christo nullo jure debitam, imò potiùs omni jure indebitam fuisse. Mirabilis per omnem modum, & digna seraphico Contemplatore cogitatio: cujus intima si quis rimetur: nihil in ea deesse ad humilitatem humiliationemque hominis, nihil ad exaltationem Redemptoris: Nihil ad viscerosum Amorem, nostri nimii & excessivi Amatoris, nihil ad irrefragabile efficacissimumque Christi in sua Passione

imitandi, atque adeò æmulandi incitamentum deesse reperiet.

Statuamus enim in medio, universam Dominicæ Passionis congeriem, & cui demum ea subeunda sit, Christone, an Homini cuilibet, inquiramus: nonne omnino citra dubitationem, aut longiorem inquisitionem, respondebit Humanum Genus universum, decernetq; illâ pii Latronis voce. *Nos quidem iustè: nam digna factis recipimus, hic autem quid fecit?* vel illa Præsidis Pilati, Iudaicum furorem, Christum ad Crucem efflagitantem, retundentis. *Quid enim mali fecit? Nullam invenio mortis in eo causam.*

Luc. 23. 41.

Luc 23. 22.

Ioan. 18. 38.

Ioan. 19. 6.

Nam quomodo, quove jure, quodque supplicium, injuria, tormentum, despectio, contumelia, dolor, cruciatus, vulneratio, mors, debebatur Personæ usquequaque Innocentissimæ, Iustissimæ, Sanctissimæ, Religiosissimæ, Beneficentissimæ in omnes, Dignissimæ super omnes, Dominæ Dominatricique omnium, potentiâ absolutâ, & omni potestate super omnia præditæ; denique Divinæ, atque adeò ipsimet vero & summo DEO? vtique nullâ potest habere hîc locum vindicta & punitio, ubi non tantùm nulla culpa, nullum delictum, nullus error, malitia nulla, dolus nullus, intervenire potest: sed etiam potiùs ubi quidquid placet æquitas est, & eo quidem solo æquitas est, quia sic huic tali Personæ placet: ut pote quia ita tali voluntati atque Personæ placet, cujus velle est Lex, & omnis legis fons, omnis æqui, recti, & justi regula, omniumque causarum, rationum, disquisitionum silentium. Qualis Persona, cùm Dominus noster IESVS Christus sit, quo illi jure pœnæ, supplicia, despectiones, tormenta, vulnera, dolores, cruces ullæ, vel deberi, vel inferri potuêre? & non potiùs omnis & summus cultus, omnis glorificatio, omnis honor, amor, veneratio, exaltatio, benedictio, dilectio, æstimatio, subjectio, & obedientia, ab omnibus, & singulis tam hominibus, quàm creaturis competebat? Quid igitur Christo cum vinculis, quid cum carceribus, quid cum specie rei, malefici, & impii: quid cum accusationibus, quid cum Iudicum Præsidumve subselliis, quid cum examinationibus, testibus, scrutiniis? quid cum correptione, quid cum suppliciis, cum flagellationibus, cum percussionibus, plagis, livoribus, vulnerationibus? Quid cum postulationibus ad mortem, quid cum damnatione, & ad Crucis supplicium addictione, quid cum deputatione cum impiis, cum societate latronum? Quid cum bajulatione proprii patibuli ad locum supplicii? quid cum morte, mortisque genere solis sceleratissimis debito? Attamen

men hæc omnia, & quidquid his immanius probrosiusque excogitare furor Judæorum, atque dœmonum potuit, Christus DEVS noster non solùm perpessus est, verùm etiam habitu, & specie, & titulo, nomineque publicè sceleratissimi rei, convictissimi, contestatissimique latronis, seditiosi, rebellis, blasphemi, impii, læsæ majestatis in Cæsarem, in DEVM, comperti, totiusque Iudææ gentis à summis Pontificibus, Sacerdotibus, Legisperitis, & Doloribus, usq; ad infimam plebeculam, suffragiis, unâque communi & sententiâ, & voce condemnatissimi, demumque sententiâ & decreto, supremi Præsidis, Proconsulisque Romani addicti, inque manus carnificum ex lege & forma traditi? Quo quidnam iniquius, & injustius, insolentiusque inveniat humana cogitatio, planè ignoro.

Iam autem ex parte altera, quomodo, & quo jure, & quodnam non debeatur supplicium, pœna, despectus, illusio, cædes, crux, mors, sive hominum multitudini universæ, sive homini speciali, qui naturâ filius est iræ, mortis & gehennæ; naturâ, pabulum supplicii infernalis; homini, prius justissimo Dei judicio damnato quàm nato; homini, qui non prius in rerum naturam prodire, quàm simul sceleſtus, rebellis, raptor, fugitivus, proditor, & perditus potuit esse? Homini Majestatis Divinæ læsæ, contemptæ reo? Homini prævaricatori, & transgressori Divinæ voluntatis, & omnis legis. Homini conculcatori Authoritatis, Majestatis, Dignitatis Dei. Homini superbo in Deum, ingrato in Conditorem, contumaci in Dominum, rebelli in Regem, eversori omnis æquitatis, pietatis, subjectionis, modestiæ, juris. Homini furi & interversori universæ Gloriæ Divinæ. Homini apostatæ & transfugæ à legitimo suo Principe, ad tyrannum, ad hostem, ad rebellem Deo diabolum. Homini demum (ut verbo concludam) totius universi pertubatori, totius boni inimico, totius veri hosti, omnis impietatis amico, omnium scelerum conceptaculo, omnium malitiarum authori, reo, convicto, damnato. Quæ huic homini cruces satis sint? quæ illius improbitati condigna supplicia? quid acerbitatis & vindictæ indebitum? quid infernalium pœnarum, atque æternarum damnationum non accumulandum, exaggerandumque?

Nunc igitur Domine mi IESV, Deus meus, & Rex meus, ste mus simul. Narra si quid habes culpæ, propter quam patiaris, non tanta solùm, sed vel quælibet minutissima: tu quidem peccatum non fecisti, nec dolus inventus est in ore tuo, plenus gratiâ & veritate,

te, Sanctus Dei. At verò ego in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Multiplicatæ sunt iniquitates meæ, super capillos capitis mei: supergressa sunt peccata mea arenã maris: computruerunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ; & sicut onus grave gravatæ sunt super me. Quid ergo Domine tibi, & Passioni? aut quid mihi, & impunitati? Tune igitur quæ non rapuisti exsolves, ego qui raptor sum, & in flagranti scelere teneor, immunis abibo & illæsus? Tristaberis tu, angustiaberis, timebis, attædiaberis, ego verò lætus, solutus, securus, lotâ facie, & uncto coronatoque capite incedam? Tu deprecaberis supplicium peccatorum meorum, apud tui amantissimum alioqui Patrem: ego autem interim propriis onustissimus delictis ne quidem Judicem meum deprecabor? Tu præ interiore angustia usque ad sanguineum sudorem pro me agonizabis, ego verò justi laboris exsors, otio, & desidiâ in tuis etiam ipsis obsequiis torpescam? Tu Domine osculo proditorio in manus hostium venies, ego autẽ tui proditoris partes agam? Te captum & vinctum raptabunt, ego & extra vincula ero, & insuper te raptantium socius, aut etiam dux efficiar. &c. Domine Deus meus absque omni refragatione, & suffragantibus mihi omnium æquitatum rationumque sententiis: nihil, nihil omnino tibi, & suppliciis istis. Mea est Domine, mea est, sicut omnimoda malitia, atque culpa, sic etiam ultio, sic & vindicta: mea est castigatio, meũ odium, mea execratio, & detestatio mihi debitissima. Quia etiam mea sunt scelera, mea crimina, meæ transgressiones, meæ iniquitates, meæ superbiæ, meæ concupiscentiæ, turpitudines meæ, fœditates malitiæque meæ, reatus omnis meus: plenum contra me testimonium dicunt: & me reum esse omnis pœnæ, omnis mortis clamant.

Aut ergo Domine recede à Passionibus tuis nullatenus tibi debitis, & per omnia tibi indebitis: aut da mihi quàm plenissimè tecum communicare de illis? Si enim tibi suffragatur ad patiendum hæc omnia sola superficies atque species assumpta peccatoris; magis certè mihi favet ad passionem & supplicia, res ipsa & substantia peccatoris, corpusque peccati, & habitans in me peccatum: propter quod à planta pedis usque ad verticem capitis, non est in me sanitas: non est pax ossibus meis, non est spes, non est modus satisfaciendi aliquando pro malitiis meis. Si Tibi Domine satis est Innocentia tua & Sanctitas, ad perpetienda omnia tam dira. Multò me magis ad

extrema

extrema omnia sustinenda adigit omnis Impietas, omnisque Injustitia mea. Si Tibi satis est, ad patiendum, juris, à charitate erga me tua: magis me certè obligat ad patiendum, & tibi satisfaciendũ, tum universus Iustitiæ rigor, tum obligatio inexpleta redamandi te. Si ad supplicium Crucis sufficit tibi à Synodo Judæorum conclamatum esse adversum Te, Reus est mortis: vel ab universa multitudine Iudaica vociferatum esse, Tolle, Tolle, Crucifige eum. Sanguis ejus super nos & super filios nostros: vel à timido inconstantique Præside adjudicatum te esse petitioni furentium Judæorum, vt crucifigereris: ego igitur magis pati debeo, quem non furor, sed æquitas; non invidia sed justitia; non metus Iudicis iniqui, sed rigor Divini judicii, filium mortis atque perditionis pronuntiavit. Si ad Passionem sufficit tibi, quia Pater tuus æternus posuit in te iniquitatem meam, & propter scelus meum percusit te; quantò magis ad me spectat Passio, qui in Patrem tuum cœlestem peccavi, & nimis quidem peccavi; & iniquitatum mearum clamor ascendit usque in cœlum, & terra commota est à facie peccatorum meorum. Denique si satis est causæ tibi ad patiendum, quia Tu pati vis, & quia ita placitum est ante te, ut ponas animam tuam pro ovibus tuis; sufficiat igitur, & longe ampliùs quàm sufficiat etiam mihi, ad subeundam Passionem tuam, quia & debetur omni jure mihi, & ego mereor illam ex omni origine mea, & tota cæli terræque justitia, id exigit ex me, & exemplum tuum invitat me, & amoris servitus, quâ obligor tibi, ad id cogit me, & hæc est voluntas tua de me, & demum hæc quoque est voluntas mea, quam habeo ex miseratione tua coram te. Exemplum quippe dedisti mihi, sed & præceptum imposuisti mihi, ut Te in carne Passo pro me, ego quoque eâdem cogitatione obarmer ad patiendum tecum, & pro te, supplicia tua, Tua inquam, non quia ullatenus tibi debita, sed tua, quia quæ omnibus modis mihi debita erant, meaque per omnem modum erant, Tu fecisti tua perpessionis dignatione, & jussisti, fecistique meæ esse imitationis æquitate, & condignitate.

Da ergo mihi Domine Jesv, da locum, da partem aliquotam saltem in Passione tua, ex dignatione tua, quoniam in rei veritate, in æquitatis rigore, in Iustitiæ debito, magis illa est mea quàm tua, magis inquam mihi quàm Tibi debita, imò omnimodis mihi, nullatenus autem Tibi debita. Tibi etenim Domine gloria, Tibi laus, Tibi adoratio, Tibi exaltatio, Tibi majestas, Tibi omnis honor, tam

ab

ab ipso Te, quàm ab omni creatura: Mihi verò omnis confusio faciei, omnis contemptus, omnis ira, furor, abjectio, derelictio, oblivio, infernus, & æterna damnatio atque perditio. Quid ergo magnum dabis mihi, etiamsi Passionem tuam dabis, imò reddes, restituesque mihi, quando adhuc totas inferni pœnas, ex Iustitia debebis mihi?

Sed enim ut tandem finem pertractandi cum Deo meo faciam, qui sum pulvis & cinis: deest quidem mihi undique Innocentia, ut cum illa, & ex illa, & pro illa patiar: at non deest iniquitas & malitia, ut pro illa justum supplicium sustineam: deest mihi magna charitas ut ex illa patiar: at non deest multa & magna peccatorum meorum enormitas, propter quam patiar: deest mihi Sanctitas, & Iustitia tua, ut propter illam patiar, at non desunt mihi merita Judæ & Barabbæ, vel Latronis, ut pro illis patiar. Noli ergo me excludere à Passione tua, Tu, qui inter latrones medius dignatus es pro me, proque salute & justificatione mea consummare Passionem tuam.

Centiloquii Parte 3. Sectione 31.

Liceat hunc Modum meditandi concludere expositione quatuor conditionum Passionis Dominicæ, quæ illam exaggeratissimam fuisse evincunt, & observantur alicubi ab eodem Seraphico Doctore, hisce verbis. Sciendum est, quòd Christus assumpsit non tantùm naturam humanam, sed etiam defectus circa naturam humanam. Assumpsit enim pœnalitates corporales, ut famem, sitim, lassitudinem; assumpsit & spirituales, ut tristitiam, gemitum, timorem, & dolorem. Nec tamen omnes corporales assumpsit, sicut sunt defectus ægritudinum multiformium. Nec omnes spirituales: sicut sunt ignorantia, & rebellio carnis ad spiritum, & contra. Nec eas qualitercunque assumpsit: quia sic necessitatem patiendi assumpsit, ut nihil pati posset invitè; nec secundùm Divinitatis voluntatem: nec secundùm voluntatem rationis, licèt Passio fuerit contra voluntatem sensualitatis & carnis.

1. In natura passibili sic assumpta, passus est Passione generalissimâ quantùm ad naturam humanam, quia non solùm secundùm omnia membra corporis principalia, verùm etiam secundùm omnem Animæ potentiam: licèt nihil pati posset secundùm naturam Divinam.

2. Passus est Passione acerbissimâ: tum propter complexionis æqualitatem: tum propter sensuum vivacitatem, tum propter suspendii continuitatem: tum quia doluit propter vulnera ut patiens: tum quia doluit propter nostra delicta, ut compatiens. Passus

Passus est Passione ignominiosissimâ, propter patibulum Crucis: 3.
quod erat supplicium latronum & pessimorum; & propter consortium iniquorum, latronum scilicet, cum quibus reputatus est.

Passus est tandem Passione interemptoriâ, per separationem Animæ à Corpore, salvâ tamen unione utriusque cum Divinitate. 4.
Hæc Sanctus Bonaventura.

MODVS LXX.

SEptuagesimus Modus Dominicam Passionem meditandi esse potest. Assumere Passionem Christi sive universam & totam, sive etiam per partes distributam, & advertere, ruminare, degustare, experiri, & admirari, & glorificare ejus admirandos, & paradoxos effectus, dimanantesque ex ea fructus, quos protulit & profert proferetque in finem usque mundi, imò & in omnem æternitatem. Primò quidem in corde Patris æterni. Deinde in corde Christi ipsius patientis, seu qui passus est. Tertiò. In corde etiam Divinæ Matris. Quartò. In corde Electorum & Beatorum. Quintò. In corde reproborum & damnatorum. Sextò. In corde persecutorum. Septimò. In omnibus creaturis. Octavò. In ipso Meditatore Passionis.

Quantùm ad Æternum Patrem, Passio Christi operatur & Iustitiam & Misericordiam: provocat enim DEVM ad iram & vindictam enormitate sceleris, quæ est in Deicidio: & in occisione adeò funesta unigeniti sui; & rursùm tamen provocat eundem DEVM Patrem, ad Indulgentiam, Miserationem, & veniam, & insuper ad dilectionem eorum, quicunque fuerunt causa qualiscunque, necis & Passionis Filii, sive promerendo illam peccatis suis, ut omnes singulique homines, omnibus, singulisque suis peccatis, sive eam studiis, odiis, manibus, rabieque suâ procurando, quærendo, exercendo, inferendo: uti sunt, dæmon cum omni potestate tenebrarum. Iudas traditor, Iudæorum Principes, & Populus universus. Gentiles quoque ut Pilatus, Herodes cum suis ministris & militibus. Omnes enim isti eo ipso, quem profuderunt Christi sanguine, redempti & reconciliati sunt Deo Patri, etiam pro ipso illo profusionis necisque Christi perpetrato scelere. Quod patuit post mortem Christi, tam ante Resurrectionem, quando mortuo IESV, *videns centurio quia sic clamans exspirasset in Cruce, & visis signis quæ fiebant: confestus est, quia verè Filius Dei erat iste,* & multi de populo revertebantur à loco Luc. 23. 47.

mortis Domini, *percutientes pectora sua*: quàm & post Resurrectionem, quando ad Petri prædicationem illi ipsi qui tempore Passionis clamaverant. *Crucifige, Tolle, secundùm legem debet mori.* Ad pœnitentiam, fidemque, & amorem in Crucifixum à se Christum conversi sunt, effundente nimirum super eos Patre Æterno misericordiã, & gratiam suam, à Christo suo illis apud se per Passionem & mortem promeritam, atque obtentam. Itaque Passio Christi est similis Arcui cœlesti in nubibus, qui & est naturâ suâ nubium imbribus fœcundarum portio, & simul diluvii exundantis non futuri coram Deo memoriale & signum.

Luc. 23. 18. 21. Ioan. 19. 7. Act. 2. 37. Act. 4. 4. Gen. 9. 13.

Quantùm ad Christum ipsum Patientem, Passio ejus fuit cordi ejus & desiderabilis, & formidabilis; fuit peccatum & pœna peccatorum, & remedium eorundem, propter quorum primum, Christus eam noluit: propter secundum eam in se suscepit, propter tertium eam amavit, & Patri obtulit, & in nos redundare fecit, propter quod Apostolus affirmat, quòd *Christus mortis chyrographum nobis contrarium sustulit, & delevit affigens illud Cruci.* Præterea Passione suâ & morte Christus est exinanitus usque ad formam servi, & impii, & latronis, & crucifixi; & per eandem exaltatus atque glorificatus est, datáque est illi omnis Potestas in cœlo, & in terra, & intravit in gloriam suam, accipiens nomen quod est super omne nomen, factus omnibus causa salutis æternæ; Patri autem cœlesti, Gloriæ & exaltationis æternæ.

Quantùm ad Pretiosissimam Christi Matrem, Passio Christi Filii, erat illi gladius doloris ipsam animam ejus pertransiens. fuit illi omnis probri, & contumeliæ materia. fuit illi magnæ, instaq; maris, contritionis, & afflictionis, seges, imò messis, & occasio; fuit illi unicæ & irreparabilis incompensabilisque orbitatis causa; simul autem eadem Filii Passio, contulit illi ut esset primogenita omnium redemptorum à Christo, simulque compars quædam, & comparticeps præcipua Passionis, Patientisque Christi, simul quoque suo modo Corredemptrix mundi, quatenus sanguine Christi ejus Filii, ex ea desumpto, redemptus est mundus, ipsâ simul cum Filio eum offerente Patri cœlesti pro mundo universo, simul denique facta est Mater omnium nostrûm, tot scilicet filiorum, quot sunt in numero redemptorum. Non enim de solo Ioanne dixit Christus Matri. *Ecce Filius tuus*: Sed in Ioanne uno datum est Matri in filios totum humanum, Christi sanguine redemptum, genus.

Quan-

Quantùm ad Electos atque Beatos: etiam in horùm corde operatur Passio admirandos effectus: quia illos & sibimet ipsis, viles, abjectos, omni pœnâ, & suppliciis etiam æternis dignos demonstrat, & nihilominus eosdem coram Deo pretiosos, amabiles, amicos, beatitudinis partim candidatos, partim possessores facit. isti intimo cordis sensu Passionem Dominicam & sentiunt, & partim lugent, in seipsosque derivari cupiunt, sibi eam potiùs, & non Domino suo deberi confitentes, partim (lugere cùm per statum beatitudinis non possint) eam in suæ salutis beatitudinisque bonum assumptam, & adhibitam esse intuentur, mirantur, & obstupescunt. Rursum verò simul se ejusdem Passionis Christi efficacem fructum, condignum præmium, finem singularem, atque pretiosum intuentes & agnoscentes, de doloribus, contumeliis, passionibus, vulneribus, & morte, & cruce Christi gaudent, lætantur, gloriantur, eamque Christo gratulantur, & pro ea Patri æterno æternas gratias agunt. Deniq; una, & eadem Passio Christi Ecclesiam quidem ædificavit, Synagogam verò destruxit.

Quantùm ad Reprobos & damnatos. His Passio & mors Christi, quantùm ex ipsa, salus est, & vita, remedium & liberatio à perditione tam peccati, quàm inferni; quantùm verò ad ipsosmet, eadem illis est in ruinam & perditionis æternæ exaggerationem, quoniam dilexerunt magis semetipsos quàm Deum, diaboli servitutem quàm Dei voluntatem, concupiscentiam suam, quàm Christi Charitatem. *Noluerunt benedictionem, elegerunt verò maledictionem, & elongata est ab eis illa, venit autem illis ista.* *Ps. 108. 18.*

Quantùm ad Persecutores. Horum quidam satiati sunt pœnis Christi, quidam molliti sunt cruciatibus Christi, eam Iudas ad mortem vendidit, Joseph mortuum à Pilato impetravit, & quem viventem confiteri timuerat, mortuum audacter à Præside sibi donari postulabat. eundem Petrus cum detestatione, juramento, & anathemate negaverat, latro ei concrucifixus, ipsum & contra socium blasphemum defendebat, & universis adstantibus innocentem prædicabat, & ejus confitebatur à morte regnum, quem juxta se videbat affixum ad lignum, ab eoque accipiebat Paradysi societatem, cum quo pariter sustinebat Crucem, & crucis mortem.

Quantùm ad omnes creaturas. Mors Christi sensum sui indidit omnibus, quæ sensum sui nullum habebant. Luxit enim eum sol, & luna, & stellæ, & nox, & dies. Luxerunt eum petræ, & terra, &

mare, & cœli. Luxerunt eum mortui, & ab inferis redivivi. Angeli quoque pacis eum amarè flebant patientē, universa etiam mundi machina in ruinā festinabat Domino Patiente, quæ tamen omnis interea restaurationem sui recipiebat ab eodem Domino moriente; ad extremum, quæ creatura serviebat inimicis ut sævirent in Dominum, eadem patientem sentiebat & plangebat Dominum.

Quantùm ad Meditatorem Passionis Dominicæ, in eo, quàm miros, quàmque diversos operatur Passio Christi effectus, malo id non meis sed Divi Bonaventuræ explicatum sit verbis.

In stim. amoris. P. 1. C. 1.

„ O Passio desiderabilis! o mors admirabilis! Quid mirabilius? quàm quod mors vivificet, vulnera sanent, sanguis album faciat, & intima mundet, nimius dolor, nimium dulcorem inducat, apertio lateris, cor cordi conjungat? sed adhuc mirari non cesses, quia sol obscuratus plùs solito illuminat, ignis extinctus magis inflammat: passio ignominiosa glorificat. Sed verè mirabile est, quòd Christus in Cruce sitiens inebriat, nudus existens, virtutum ornamentis ornat. Sed & manus ejus ligno conclavatæ nos solvunt, pedes confossi, nos currere faciunt: emittens spiritū, vitam inspirat: in ligno decedens, ad cœlestia vocat. O Passio amabilis & mirabilis: quæ suum meditatorem alienat & immutat, & non solùm reddit Angelicum, sed divinum. Nam per meditationem, commorans in Christi tormentis, etiam se ipsum non videt: semper intuetur Dominum suum passum, vult secum crucem bajulare, & pro ipso levissimè omne bonum & malum vult portare, & ipsum in corde portat, cœlum & terram pugillo tenentem. Vult secum spinis coronari, & ipse spe gloriæ coronatur: vult secum in ligno sinè vestimentis frigescere, & nimio amoris ardore succenditur: vult secum acetum gustare, & vino inenarrabilis dulcedinis potatur: vult secum in Cruce existens sibi illudi, & ipse ab Angelis honoratur, & à Beata Virgine in filium adoptatur: secum volens tristari lætatur, secum volens affligi consolatur, & nimium jucundatur. Cum Christo vult in cruce pendere, & eum Christus dulcissimè amplexatur, secum vult faciem, mortis pavore perfusam inclinare, & ejus caput Christus elevans suavissimè osculatur. O mors amabilis, o mors delectabilis.] Hæc Bonaventura, non minùs dilucidè quàm devotè explicans effectus & præclaros & admirandos, & veluti paradoxos insperatosque, quos in suis meditatoribus Passio Christi Domini operari apta est, & operatur, dum animas mentesque idoneas talibus effectibus invenerit, sive (ut veriùs dicam) perfecerit.

MO-

MODVS LXXI.

SEptuagesimus primus meditandi Passionem Domini nostri Modus esse potest. In præcipuis Iesu Christi Passi, aut Patientis membris ac vulneribus, recognoscere aliquam congruam & Christo dignam perfectionem, tum Christo indignam passionem, tum piissimam nostræ salutis operationem. Circa quodlibet tale Christi membrum consideratione & meditatione tantisper immorando, donec mens congruis veritatibus erudiatur, affectibus pascatur, virtutumque actibus perficiatur, prout animam gratia & unctio Spiritûs, nec non ipsius animæ pia devotio disposuerit. Appono compendiosam ejus modi designationem. Pes Christi sinister vulneratus est, qui omnia sustinet. Pes dexter vulneratus est, qui omnia possidet. Manus Christi sinistra saucia est, quæ omnia fecit. Manus Christi dextra saucia est, quæ omnia regit. Cor Christi vulneratum est, quod omnia vivificat, Caput Christi spinis horridum est, quod omnia coronat. Scapulæ Christi vulneratæ sunt, quæ omnia protegunt. Brachia Christi vulnerata sunt, quæ omnia amplexantur. Pectus Christi cruentum est, quod omnia fovet. Vultus Christi despectus est, qui omnia lætificat. Sanguis Christi effusus est, qui omnia redimit & abluit. Caro Christi lacerata est, quæ omnia pascit. Anima Christi afflicta est, quæ omnia sanctificat. DEVS in carne passus est, qui omnia beatificat.

Devotus ergo Meditator coram Christo Passo & Crucifixo constitutus, singula horum quæ enumerata sunt, piè devotèque expendat: & v. g. ad pedem Christi sinistrum constitutus, advertat quid Christus, qui est Potentia Patris, fecerit in cœlo & terra, & in omnibus abyssis. quòd cœlum ipsum, & terram, & maria, & omnia quæ in eis sunt fecerit. Omnia enim per ipsum facta sunt, & sinè ipso factum est nihil, per eum facta sunt & sæcula, & Angeli, & Sydera, & Homines, & quidquid infra hos est. Hujus Christi Pes sinister vulneratus est, quasi quidam abyssalis thesaurus omnipotentiæ DEI apertus est. Hunc pedem prosternendo se adoret, osculetur, pio fletu conspergat, admiretur, gratiarum actione repleat, laudibus coronet, intus in eum corde subintret, ac interiora ejus scrutetur. Ab hoc, imò sub hoc pede discat humiliari infra omnia, pati adversa corporis, & Animæ, & Fortunæ omnia: subjiciat se omnipotentiæ ejus, infatigabilis esse in labore pro eo, & in obsequio executioneq;

voluntatis ejus condiscat, constituat, incipiat, & nunquam desinat per omnia. Hoc aut simili modo progrediatur meditando circa alias Christi Passi partes. Veritatibus intellectum convincendo, affectibus voluntatem pascendo, effectibus seu operibus virtutum internis externisque instruendo & perficiendo.

Ex hoc meditandi Passionem Domini modo, videtur illa Sancti Patris nostri Ignatii desumpta, & ab aliis plusculum aucta oratio.

O Divinitas Christi, inhabita me. O Persona Christi, indivina me. O Anima Christi, sanctifica me. O Corpus Christi, salva me. O Cor Christi accende me. O Sanguis Christi, inebria me. O Aqua lateris Christi, ablue me. O Sudor & agonia Christi, conforta me. O Passio Christi, sana me. O Bone Jesv, exaudi me. Intra vulnera tua absconde me. Ne permittas me separari à te. Ab hoste maligno defende me. In hora mortis meæ, voca me. Et jube me venire ad te. Vt cum sanctis tuis laudem te in sæcula sæculorum. Amen.

Hujus Orationis ad instár, devotio alicujus ex Doloribus Divinæ Matris talem confecit meditationem sive Orationem, quam nec ingratam, nec inutilem pietati fore existimo.

O Afflictissima Virginis Mariæ Anima, solare me.

O Dolentissimum Dei Matris corpus, conforta me.

O Amarissimæ Reginæ Cœli lachrymæ, purificate me.

O Gemitus Deiparæ, conterite me.

O Tribulatum cor Angelorum Dominæ, recrea me.

O Luctuosi Dominæ nostræ sensus, sanate me.

O Angustiæ Matris gratiarum, liberate me.

O Dei genitricis orbitas, associa me.

O Mors genitricis vitæ, vivifica me.

O Maria amarum Mare, ab omni culpa & pœna, erue me.

O Martyrum Regina in servum & mancipium tuum recipe me, & in hora mortis meæ suscipe me: ut cum omnibus Dei electis, potissimumque tuis dilectis, diligam & glorificem te, in sæcula sæculorum. Amen.

Hujus quoque Modi est meditatio illa.

O Pes potentiæ, pro me vulnerati Jesv, humilia me, exalta Te.

O Pes Justitiæ, pro me vulnerati Jesv, quamvis dignus sim, ne abjicias me.

O manus Gratiæ, pro me vulnerati Jesv, sinè te nihil sum, adjuva me.

O Ma-

O Manus Misericordiæ, pro me vulnerati JESV, Tibi soli peccavi, sicut potes, scis, & vis, miserere mei.

O Cor & Latus, pro me vulnerati JESV, sedes amoris accende me, ut incessabiliter amem Te.

O Caput, Sedes sapientiæ, pro me vulnerati JESU, illumina me, ut noverim Te, & noverim me.

O VERBVM Caro pro me factum, & in carne pro me passum, habita in me, & habitem in Te, in æternum & ultra. Amen.

Singulis hisce Punctis manifestum est, suas easque copiosas inesse meditationum, reflexionum, affectuum, propositorum, postulationum, virtutisque actionum materias: ut haud dubiè multiplici eum spirituali fructu, atque gustu, pii meditatoris animus, eas versare possit; quod plenius ab experimento suo, quàm à stylo meo, ut discat plurimum eidem oxopto.

MODVS LXXII.

SEptuagesimus secundus meditandi Passionem Domini Nostri Modus esse potest. Meditari eam tanquam admirabilem incredibilemque Christi Redemptoris & Hominis redempti concertationem colluctationemque, tantam, ut ex parte quidem Christi Redimentis atque Patientis, nihil possit cogitari in misericordia & commiseratione, charitatisque super hominem profusione invincibilius atque dulcius: at verò ex parte Hominis, qui hac Passione redimitur, seu redemptus est, nihil possit reperiri in eodem Redemptore, ejusque Passione contemnenda, abjicienda, repellendaque, scelestius, barbarius, ingratius, execrabilius.

Dandum est aliquod specimen hujusmodi, Lectori devoto.

Ab initio sui in mundum adventûs Redemptor noster suscepit Hominem: quia VERBVM Caro factum est & habitavit in nobis. Homo autem, non solùm ab initio mundi, sed etiam venientem in mundum abjecit DEVM, & nasciturum etiam diversorio communi exclusit, ad stabulumque compegit. In propria venit, & sui eum non receperunt.

Redemptor venit salvare Hominem à peccatis ejus: testante Angelo ad Iosephum. *Vocabis nomen ejus IESVM: ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Matth. 1. 21. at Homo quæsivit adhuc infantem DEVM ad necem. *Surge, & accipe puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum: futurum est enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* Matth. 2. 13.

Redem-

Redemptor venit ab exilio revocare Hominem ad Patriam; Homo DEVM in exilium ejecit, tum cogens eum fugere in Ægyptum, (ut modo dictum) tum ejiciens eum extra Civitatem Nazareth, & præcipitare volens de montis supercilio, tum extra urbem eum crucifigens.

Lucæ 19. 10. Redemptor Hominem quæsivit: *Venit enim Filius hominis quærere, & salvum facere, quod perierat.* Homo DEVM fugit, & ab eo se
Lucæ 19. 14. elongavit, dicens; *Nolumus hunc regnare super nos.* Et. *Non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Et. *Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbã.*
Ioan. 19. 15. Redemptor Hominem ad Pacem & amicitiam secum invitavit
Lucæ 23. 18. ineundam, & se mediatorem instituit. Homo DEI amicus esse,
Iob. 21. 14. cumque eo pacem habere noluit, inimicus esse elegit, dicens. *Recede à nobis. Dixit populus meus: recessimus. Non veniemus ultra ad te.*

Ierem. 2. 31. Redemptor venit de Potestate diaboli Hominem eruere: Homo elegit in potestate Diaboli esse. *Vos ex patre Diabolo estis, & opera Patris vestri vultis facere. Ego veni in nomine Patris mei, & non*
Ioan. 8. 44. *accipitis me; si veniet alius in nomine suo,* (scilicet Diabolus & Antichristus) *illum accipietis.*

Ioan. 5. 45. Redemptor eruit Hominem de tenebris ad lucem; *Homo dilexit magis tenebras, quàm lucem.*

Ioan. 3. 19. Redemptor Hominem docuit viam vitæ & veritatis. *Magister scimus quia verax es, & viam DEI in veritate doces.* Homo DEI ve-
Matth. 22. 16. ritatem & vitæ salutisque viam à se repulit, dicens; *quia non est à Deo, sed seducit turbas & dæmonium habet, & testimonium ejus non est ve-*
Ioan. 9. 16. *rum.*

Iam verò in ipso Passionis Dominicæ tempore.

Ioan. 7. 12. Redemptor se ipsum tradebat Homini in cibum & potum, quem
Matth. 11. 18. sumens *vitam haberet æternam in seipso.* Homo DEVM tradidit & vendidit osculo ad mortem: & abnegans eum postulavit ad Crucem.

Ioan. 8. 13. Redemptor per Divinum suum Sacramentum in viscera Corpo-
Ioan. 6. 55. ris & Animæ, realissimâ Dignatione descendit. Homo autem post Buccellam Sacramentalem diabolum in cor admisit.

Redemptor inquinatos & sanguinarios hominis pedes, manibus suis lavit, tersit, osculatus est. Homo pedes suos ad festinandam citiùs quam moliebatur proditionem Domini sui expedivit.

Redemptor, Homines gravissimo suo, & opere & verbo cohortatus

tatus & obtestatus est, ad exhibendam exercendamque in sese mutuò humilitatem, charitatem, atque unionem. Homo neque Humilitatis, neque dilectionis, unionisque mutuæ memor, congregat & armat cohortes lictoresque in DEVM.

Redemptor de salute Hominum solicitus, tristitiâ, tœdio, pavore, conflictatur usque ad agoniam, usque ad sanguineum sudorem, usque ad ipsam mortem. Homo interea partim contra DEI salutem, totam tenebrarum potestatem solicitat; partim de proditione per osculum perage da Deicidas informat.

Redemptor orat, & repetitò orat, & tertiò orationem repetit: seque ad omnia fanda infandaque pro Hominum salute, prostratus humi in faciem suam, devovet ac immolat. Homo interea totus dormit, & unâ horâ nec pro Dei voluntate, nec pro sua salute vigilare potest: an potiùs non vult?

Redemptor propter Hominum redemptionem sese hostium manibus & rabidæ potestati sponte offert. Homo DEVM in manibus hostium videns, relicto eo fugit, aut si tantisper sequitur, à longè, & abnegaturus, abjuraturus, detestaturusque sequitur.

Redemptor ingenuè se Christum Deum, judicemque omnium in majestate & gloria venturum ac futurum profitetur Hominibus, pro ipsis Hominibus. At Homo Deum blasphemiæ & mortis reum pronuntiat, & condemnat.

Redemptor Homines à morte corporis & animæ, temporali & æterna, culpæ & pœnæ, liberare satagit. Homo DEVM ad mortem & crucem exposcit. Nullius non sceleris reum proclamat, latronibus coæquat in scelerum merito, latroni & hosti publico postponit, adeò, ut homine judice Barabbas Christo melior sit.

Redemptor habens in se omnes sapientiæ & scientiæ Dei thesauros absconditos, per sapientiæ altitudinem & absconditum à sæculis Sacramentum, perque non investigabiles vias suas, salutem humani generis operatus est in medio terræ, hoc est in assumpta nostra carne. Homo verò, Deum sprevit & illusit, & veste fatuorum stultorumque induit.

Redemptor ut Homines à flagellis peccatorum, quæ innumerabiliter multa & gravia sunt, eriperet, Iustitiæ se & vindictæ divinæ subjecit, estque propter scelus populi sui percussus & attritus, & disciplina castigatioque pacis nostræ super eum deposita, & exercita remansit. Homo autem Deum Redemptorem probrosissimæ fla-

gellationi subjecit; eumque vulnere super vulnus concidit, & super dorsum ejus aravit, sulcisque crudelibus Divinam ejus carnem intersecans prolongavit iniquitatem suam.

Redemptor Hominem gloriâ & honore coronavit, & super caput ejus coronam de lapide pretioso posuit, deditque illi sceptrum regni, & constituit eum super omnia opera manuum suarum. Coronavit etiam eum in misericordia & miserationibus, signans eum lumine vultûs charitatis suæ. Homo autem plectens coronam de spinis imposuit, & infixit eam in capite Majestatis Dei sui, dans arundinem in manu ejus, & eâdem caput spinis horridum percutiens: faciem ejus Angelis ipsis reverendam alapis percussit, & fœditate buccæ suæ conspurcavit.

Redemptor ut Hominem ab æterna & temporali morte atque damnatione eriperet, sanguini suo pretioso non pepercit. Homo Dei sui sanguinem in se malitioso furore suscepit, ut Deum suum morte turpissimâ crucis, interficere posset.

Redemptor Hominibus vitam æternam, & à constitutione mundi paravit, & impendio vitæ suæ Divinæ acquisivit. Homo Deum vitæ authorem, atque fontem, manibus suis inter Crucis tormenta trucidavit.

Iam autem post Passionis tempora, qualiter se jam Glorioso, & super Cœlos regnanti, & ad Iudicium vivorum, mortuorumque sese accingenti Redemptori suo, redemptus homo exhibeat, videamus & perpendamus. Libet de hoc audire ipsummet Hominem de se Redemptori suo confitentem apud Beatum Bonaventuram hisce verbis. [Nonne & hoc nequissimum est, quòd post tam admirabile & fructuosum tuæ Domine Iesv Passionis beneficium non cesso peccare in conspectu oculorum tuorum, perinde ac si Tua Passio nihil esset. Te mihi dedisti, & Te renuo, tenebras animæ meæ effugâsti, & ego ipsas sponte incurro. Mundum & quæ mundus amat abjecisti, & ego ipsum eligo, & diligo. An non vides Patientissime Domine Iesv, quòd semper nitor facere Tuæ contrarium voluntati; & in faciem Tibi resisto apertè. Si dicis mihi: Nolo ut hoc facias, dico ego, volo. Si dicis, volo ut hoc fiat, dico ego, nolo facere. Scio Te Dominum meum summum Bonum esse: & ego ad Te, ac si aut nihilum aut valde malum aliquid esses, non aspicio, sed converto cordis & corporis mei faciem ad ea, quæ vana sunt & pernicioſa, & nihil sunt, & aliquando ad ea, & ad talia, quæ turpe est dicere,

dicere, incongruum nominare, & siceis cor meum vinculis amoris colligatur, ut ad Te, cujus est, nequeat elevari. Et hoc certè detestabilis abusio est.] Valde autem exile est, quòd dicitur hæc esse detestabilis abusio: quamvis verbum quo graviùs ponderosiùsque hominum christianorum, credentiumque, tam proterua barbaries, tam barbara ingratitudo in suum Redemptorem explanetur, exprimaturque, pro merito, invenire difficile sit.

Nam quibus tandem verbis exagitetur hæc indignissima malitia, malitiosissimaque indignitas Hominis in Deum suum?

Deus propter nimiam charitatem suam in hominem, descendit de cœlo, ut hominem perditum, & morti æternæ addictum, ad cœleste Regnum, beatamque æternitatem reduceret, in eumque finem, totum se, quantus quantus est Deus, & totam substantiam domûs (id est Divinitatis & Humanitatis) suæ profudit, atque prodegit, & veluti nihilum prædilectione, & salute Hominis, despexit eam. Homo autem, homo inquam christianus, hæc de Deo suo credens, atque confitens, hunc eundem Deum suum, & eandem omnem impensam sibi ab eo dilectionem, profusamque suâ causâ substantiam; voluntariâ, & sciente, deliberatâque despectione negligit, & negligentiâ despicit, & quidem millies repetitò despicit. Neque despicit tantum, sed etiam pessima quæque, pro tantis bonis reponit: committens ea in oculis Dei sui, quæ novit illius cordi Divino esse ingratissima, illius voluntati contrariissima, illius Dignitate indignissima, illius meritis indebitissima, illius Bonitati atque Charitati inimicissima, illius Iustitiæ & æquitati displicitissima. Et quidem si faceret hoc infidelis & Redemptorem nesciens: sustinendum esset utique, sed fieri talia à Noscentibus, à Credentibus, à Confitentibus, & fieri ex proposito, atque ex professo, fieri assiduò, & omni vitâ, fieri in oculis ipsius Divinæ præsentiæ, atque Majestatis, quis hoc satis capiat, cogitet, explicet?

Redemptor propter Hominem humiliavit, & exinanivit semetipsum. Homo superbus, & inflatus incedit, magnificans se ipsum, nec est finis superbiæ, & tumoris ejus.

Redemptor propter Hominem factus obediens usque ad mortē crucis. Homo in Deum & ejus mandata, & voluntatem est contumacissimus, ducitque sibi ignominiæ, obedire Deo; laudem reputat suam, mandata Dei audacter transgredi.

Redemptor Hominem, & verbo, & exemplo suo docuit, quia mi-

tis est & humilis corde. Homo planissimè tam humilitatem, quàm mansvetudinem cordis fugit, detestatur, irridet, ac si omnino à Deo iracundiam, impatientiam, elationemque cordis edoctus esset.

Redemptor omne carnis vitium, & ipse nescivit, & Hominem nescire docuit, atque præcepit. Homo in carnis lasciviam, in omnemque inverecundiæ turpitudinem, ab ipsa tenella pueritia sua profunditur; Ita ut infelices pusiones, priùs fiant impudici & prostituti, quàm pudoris sint capaces, & verecundiæ. Ergo inter Christianos, inter fideles, inter castitatis puritatisque laudatores, atque professores, reperies obviè, atque passim, tanta turpitudinis lasciviæque mala, quanta nec inter gentes quidem: & quanta si inter gentiles reperirentur, reperirentur quia licita reputarentur, at inter Christianos, ipsorummet fide magistrâ, Conscientiâ doctore, lege duce, confessione & professione exactore, ista omnia illicita, turpia, probrosa sunt, & qui talia agunt, regnum Dei non posse possidere sciuntur, & fide creduntur, fiunt nihilominus, & fiunt usque adeò profligatè, & effrenatè, non secus, quàm si lege Christianâ hæc omnia indignitatum genera sancirentur. Certè si (per impossibile dictum sit) si inquam sancita essent, vix effrenatiùs à Christianis fierent, quàm nunc lege Christi per omnia repugnante, à Christianis fiunt.

Redemptor noster dilectionem fraternam sanxit, adeo solicitè, adeo tenerè, adeo perfectè, atque consummatè, ut etiam inimicos, & persecutores jusserit ex corde diligi, ex corde illis beneficia exhiberi, ex corde injurias quaslibet condonari. Quod præceptum suũ, novum, magnum, omnium majus, & nunquam excidens: multùm quidem verbis & sermone, at longè magis magisque commendavit & promulgavit opere, ac sanguine, atque Crucis morte. Atqui Homo istam adeò demandatam commendatamque charitatem mutuam usque adeò ex corde negligit, ex corde nihili habet, ex corde radicitùs proscribit; ut pro eo quòd inimicos ipsos verè diligat: ne amicos quidem & omni sanguine conjunctos sincero amore foveat. Itaque hodie vix par hominum invenias, qui sese invicem christianâ charitate, revera, & per omnia diligant. Itaque etiam hodie tam vulgata inter christianos cernas, non odia tantùm, aut injurias, dolos aut invidias, calumnias & contumelias, verùm etiam cædes, & homicidia adeò vulgata, adeò facilia, adeò in immensum aucta & familiaria, ut in omnibus durantis humani generis sæculis non facilè re-

lè reperias unum aliquod, in quo tam facilè fusus sit sanguis humanus, quàm hodie funditur christianus. Non quæritur hodie bellis pax, sed bella ex bellis seruntur, neque pacis nomen in honore est, sed in probro, quodsi interdum quæpiam ad speciem pacificatio ineunda videtur, ea ita peragitur, ut tamen seminarium belli residuum servetur, quo sæviùs recrudescat cùm collibuerit: & misera pacificatio non desiderio pacis, sed studio belli crudioris fiat. Ita nimirum hodiernis christianis, Christi sui de charitate mutua cordi & in pretio sunt, tum mandata, tum exempla.

Sed imponendus est finis, Modi hujus expositioni: atque aliæ multæ *detestabiles abusiones* Hominum & quidem christianorum, quibus passim, & perpetim DEO Redemptori rebellatur, & obedientiæ, observantiæque, imitationis, & gratitudinis loco, retribuitur, silentio damnandæ: quoniam in præsenti scriptione hoc non agitur ut mores sæculi deplorentur, sed ut Passionem Dominicam meditandi varietate, adjutæ piorum animæ, in Domini Redemptoris amorem, obedientiam, imitationem, aliosque Passionis fructus deducantur.

MODVS LXXIII.

SEptuagesimus tertius meditandi Passionem Domini modus est, superiori oppositus: quia scilicet in eo consideratur dulcissima & profusissima Christi in electos suos redimendos per Passionem ac mortem propensio, liberalitas, atque planè prodiga sui charitas, & vicissim Hominum Redemptorum, electorum, justorumque erga JESVM prosalute sua Passum profusissima, atque heroica, & usque ad exinanitionem perditionemque suimet (cum Christi tamen gratia, & auxilio, sinè quo nihil, nihilque sunt omnes conatus hominum quantumcunque Sanctorum) exhibitio, & exhaustio & profusio.

Quod intellectum sic volo, ut nemo opinetur posse Hominum aliquem, vel etiam totum genus humanum, uni, vel minutissimæ Christi super nos beneficentiæ, aliquid æquale, & condignum reponere. Verè enim Bernardus dixit. *Amat nos Charitas, amat Immensitas: nos autem vicem rependimus cum mensura* infinities improportionata; sed hoc dictum volo, ut discamus ab electis, sanctisque Dei, quibus illi studiis, conatibus, industriis, liberalitatibus, Redemptori suo, omniumque nostram, laboraverint gratos se exhibere, excessivæ super se miserationi & charitati illius.

Quantâ profusione Charitatis sese nobis & pro nobis profuderit Dominus JESVS, arbitror opus non esse multis explicare iis, qui verè fideles sunt: imò iis quicunque mysteriorum christianæ fidei rudes omnino non sunt. Pauculis ergo tantùm indicanda, & strictim solùm attingenda est ista Domini profusio. Et quidem si scripturas attendamus sacras: novimus per rubrum mare, in quo salvatus populus Domini, demersus autem cum omnibus suis Pharao, designari Passionem Christi, in qua omnis diabolica Tyrannis, fexque peccatorum disperiit, genus verò humanum universum, in littus salutis, & vitæ æternæ pertransiit. Atque sicut mari profusius est nihil, ita per hoc figuratum est, Passionis Christi efficaciâ, atque in ea charitatis ejusdem profusione, nihil copiosiùs esse. Ob quod David loquitur confidenter. *Copiosa apud DEVM redemptio.* quidem enim copiosius, quàm quòd omnibus hominibus, omnibus sæculis, omnibus peccatis abluendis sufficit, & redundat, & omnibus præmiis, per omnem æternitatem amplius & excessivius est? Itaque Moyses & Elias cum Christo in monte Thabor colloquentes, *loquebantur excessum ejus.* Excessum inquam non tantùm quasi excessum è vita per mortem, quod satis solum esset, sed excessum etiam immensæ & nimiæ charitatis, per quem excessit omnem modum, omnem mensuram, omnem efficaciam, omnem fidem, & spem, omnem retributionem, omnem denique possibilitatem; neque enim ullus major excessus charitatis possibilis est, vel ipsi omnipotentiæ Dei; unde bene Apostolus vocat hanc Dei *charitatem nimiam.* quia, ut idem loquitur, supereminet & transgreditur omnem longitudinem, omnem latitudinem, omnem sublimitatem, omne denique profundum. Etenim si attendamus quis sit & quantus qui profudit? quid altius cogitabitur, aut quæ altitudo tanta erit quæ non exæquetur & excedatur? Si attendamus. Quid profudit, & quantum? nempe Deum Hominem: Dei Hominis Majestatem, Dignitatem, Perfectionum plenitudinem, Animam, Vitam, Sanguinem, Gloriam, Honorem, & quidquid DEVS-Homo erat, insequè habebat: Ecquam latitudinem hæc profusio sumptuosissimæ Charitatis non circumplectetur, non superexcedet?

Exodi 15. 27.

Psal. 129. 7.

Luca 9. 31.

Eph. 2. 7.

Quodsi attendamus, pro quibus. Nempe pro nobis hominibus, pro nobis vilitate ipsâ vilioribus, pro nobis scelerositate ipsâ scelerosioribus. pro nobis indignitate ipsâ indignioribus, pro nobis in æternùm damnatis, atque ab omni bonitate, miseratione, æquitate in perpe-

perpetuum reprobatis, nec ullâ posſibili virtute creaturarum, etiam ſimul omnium, remedii & auxilii capacibus, denique pro nobis ipsâ ingratitudine ingratioribus, omniumque ingratorum & odioſorum pro omnibus Dei ſuper nos bonis eidem Deo retributoribus: Ecquod invenire poterimus profundum, tam profundum, tam abyſſale, tam ultimum, ad quod iſta charitatis Chriſti ſuper nos, & in nos, & propter nos, profuſio non penetravit, non acceſsit, non exceſsit? Ad extremum, ſi attendamus, in quem, & qualem uſum, fructum, modumque hæc charitatis Chriſti profuſio facta ſit, quænam Longitudo ei æquabitur? Duret per æternitatem humanum genus, peccent omnes & ſinguli Adæ filii, per æternitatis omnia ſæcula exaggerent malitias malitiarũ ſuarum, uſque, & uſque: omnibus his profuſa Chriſti Charitas ſufficit, omnibus major eſt, omnes iſtas excedit, excedit autem plus quàm mundus iſte atomum, quàm omne mare guttam, quàm omnis æternitas momentum. *Si fuerint* (ait iſte Redemptor Deus) *peccata veſtra ſicut coccinum, ſicut nix dealbabuntur; & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, quaſi lana alba erunt.* Non ponit numerum hominum, non numerum peccatorum, non menſuram enormitatis ſcelerum, non qualitatem ſpecierum, non temporum ſæculorumque ſpatium, non iterationum recidivationumve limitem. Quod totum Apoſtolus expendens, exceſſivus planè & ipſe eſt, in hujus exceſsivæ charitatis Chriſti deprædicatione. Hujus rei gratiâ. *Flecto* (inquit) *genua mea ad Patrem Domini Noſtri IESV Chriſti: ex quo omnis Paternitas in cœlo, & in terra nominatur: ut det vobis ſecundùm divitias gloriæ ſuæ, virtute corroborari, per Spiritum ejus in interiorem hominem, Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris, in charitate radicati, & fundati, ut poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum. Scire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Dixerat autem ſuperiùs. *Deum, qui dives eſt in miſericordiâ; propter nimiam charitatem ſuam, quâ dilexit nos, cùm eſtemus mortui peccatis, convivificâſſe nos in Chriſto, ut oſtenderet in ſæculis ſupervenientibus, abundantes divitias gratiæ ſuæ, in bonitate ſuper nos, in Chriſto IESV,* quas etiam vocat nullâ ratione *inveſtigabiles divitias Chriſti.*

Iſaiæ 1. 18.

Eph. 3. 14.

Eph. 2. 7.

Eph. 3. 8.

Sed de Charitatis Chriſti ſuper nos profuſione exceſsiva, atque nimia, hæc ſint ſatis; præſtat ſiquidem de ea multa meditari, quàm loqui. Videamus jam, & æmulemur Sanctorum Charitatis quoque

ſuæ

suæ erga Christum (ex gratia Christi) profusionem. Atque huc veniunt omnes & singulæ Sanctorum Christi, propter Christum, sive actiones, sive Passiones.

1. In hunc censum venit Fides in Deum, & quem misit ille in mundum, in Jesvm Christum, quæ Fides vincit mundum, & omnẽ Sapientiam, Potentiam, Dulcedinem ejus, arbitratus omnia bona ejus, tanquam stercora, atque detrimenta. Hæc fides in captivitatem redigit omnem intellectum, in obsequium suum, ut quæ sunt apud homines impossibilia, confiteatur possibilia apud Deum, imò faciat omnia possibilia credenti, sitque sperandarum substantia rerum, & argumentum atque convictio non apparentium. Hanc Fidem Catholica Christi Ecclesia exhibet Christo per sexdecim & amplius sæcula, inconcussam: nulli parcens labori, sumptui, difficultati, periculo suo, suorumque.

2. Venit in eundem censum spes in Christum; quæ facit ut omnes Fideles Christi, etiam in spem contra spem sperent, & confidant Deo, sive spiritualia, sive corporalia, sive æterna, sive temporalia, bona, & auxilia. Spes remissionem peccatorum, spes victoriam tentationum, spes conculcationem omnium infernalium aspidum, & leonum, & draconum, spes oblivionem carnis, & sanguinis, spes Iustificationem & gratiam, spes filiationem & hæreditatem Dei cum Christo, spes resuscitationem ex mortuis, spes consessum in cœlestibus, spes ipsam æternam vitam, possessionemque Regni à constitutione mundi, præparatam, ex Christi meritis, & sanguine gratiaque derivans, nihil præsentium, nihil inter manus ipsas oculosque positorum aut amat, aut appetit, aut possidet, sed totâ firmitate certitudinis fertur in abscondita, in invisibilia, in futura, in promissa; firmiusque & inconcussâ magis adhæsione, ista, etiam adhuc in ista vita possidet, quàm si re ipsa omni jure, mundi universi bona possideret. Imò quod est amplius, atque mirabilius; ideo universis hujus mundi bonis inhærere, vel capillo tenus recusat, ut tantò firmiùs immobiliusque futura illa sperans, illa eadem sperando possideat. Neque solùm spes nostra in Christum hoc agit, quod bona præsentia omnia profundat, & bona futura possideat: verũ insuper omnia mundi mala, & incommoda aggreditur, atque perpetitur, ut futuris præmiis bonis, per invictam adversitatum incommoditatumque tolerantiam perfrui mereatur. Existens per hoc in Christum suum liberalissima: quòd quantò se ampliùs ad bona à Christo sperata expecta-

spectataque capaciorem sperando, & per spem operando bona, sufferendo adversa reddit, tantò ipsum Christum quodammodo reddat in bonis super se profundendis, inque præmiis exhibendis, gloriosum magis, beatum magis, demumque coram & a Patre suo cœlesti remuneratum magis. Est enim gaudium Domini fortitudo nostra, & gloria est Christi glorificatio nostra.

3. In hunc quoque censum venit. Fidelium Christi in Christum dilectio. Neque enim ullâ aliâ re condignius Amor, quàm amore compensatur. Quidquid dederis, si amorem subtraxeris, nihil dedisti. *Si dederit homo omnem substantiam suam pro dilectione, quasi nihilum despiciet eam.* Dilectio siquidem talis est res, quæ sola bona, sola per se, & se ipsâ bona est; omnia reliqua facit bona, & sinè hac una, omnia alia quæ videntur non sunt bona. Quomodo autem Fideles Christi retribuant dilectionem Christo? videre licet, & specimen capere, ex uno Apostolo Christi, vero amatore Christi. *Quis ergo nos separabit* (ipse loquitur, & quidem non in sua tantùm, sed in omnium verè amantium Christum persona loquitur) *à charitate Christi. Tribulatio, an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? (Sicut scriptum est. Quia propter te mortificamur totâ die, æstimati sumus sicut oves occisionis,) sed in his omnibus, superamus propter eum, qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque alia creatura poterit nos separare à charitate DEI, quæ est in Christo IESV Domino nostro.* Rom. 8. 35. Psal. 43. 23.

Ne autem quis putet in solis magnificis verbis Amorem Pauli erga Christum sistere, audire liceat operosum amorem ejus. [*In quo quis audet, (in insipientiâ dico,) audeo & ego. Ministri Christi sunt, (ut minùs sapiens dico) plùs ego; in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas, unâ minùs accepi; ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui. In itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus; in labore, & ærumna; in vigiliis multis, in fame & siti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate, præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum: quis infirmatur & ego non infirmor? quis scandalisatur &* 2. Cor. 11. 21.

ego non uror? En quomodo Paulus charitate suâ sanè operosâ Christi charitatem æmulari connisus est? Qui etiam non dubitat profiteri de se ipso. *Gaudeo in Passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Col. 1.24.

Atque hæc quæ fecit, quæque de se professus est Paulus, fecêre Apostoli, Apostolorumque successores: fecêre Martyres, fecêre Anachoretæ, fecêre in simili fideles ab origine Christi Ecclesiæ, & faciunt usque huc, facturi usque ad consummationem sæculi. Quid enim agit universa Christi Ecclesia, toto terrarum orbe diffusa, quid egerunt tanti exercitus Martyrum, qui pro testamento Dei sui tradiderunt in omne carnificinarum & mortis genus animas suas, suoque sanguine mundum idololatriâ, & omnigenis iniquitatibus fœtidum abluerunt, & emaculaverunt? Quid egerunt innumera illa priscorum Monachorum, Eremitarumque examina? Quid agunt hodieque infinitorum cœnobiorum incolæ sexûs utriusque? De quibus omnibus justissimè, quia & verissimè, dicas id quod Paulus loquitur de Sanctis fidelibusque veteris testamenti. *qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum, acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos. Alii distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem, alii verò ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres; lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladii mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cavernis terræ.* E quibus omnibus nunquid est aliquid, quod non præstitum sit, quodue non etiam præstetur à fidelibus Christi propter Christum in Ecclesia Catholica? Hebr. 11. 33.

Vixit Pauper Christus ita, ut non haberet ubi caput reclinaret suum, vivunt fideles ejus absque ullo dominio & proprietate super rem etiam tenuissimam, adscitâ etiam per votum Deo factum incapacitate Dominii & Paupertatis æternitate.

Vixit Christus virgo. Habet in Ecclesia imitatores: qui in carne non secundùm carnem militant, nulla carnis blandimenta admittunt, & insuper virgines, continentesque æterni voti sponsione sunt.

Vixit Christus obediens usque ad mortem Crucis; innumeri sunt, qui

qui totos se submiserunt alieni regiminis iugo, superaddentes sibi votum obedientiæ perpetuæ propter Christum.

Humilis fuit Christus, & Mitis. Discunt ab eo, æmulanturque in ipso Humilitatis & Mansuetudinis viam, viventes sinè querela & offensione, omnem humilitatem invicem insinuantes, & honore invicem prævenientes.

Passus est Christus; & fideles ejus eâdem cogitatione armantur, atque in patientia offerunt ei fructum tricesimum, sexagesimum, centesimum; gloriantur in tribulationibus, atque omne gaudium existimant, cùm in varias tentationes & persecutiones inciderint.

Bajulavit Crucem suam Christus, tam internam quàm externam. Sunt fideles, qui verè fideles sunt, qui abnegant semetipsos, & tollunt crucem suam quotidie, & mortificationem Christi jugiter in corporibus, & animabus suis circumferunt, adeò, ut profiteantur, nihil se scire, nisi IESVM, & hunc crucifixum, in nullo gloriari, nisi in Cruce Domini nostri IESV Christi, per quem eis mundus crucifixus est, & ipsi vicissim mundo.

Christi Cibus fuit facere voluntatem Patris. Et Christi fideles, in lege Domini meditantur die ac nocte, inquirentes & exequi satagentes, quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta; omni horâ, totisque cordibus clamantes Domino: fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra. Non mea Domine voluntas fiat, sed fiat voluntas tua.

Christus non suam, sed Patris Cœlestis gloriam quæsivit. Et fideles Christi, in eo fidelitatem, fidemque suam Christo commendant, atque comprobant: quia sive comedunt, sive bibunt, sive aliud quid faciunt, omnia in gloria Dei faciunt, sic faciunt coram hominibus opera sua bona, ut ea videntes glorificent Patrem, qui in cœlis est. His clamant jugiter Deo, Magnificat anima mea Dominũ. Clamant jugiter. Exaltetur Deus salutis meæ. Clamant jugiter. Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc & usque in sæculum. Clamant jugiter: Omnia ad Majorem DEI Gloriam.

Christus de manu Patris sui elegit vestitum humilitatis, confusionis, contemptûs, elegit Crucem, & Crucis mortem, confusione, & ignominiâ ejus contemptâ, proposito licèt sibi ex parte altera, gaudio, gloriâ & honore. Et fideles ejus eligunt abjecti esse in domo Domini, magis quàm gloriosè habitare, delicatè vivere in tabernaculis peccatorum. *Exhibentes se sicut* veros Christi discipulos,

2. Cor. 6. 4. *Deiq; ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iustitiæ, à dextris & à sinistris, per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam.* &c.

Christus Bonus Pastor, animam suam posuit pro ovibus suis. Et Christi fideles pro Christo legatione funguntur, tanquam Deo exhortante per eos. 2. Cor. 5. 20. *Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo*; quoniam ipse, *eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Hi die noctuque stant succincti lumbos, & lucernas tenent in manibus suis, tanquam boni dispensatores, & fideles ministri, super familiam Domini constituti, ut dent illis in tempore tritici mensuram, & custodiant vigilias super greges suos, atque ad instar Principis Pastorum, etiam mercenarios, & fures, & lupos, ovilibus Domini propulsant, etiam fortunarum, etiam famæ, etiam sanguinis, etiam vitæ prodigi, pro Animarum Christi sanguine redemptarum salute.

In summa: habet Christus imitatores suarum virtutum, exsecutores suorum mandatorum, custodes suorum consiliorum, æmulatores suarum perfectionum, zelatores suæ gloriæ, dispensatores prudentes, qui sciant familiæ Domini sui dare tritici mensuram in tempore suo, negotiatores industrios, & diligentes, qui unâ Domini sui mnâ, decem lucrentur. Operarios laboriosos, qui non refugiunt portare pondus diei, & æstus, in vinea Domini excolenda: servos denique fideles qui, cùm omnia fecerint, quæ præcepta sunt eis, nihilominùs dicunt. Luc. 17. 10. *Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.*

Neque verò ab hoc redamatorum Iesv Christi Redemptoris, profusissimique nostri Amatoris, cætu excludendi sunt alii fideles ejus, credentes in eum, & ex fide viventes, operantesque opera dilectionis & justitiæ, servantesque mandata Domini, ut mereantur ad vitam æternam ingredi. Et hi enim esurientem Christum pascunt, sitientem potant, nudum vestiunt, peregrinum hospitio excipiunt, captivum redimunt, infirmum visitant, incarceratum solantur, mortuum sepeliunt. Hi quoque oculus fiunt cœco, & pes claudo, & Patres sunt Pauperum, mœrentium consolatores, non negant, quod volunt, pauperibus, neque oculos viduæ exspectare faciunt, neque comedunt

medunt buccellam suam soli, sed eam cum pupillis partiuntur, post aurum non abeunt, neque sperant in pecunia & thesauris, neque dicunt obrizo, fiducia mea; qui benefaciunt malefacientibus, benedicunt maledicentibus, orant pro persequentibus, non vincuntur à malo, sed vincunt in bono malum, nec dant ad peccandum guttur suum, ut maledicant odientibus se. Denique utuntur hoc mundo, tanquam non utantur; abundant in operibus bonis, & jugiter inclinant cor suum, ad faciendas justificationes Domini in æternum propter retributionem. Vide sis patrimonia quæ dederunt pauperibus Christi; monasteria, quæ ædificârunt filiis excussorum Christi; templa, quæ fundârunt honori Christi; altaria, quæ exstruxerunt & instruxerunt sacrificio Christi; Cantus & psalmodias, quibus per templa Christi providerunt resonare laudes Christi. Thesauros auri, argenti, gemmarum, vestiumque pretiosarum, quibus repletæ sunt domus Christi, ornatæ fulgent augustiùs cruces, altaria, imagines Christi. Et hæc omnia sunt patrimonium Christi, sunt merces sanguinis Christi, sunt protestatio flammescentis in cordibus fidelium dilectionis Christi.

Et fatendum est quidem, quia hæc omnia, quæ breuiter enumerata sunt, nihil omnino sunt, si conferantur charitati, quâ excessivè, & superabundanter dilexit nos Christus: attamen etiam negandum non est, attentis viribus nostris, & tenuitate facultatum nostrarum, hæc quoque pro magnis reputanda esse, ut pote fructus multùm ebullientis per corda nostra redamationis Christi, quam in eis constanter efflorescere facit charitas redundans in Passione Christi.

Hæc recogitans pia anima, recordetur se quoque unam esse, ex his, quas profusè prodigèquè amavit Magnus amator Christus, & animetur ad hoc, ut omni conatu virium suarum, satagat, ad semper, semperque ampliùs, profusiùs, prodigaliùs, effundendum se in amorem, & fructus amoris Christi.

MODVS LXXIV.

SEptuagesimus quartus Passionem Dominicam meditandi modus est. Speculari in ea, atque discere exemplariter elucescentem observationem Divinorum mandatorum. Etsi enim tota Domini nostri vita, morûm nostrorum fuit disciplina, nec non speculum exsecutionis præceptorum Dei, atque voluntatis ejus, attestante id, ipso de se Domino: *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Item. *Ego,* Ioan. 14. 31.

Ioan. 8. 29. *Ego, quæ placita sunt ei, facio semper*, nihilominus hæc Christi ad Divinam voluntatem subjectio, mandatorumque plenissima exsecutio, perfectissimâ, & (prout dixi) exemplari, consummativâque ratione eluceſcit, atque resident in Dominica Passione.

Licebit ergo pio meditatori universa decalogi præcepta, à Christo in sua pro nobis Passione accuratissimè adimpleta pervestigare, & in sedulam imitationem observantiæ sibimet assumere,

Exodi 20. 2. I. Præceptum est. Ego sum Dominus DEVS tuus. Non habebis Deos alienos coram me. Servavit & adimplevit Christus Dominus mandatum hoc, in Passione sua, quia Patri suo, hoc est, DEO vero, eum exhibuit honorem atque cultum in Passione sua, qui & uni, & soli DEO debetur, estque omnium cultus eminentissimus: obtulit enim sacrificium & holocaustum Deo, non quale quale, non taurorum aut arietum pinguium millia, sed semetipsum, vitam suam ponens, pro obedientia Dei Patris. Quod olim diabolo adorationem sui suadenti, respondit; *Dominum DEVM adorabis, & illi soli servies*: hoc quàm plenissimè præstitit per Passionem & mortem suam, soli Patri sese non tantùm in servum, sed & in holocaustum & sacrificium immolando. Docens nos in Dei nostri cultum profundere, non omnia tantùm nostra, sed etiam ipsos nos, impendendo, honori & obedientiæ, illi à nobis debitæ, etiam sanguinem, etiam honorem, etiam libertatem, etiam vitam.

Matth. 4. 10.

II. Præceptum. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Nunquam Christus otiosè, nunquam falsò juravit, ac etiam observare est in vita Christi, rarissimè ipsum Dei nomine usum, nec nisi cum speciali aliquo adjecto reverentiam Dei sonante. In tota Passione sua solummodò bis, terue Deum nominavit, idque cum singulari affectu, tum dilectionis, tum reverentiæ, tum fiduciæ, tum obsecrationis, dicens: Deus meus, Deus meus &c. Inter eandem Passionem per nomen Dei vivi adjuratus: eam fecit sanctissimo nomini Dei reverentiam, ut propter eam confessus sit luculentissimè, se Christum Dei Filium, sessurum à dextris virtutis Dei, venturum in nubibus cœli; (estò novisset confessionem hanc capitalē sibi futuram.) Ad hæc: Passione suâ Christus, illa omnia quæ Patribus Deus promiserat, & per semetipsum juraverat, fidelissimè præstitit, persolvitque usque dum in Cruce protestaretur diceretque *Consummatum est*: quidquid nimirum ad Dei Patris honorem, promissorum fidem, salutem nostram, obedientiam & charitatem suam attinebat.

nebat. Quo exemplo docuit nos Dominus ſumma cum reverentia, humilitate, veneratione, parcitate Divinum nomen ſermonibus noſtris interſerere, nec ſinè interiore pietatis, religioniſque ſenſu illud uſurpare.

III. Præceptum. Memento diem Sabbati ſanctifices.] Videri poterat, & de facto Iudæis viſus erat Dominus Sabbatum non cuſtodire, quæ fuit (ut videri volebant) iiſdem cauſa ſingularis, odiorum atque perſecutionum in Chriſtum. Sed inſanam ſuperſtitionem Iudæorum ſatis refutavit Dominus. Maximè cùm ipſe eſſet Dominus etiam Sabbati. At nihilominus exactam Sabbati cuſtodiam in Paſſione ſua demonſtravit, tum quando in cruce corpus ſuum per Sabbatum remanere, tum quando in Sabbato noluit ſibi à fidelibus ullum mortuale obſequium exhiberi, tum denique quia toto die mortem ſuam ſequente Sabbatiſavit, requieſcens in ſepulchro. Conſummato ſalutis noſtræ opere, nec non condito Eccleſiæ ſuæ mundo: prout olim condito mundo hoc viſibili, ſeptimo die requieverat, per hoc inſtituens nos: ut dies cultui Divino deſtinatos non ſolùm habeamus, ſed habitos revereamur, & Divino obſequio laudatione, gratiarum actionibus, orationibus, ſermonibus ſacris audiendis, nec non aliis ſalutaribus operibus, ſanctos, & Deo conſecratos placitoſque reddamus. Ne hoſtes noſtri dæmones, derideant ſibi Sabbata noſtra, prout hodie (pro dolor, & probrum Chriſti!) fieri apud Chriſtianos amat, quibus nulli magis ad omnem licentiam morum, ad omnem turpitudinem exercendam, de more atque inſtituto deſtinati ſunt dies, quàm feſti, quàm ſacri, quàm Deo ſcilicet dicati, ejuſque cultui deſtinati, quaſi hoc eſſet Sabbatum quod Dominus elegit, quodue à ſuis chriſtianis Chriſtus requirit.

IV. Præceptum. Honora Patrem tuum & Matrem tuam.] Conſtat Dominum noſtrum totam vitam ſuam impendiſſe honori, cultui, obſequio, obedientiæ Patris æterni, idque ſub ratione Patris: quem & ideo ſæpiſsimè hoc gratioſo Patris nomine compellare gratiſſimum & uſitatiſſimum habuit. Conſtat etiam, ab eodem Domino Noſtro Matri ſuæ ad uſque annum vitæ trigeſimum, obſequium & ſubjectionem filialem exhibitam, nihilque officii, quod Pietas in parentem poſceret omiſiſſe. Ioſephum quoque Patrem putatum, affectu veri Filii, quoad vixit coluiſſe. Sed hoc tamen præcipuè demonſtravit in Paſſione ſua, in qua licèt undique calamitatibus obſeptus, vereque vir dolorum, & ſciens atque experiens infirmita-

mitatem esset, Matris tamen Cruci suæ adstanti curam minimè præterit, sed eam Ioanni commendans, eidem in eam filialem suum affectum amoris, & curæ indidit: vnde & Ioannes ex illa hora accepit illam in sua. Patri verò æterno tum suam Passionem ac mortem, mortisque ignominiam, in honorem, obsequium, mandatique illius exsecutionem impendit, tum in extremo vitæ periculo, inclinato per summam devotionem, veneratione mque capite, animam suam recommendans, atque tradens in ejusdem Patris manus, exspiravit. Sciens, & nullo se loco melius spiritum suum, quàm in Paternis manibus depositurum; & nullo se gratiore pignore manus Paternas, quàm sui Spiritûs in eas depositione daturum. Hac eadem operâ erudiens nos: tum omnem vitam, nostram cultui honoriquè summè boni, summè pii, summeque venerandi, Patris nostri cœlestis, & nostro, & omnium creaturarum nomine consecrare, tum debito, Parentes, Magistratus, Majoresque omnes honore, ac veneratione, pietatisque officiis colere. Sibi enim hoc vel impensum vel negatum protestatur, quod Majoribus impensum negatumve fuerit, quod in nullius alterius præcepti sui observatione, aut violatione attendit Dеvs, idque adeò delicatè, quasi pupillæ oculi sui res sit.

V. Præceptum. Non occides. Nullum occidit Christus, imò omnes mortuos peccatis, Passione suâ morteque vivificavit, insuper resurrectionem ex mortuis nobis omnibus promeruit. Vnum solùmmodò hostem nostrum occidit, mortem videlicet tam corporis, quàm animæ, tam temporalem, quàm æternam; de qua per Prophetam olim comminatus fuerat dicens. *Ero mors tua, ó mors; & morsus tuus inferne.* Ad hæc etiam peccatum in suo mortali corpore interfecit, una cum chyrographo mortis *affigens illud Cruci.* Cujus figuram olim gessit & expressit David Philistæum interficiens, & suo ipsius eum gladio truncans, demumq; *velut tenerrimus ligni vermiculus sexcentos*, hoc est, innumeros, & universos nostros hostes *interficiens impetu uno.* Atque per hoc etiam nobis fidelibus suis legem fixit, ut proximum quidem, etiam inimicum, & odientem, unusquisque nostrûm diligat sicut seipsum propter Deum, cum peccato autem & diabolo, & mundo, & carne internecinum geramus bellum: donec eos virtute Passionis, Crucis, & mortis ejus conteramus sub pedibus nostris.

Col. 2. 14.
1. Reg. 17. 51.
2. Reg. 23. 8.

VI. Præceptum. Non mœchaberis.] Christus Dеvs Noster, de Spiritu Sancto conceptus, deque intemerata semper Virgine Matre,

tre, virgo natus est, virgo vixit, virgo mortuus est, ut pœne absurdū sit, aliquid pro virginea Christi integritate asserenda laborare. Nihilominus ille sponsus sanguinum factus est Ecclesiæ suæ, quam sibi per sanguinem, crucem, & mortem acquisivit, & exhibuit non habentem rugam, neque maculam: ex cujus mortui latere, tanquam ex novi Adæ costa, ædificavit sibi uxorem, eamque fecit Matrem omnium viventium, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nascuntur filii Dei viventis. Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, ob quod Dominus Jesvs Pater futuri sæculi meritò nuncupatur. Atque hic nobis amabilissimè denuntiat dicens, *sponsavi te mihi in fide.* Et ejus Apostolus. *Despondi vos* (ait) *uni viro virginem castam exhibere Christo.* Ergo videat quisque nostrûm, ut possideat vas suum, non in passione desiderii, sed in sanctificatione, & munditiâ, ut sit virgo & carne, & Spiritu, ut virgo sit, sed prudens, habens lampadem non solùm fidei & spei sinceritate ornatam, verùm etiam oleo bonorum operum plenam, charitatisque igne succensam, 2. Cor. 11. 2.

VII. Præceptum. Non furtum facies.] Attestatur Apostolus de nostro Domino Jesv Christo: quia non est rapinam arbitratus esse se æqualem Deo; quin potiùs cùm dives, imò Deus, & in forma Dei esset, propter nos egenus factus est, ita ut neque ubi caput reclinaret suum, neque ubi pedem poneret, habuerit: insuper autem quæ non rapuerat, furta primorum parentum, omniumque nostrûm, in passione exsolvit. usque ad novissimum quadrantem, in omni rigore justitiæ, nec ad æqualitatem solùm, verùm etiam usque ad copiosum excessum. Et tamen non omisit Dominus exercere rapinam spoliaque diripere ex hostibus tam suis quàm nostris: propter quod nomen illi inditum narravit Propheta. *Accelera, spolia, detrahe. Festina, prædare.* Ergo fortem armatum invasit, vicit, vasa ejus diripuit, & ab ipsis inferis captivam captivitatem eduxit, infernum & diabolum iniquè raptâ possessione, justè spoliavit. Ideo decantatum est illi: *Hæc est præda David, accipite de benedictionibus Domini.* Et illud. *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, accepit & dedit dona in hominibus.* Hæc rapina, hæc spolia, hæc captivitas Christi, nos sumus, & utinam esse amemus, esse curemus, esse perseveremus. Quid enim felicius? sed heu, quàm multi amantes peccata sua, diligunt mortem; & tradunt se diabolo in servos, eligentes maledictionem, & negligentes benedictionem. Filii Levi, fi- Isaiæ 8. 1. 3. 1. Reg. 30. 20. Ephes. 4. 8.

lii potentes, filii excussorum, accingimini, & estote robusti, eruite pretiosum è vili. *Ite ad gentem convulsam & dilaceratam & gementem sub tyrannide, tot dominorum, quot vitiorum. Afferte Domino filii Dei, afferte filios arietum,* diligit enim Dominus noster talem *rapinam in holocausto.*

VIII. Præceptum. Non falsum testimonium dices. Absit ut Christus veritas, ut verax, & testis in cœlo fidelis, & qui cum veritate judicat, & vincit, falsum testimonium dixerit aliquando. Passus est tamen falsos testes, & falsa testimonia contra se audivit, in hora Passionis suæ. Insuper autem protestatus est coram Pilato, *se in hoc natum esse in mundum, ut testimonium perhiberet veritati.* Et præstitit perhibuitque sanè quàm abundè, factaque sunt testimonia ejus credibilia nimis, virtute operum, evidentiâ miraculorum, veritate verborum, ita ut inimici dicerent ei. *Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces.* Nihilominus inimici ejus mêtiti sunt ei, & verisimum testimonium ejus quod dedit veritati coram Caipha Pontifice, & universo concilio, appellaverunt falsum, atque blasphemum, & ob illud proclamatus est, *Reus mortis.* Sicq; testis veritatis, factus est victima falsi testimonii, neque ullam habuêre Iudæi procurandæ & urgendæ mortis Christi causam, aut gravem & speciosam magis, aut falsam ementitamque magis. Et per hoc docet nos Dominus Jesvs, esse nos per omnia servos veritatis, cultores, amicos, prædicatores, professores, tutores.

Ioan. 18. 37.

Matth. 22. 16.

Matth. 26. 66.

IX. & X. Præceptum est. Non concupisces quidquam eorum, quæ proximi tui sunt. Non uxorem, non servum, non bovem- &c. Quomodo Christus Dominus aliquid nostrum concupisceret, qui ad hoc in mundum venit ut sua omnia, & se ipsum nobis impenderet, nobisque daret? Profudit ergo & planè prodegit, in nos, inque usum nostrum omnia sua, & Divinitatem, atque personam cum omni gloria ejus, & corpus, & sanguinem, & famam, & vitam, & animam, & matrem, & merita, & opera, & virtutes, & passionem; denique totum se, quidquid erat, quantus-quantusque erat: ita ut etiam illud quod in latere & corde adhuc sanguinis & aquæ post mortem superfuerat, per vulnus lateris aperti effundi, atque in nostræ salutis Sacramenta transire fecerit. Solâ duntaxat cruce reservatâ sibi, à qua nonnisi alienâ manu, alienâ potestate, & mortuus quidem, depositus sit. Et hæc est disciplina nostra, magisteriumq; nostrum, nobis à summo doctore, ex cathedra crucis traditum, ut

ut si-

ut simus in mundo isto tanquam filii excussorum, nihil concupiscentes eorum, quæ in mundo sunt, nihil commune habentes cum mundo, omnia impendentes saluti nostræ, auxilio proximi, dilectioni Christi, gloriæ Dei, solam crucis, & paupertatis, & Passionis, & stultitiæ Christi possessionem, hæreditatemque nobis usque ad mortem imitatione retinentes, vindicantesque; solo hoc ex Christi bonis patrimonio in hac vita, divites, glorioſi, beati.

MODVS LXXV.

SEptuagesimus quintus Modus Dominicam Passionem meditandi esse potest, advertere quomodo in Dominica Passione eluceat observatio consiliorum Christi. Erit operæ pretium eum meditandi modum in aliquot consiliis Christi declarare.

Ac 1. Quomodo octo Beatitudines quæ propria Christi consilia sunt, in ejusdem Domini nostri Passione reluceant, declaratum est superiùs, Modo. XXXII. *Matth. 5. 3.*

2. Consilium voluntariæ Paupertatis totâ quidem vitâ suâ Dominus exactissimè consectatus est, adeò, ut ab ipso per nativitatem in mundum hunc, vitamque mortalem ingressu, non invenerit ubi caput reclinaret suum; præcipuâ tamen ratione, in tota Passione sua eluxit ejus erga Paupertatem amor, atque observantia. Nudissimus enim in Cruce pependit. Vestimenta sua inter crucifixores partita esse voluit, capite pendulo, & fulcimenti indigo, mortuus est. In siti sua, guttam aquæ non habuit, alienâ syndone involutus ad Sepulturam, alienâ stipe mortui corpus inunctum est, alieno denique in sepulchro conclusus, & conditus est. Nullum successorem bonorum, nullam è suis rebus possidendam hæredi reliquit; nisi alienâ miseratione de Cruce depositus, tumulatusque fuisset, esca futurus erat aut volucrum, aut bestiarum rapacium, sive in Cruce relictus, sive sub cruce projectus. Atque hæc omnia Christo tam fuêre voluntaria, & electa spontaneè, quàm quidquàm spontaneum. *Luce 9. 58.*

3. Consilium voluntariæ virginitatis atque Puritatis, in omni vita servavit, sed specialiter in Passione & morte complevit Dominus noster. In medio enim virginum hoc est, Matris, & discipuli mortuus est, & virginem suam carnem exquisitis subjecit, tum verecundiæ, tum mortificationis occasionibus, & afflictionibus. Et id quidem in pœnam & expiationem omnium & singulorum totius humani generis execrandarum obscænitatum; tum etiam ad emerendam

apud æternum Patrem corruptissimæ, & in turpitudinem luxuriæ projectissimæ naturæ nostræ, omnis castitatis, potissimùm verò virginalis puritatis, & gratiam, & amorem, & studium, & præmium, atque triumphum. Nisi enim Christus virgo virgineam suam carnem, carnis voluptatibus subtraxisset, doloribus autem subjecisset, nequaquam virginum sponsus, & Rex puritatis omnis, castique consilii seminator exstitisset.

4. Consilium voluntariæ obedientiæ, cujus cùm stupendum inprimis Amorem, cultum, exemplumque in Passione Domini nostri videre est, tum etiam votum, professionemque cognoscere. Quemadmodum in primo instanti Incarnationis suæ, ingressûsque sui in mundum momento, professus est Dominus noster Æterno suo Patri obedientiam omnem, asserente id post Psalmistam Apostolo. [*Ideo ingrediens in mundum dicit. Holocaustum & oblationem noluisti, corpus autem aptâsti mihi.* &c. *Tunc dixi, ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut faciam Deus voluntatem tuam. Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* contestans se nullâ suâ usurum libertate, quantumlibet sibi à Patre permissâ, & relictâ, saltem quoad circumstantias, & conditiones mandati de morte subeunda pro nobis, idque voto perpetuo confirmans, & sanciens. Ad eundem modum etiam ex mundo exiens, atque ad Deum vadens, & sciens quia omnia dedisset ei Pater in manus, nihilominus factus est obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, atque cùm hîc jam prospiceret terminum tam suæ Passionis, quàm Paternæ voluntatis, minimè autem suæ ad obediendum ultrà promptitudinis: non dubitavit Paternam voluntatem provocare, ad suggerendam adhuc alacritati suæ patiendi ac obediendi materiam, propter quod inclamavit in Cruce, *Sitio;* in quo nimirum ampliùs Patri obedire, & suæ ad obtemperandũ fami sitive obsequi posset. Cùm verò animaduerteret Patri Æterno nullam ampliùs esse imperandi sibi voluntatem: ergo filiali simul humilitate, simul subjectione, persimilis querenti, ait, ad Patrem. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Obliviscens famelicæ sitibundæque promptitudinis meæ ad obedientiam Tibi ô Pater, quia nullam mihi jam dignaris suppeditare præcepti materiam. Quòcirca quoniam obedire ulteriùs non possum Tibi, *& consummata sunt omnia* quæ placuerat imperare mihi, sit itaque finis vivendi, quandoquidem est finis obediendi. Non enim lubet ultra vivere, quoniam non licet ultra obedire. Ergo *in*

manus

manus tuas Pater commendo Spiritum meum, ut eadem sit mihi clausula vivendi, quæ & obediendi. Atque in hac quoque *voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis IESV Christi.* Ioan. 19. 28. Luc. 23. 46. Hebr. 10. 19.

5. Consilium Christi. *Oportet semper orare & non deficere. Igitur vigilate omni tempore orantes.* Hoc consilium suum Incarnata sapientia Christus, totius quidem vitæ suæ decursu exercuit, sed maximè illi in sua Passione deditus fuit; quin imò Passionem suam totam, fecit orationem perpetuam. Cùm enim tota ejus Passio, crux, & mors, aliud nihil sit, quàm sacrificium, atque adeò holocaustum, quod pro omnium salute, unigenitus Dei, Deo Patri obtulit, constat autem sacrificium esse præstantissimam orandi speciem, sequitur quidquid in Passione Christi est, seu quidquid Christus Passus est, id totum orationem ejus fuisse. Et præter hoc, initium Passionis Christi, oratio perquam accurata fuit in horto Getsemanico. Deinde per totius Passionis cursum, illa perpetua Christi oratio fuit: *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Iam verò in Cruce per tres horas cùm penderet vivus: *preces & lachrymas cum clamore valido obtulit Patri*: quas Psalmo suo toto David Rex prophetaverat, ad extremum totam vitæ periodum orando, & in manus Patris Spiritum suum commendando tradendoque absolvit. Luc. 18. 1. Luc. 21. 36. Luc. 23. 34. Hebr. 5. 7. Psal. 21. toto.

6. Consilium Christi. *Omnis qui se humiliat exaltabitur, & omnis qui se exaltat humiliabitur.* Hoc consilium à Christo in Passione completum, qui non agnoscit, planè nihil in ea, nihil in Christi fide, nihil in ipso Christo agnoscit. Ad hoc explanandum sufficit illam Apostoli tum enarrationem, tum etiam simul exhortationem adducere. *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo IESV: qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed exinanivit semetipsum, formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine IESV omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Quibus verbis graphicè Paulus & exinanitionem humiliationemque Christi, & ejusdem exaltationem, & denique nostram obligationem, atque etiam exspectationem complexus est. Luc. 14. 11. Phil. 2. 5.

7. Consilium Christi. *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. Orate pro persequentibus vos, benedicite maledicentibus vos.* Et quid est tota Christi Passio, si non hujus consilii praxis, atq; Matth. 5. 44.

exsecutio? Nam præter illam inauditæ mansvetudinis vocem, quâ Dominus in medio acerrimarum passionum, orabat ad Patrem non se postulans vindicari, sed crucifixoribus suis petens ignosci; utique tota Passio fuit inimicorum & dilectio, & cum irati Dei justitia reconciliatio. *Etenim cùm adhuc inimici essemus reconciliati sumus Deo per Christum*, perque mediantem ejus Passionem, & mortem. Quare etiam usque hodie in singula momenta, & usque ad mundi finem Passio Christi præcipuè operatur unam dilectionem inimicorum, reconciliationem injuriosorum, veniam peccatorum, gratiam ingratorum, amorem persecutorum, provocationem infidelium, justificationem iniquorum. Ita ut sinè Passione Domini, pacem cum DEO habere nemo possit, cum ea verò nemo non possit. Adhuc ergo hodie Christus clamat de Cruce pro nobis ad Deum, *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Quæ vox nisi semper in paternis auribus, per vulnera & mortem unigeniti personaret, indubitatè totus mundus in suarum eluvione iniquitatum disperiret. Sed oratio Patientis Domini pro peccatoribus scutum est atque protectio peccatorum ab justo furore Domini irascentis.

In hunc modum, cætera consilia Christi in Passione Christi eluceſcentia, pio meditatori considerare licebit, hæc autem in exemplum dedisse hoc loco sufficiat. Alia consilia Domini sunt. *Quæ tua sunt, ne repetas. Si quis percusserit te in unam maxillam, præbe illi & alteram. Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est. Qui major est vestrûm, fiat sicut minister. Gratis accepistis, gratis date. Dimittite, mortui sepeliant mortuos suos. Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me.* Et alia ejusmodi.

Luca 6. 30. Matth. 5. 39. Matth. 5. 48. Matth. 20. 26. Matth. 10. 8. Matth. 8. 22. Matth. 19. 21.

MODVS LXXVI.

SEptuagesimus sextus Passionem Domini meditandi Modus est: applicando nostras ad illam, vel illam ad nostras passiones, sive affectiones, tam quæ in concupiscibili quàm quæ in irascibili appetitu residen. Habent enim si diligenter attendimus omnes nostræ affectiones in Passione Christi, in ipsoque Christo Passo, pabulum suum, speculum suum, exemplar suum, frenum suum, regulam suâ, locum suum, præmium suum, quæ omnia devoto meditatori in Christi Passione scrutari licet. Ejus rei partem aliquam in Paradigma dabimus. Quia verò ut duplex est noster appetitus, nempe concupiscibilis, & irascibilis, ita duplices quoque reperiuntur in nobis

bis passiones. In appetitu concupiscibili reperiuntur passiones sex. Amor, desiderium, delectatio, seu gaudium & fructus. Item Odiũ, fuga, tristitia, seu dolor. In appetitu irascibili est Ira, spes, desperatio, audacia, timor. De utrisque hisce passionibus, quatenus circa Dominicam Passionem occupari possint, dicemus. Et quidem in præsenti modo, de passionibus appetitûs concupiscibilis, in sequenti verò de passionibus irascibilis appetitûs tractabimus, ne videlicet unius modi tractatio æquo longiùs excrescat.

Hi ergo omnes affectus reperiuntur in naturæ nostræ parte inferiori, quâ cum brutis communicamus. Rationalis autem voluntas, quæ in superiore nostrî portione est, unica licèt sit in se, omnibus tamen iisdem affectionibus suo modo æquivalet, & supra dictis utitur; sed interdum ita, ut eis obsequatur, & ab eis abripiatur, obluctante ratione, & tunc mala est: interdum autem ita, ut eis ipsa dominetur, easque juxta lumen, & dictamen rationis ac divinæ legis, fideique regulam gubernet, & tunc bona est. Vnde illud vulgare sed laudabile dictum. Voluntas si rationem sequitur, virtus est; voluntas si rationem non sequitur, vitium est. Vt ergo voluntas nostra cum passionibus suis rationem sequi condiscat, & consvescat, & delectetur, ad Dominicam Passionem sese convertat, & exinde omnẽ sui, passionumque disciplinam desumat & hauriat.

I. Amor in Passione Domini plùs quàm luculenter addiscit, quid amare debeat, quid non amare. Quantum amare: & propter quid amare, & quomodo amare oporteat. Passio enim Christi clamat, nobis amorem Christi in DEVM, & amorem nostri propter DEVM, & quomodo amatus sit Deus à Christo, super omnia, quomodo amati nos à Christo propter Deum. Et hoc suo clamore eadem Passio Christi edocet nos, pari modo, & à nobis, amandum esse Deum super omnia, super vitam, super animam, super famam, super dignitatem, super totum mundum, super libertatem, super bona omnia: Nos autem & proximos nostros, amandos esse à nobis, propter Deum, & secundùm Deum, ejusque voluntatem, atque gloriam. Quocirca Passio Domini est ipsissima schola, disciplina, regula amoris, in qua nihil magis inclamatur: quàm illud. Dilige, quia dilectus es. Dilige, quomodo dilectus es. Dilige, quantùm dilectus es.

II. Desiderium, habet eruditionem pabulumque suum, in Dominica Passione. Desiderando quod Christus desideravit, quomodo Christus desideravit, ad quid, & quantum Christus desideravit.

Desi-

Desideravit Christus Deum, & ejus gloriæ amplificationem, Majestatis, ac perfectionum notitiam, & manifestationem. Voluntatis, & legis ejus, beneplacitique, tum cognitionem, tum amorem, tum adimpletionem. Desideravit quoque Christus suimet quâ Devs-Homo est, apud homines notitiam, fidem, amorem, præceptorum, & consiliorum amplexionem, vitæ morumque imitationem, sanguinis, meritorum, mortis, & Crucis studium, nobisque communicationem, & à nobis appretiationem: ad extremum Redemptionem nostram à captivitate diaboli, & damnationis æternæ necessitate, ablutionem à peccatis eorumque veniam, justificationē, sanctificationem, acquisitionem vitæ æternæ. Et propter hæc omnia supra dicta, desideravit omnem exinanitionem sui, ex forma Dei usque ad formam servi, formam peccatoris, formam maledicti, formam ab hominibus exterminati, contempti, stulti, nudi, egentis, afflicti, crucifixi, in cruce mortui, atque sepulti. Propter hæc omnia desideravit in stabulo nasci, profugus & exul nutriri, pauperculus extremè vivere, subdi hominibus jejunare, sitire, totis noctibus in oratione pernoctare, fatigari, laborare, persecutiones, invidias, opprobria, calumnias, contumelias, insidias perpeti, cum publicanis, cum peccatoribus, cum vilissimorum hominum fæce conversari: ad extremum dura, & horrida, & probrosa omnia, ipsamque mortem inter iniquos sustinere, & obire. Hæc Christus desideravit, & desideravit desiderio, per totam vitam suam, continuato; ardenti; & (ut ipse Christus loquitur) arctante ipsum præ vehementia sui, desiderio cum notitia plena omnium desideratorum conjuncto, desiderio constante & perseverante, efficaciique usque ad mortem. Desiderio puro, nulli temporali bono permisto, sed toto divino, æterna sapiente, in Deum, & ejus gustum, gloriamque defixo, neque abrupto aut finito, priusquam ad exitum deductum, consummatumque esset. Desiderium hujusmodi Christus nobis totâ suâ vitâ, & Passione, & Cruce, & morte, commendavit. Tale desiderium nostrum omne esse vult, tali desiderio nos vivere, pasci, saginari, immori, vult, & mandat. Omnia alia desideria nostra, quæ hoc non redolent, neque huic supervivunt, reprobat, & respuit, noxia nobis esse, damnabilia, & in laqueos diaboli inducentia, inque æternum interitum mergentia denuntiat.

3. Gaudium sive Delectatio atque fructus, habet item eruditionem suam pabulumque in Passione Domini. Est enim Passio Domini

mini Exaltativa & glorificativa Dei, ejusque Potentiæ, Iustitiæ, Sapientiæ, Misericordiæ, Bonitatis, Charitatis, Veritatis, Majestatis, Longanimitatis, reliquarumque plurimarum ejus perfectionum. Est item eadem Passio Domini, exaltativa & commendativa nobis, & omni rationali creaturæ, ipsiusmet Christi, tanquam Dei-Hominis, propter voluntatem Patris, propter misericordiam suam, propter salutem æternam nostram, Incarnati, Nati, Passi, Crucifixi, Mortui. Est quoq; eadem Passio Domini, nostra salus, & vita æterna, estq; ablutio & absolutio à peccatis; est condonatio reatûs æterni; est liberatio à morte tam temporali, quàm æterna; est redemptio à servitute diaboli; est victoria tentationum; est exterminium omnis malitiæ; est confortatio ad laborem; est excitatio, & corroboratio ad passiones; est justificatio ab iniquitate; est fons gratiarum, & virtutum, & meritorum; est jus ad omnem veniam, ad gratiam, ad justitiam, ad filiationem Dei, ad fraternitatem Christi, ad cohæreditatem ejusdem, ad inhabitationem Spiritûs Sancti, ad amicitiam, charitatem, desponsationemque Dei, est denique clavis ad cœlum, porta ad Regnum, Meritum ad præmium, thessera ad victoriam, via ad palmam, reductio ad Deum, introductio ad vitam & Beatitudinem, & Gaudium Æternum. Et estne aliquid excogitare, quod ad Gaudii nostri vel formam, vel materiam desit, & in Passione Domini non sit? Adhucne Gaudium nostrum, pabulû sibi quæret alibi extra Dominicam Passionem? Adhucne stultæ mortalium Animæ vagabuntur per creaturas, à quibus emendicent suas consolationes? Adhucne insipiens homo gaudere appetet de terrenis? de sordidis, de vanissimis, non bonis, sed veriùs bonorum umbris, bonorum fecibus, bonorum somniis, atque fallaciis? Vtinam toti humano generi libeat exclamare. Mihi absit gloriari, absit gaudere, absit exultare, & lætari, & quiescere, nisi in Cruce, nisi in Passione, nisi in Morte Domini nostri Iesv Christi, per quem mihi mundus quidem crucifixus, & contemptus, exosusque est, & ego vicissim mundo. Ipse verò Dominus meus Iesvs Christus, gaudium meum, & gloria mea, & corona mea est, & ego vicissim Christo.

4. Odium quoque habet disciplinam & pabulum suum in Passione Christi, quemadmodum Patiens Passusque Dominus noster docuit nos, quid, quantum, quomodo, & propter quid amemus, desideremus, gaudeamus: ita etiam eâdem operâ docet nos quid oderimus, fugiamus, & detestemur. Oderat Christus omne id, quod

sciebat esse Dei Patris gloriæ, atque voluntati, inimicum, nostræque saluti, & beatitudini æternæ pernicioſum. Oderat peccatum, oderat amorem mundi & ejus vanitatem, oderat carnis deſideria & opera, oderat propriam voluntatem, proprium amorem, & ſuperbiam cordis, oderat mortem noſtram, & temporalem, & multò magis æternam, oderat diabolum Patrem mendacii, & omnis peccati, & homicidam. Hæc Chriſtus oderat, horumque odio factus eſt Deus-Homo, Contemptor per omnia omnis concupiſcentiæ oculorum, concupiſcentiæque carnis, & ſuperbiæ vitæ. Horum odio ſectatus eſt extremam rerum omnium penuriam & neglectum, inſatiabilem & invictam innocentiſsimi corporis mortificationem, vexationem, dolorem, planè ut vir dolorum, & ſciens infirmitatem, meritò vocaretur: denique intimam, cordialem, & exinanitivam ſuimet humiliationem, & contemptuum contemptum, honorumque & omnis apparentiæ humanæ fugam. Horum odio, totum quidquid in ortu, vita, Paſsione, morte, honore, & virtute, & Perſonâ, & Dignitate paſſus eſt, totum hoc inquam horum odio paſſus eſt. Horum odiū & contemptum ſuo nobis adeò luculento, adeò efficaci, adeò irrefragabili, exemplo ſvaſit, & indixit, ut luculentius, efficacius, convictiviuſque, neque nos effingere, aut exſpectare, neque ipſe exhibere & adhibere potuerit. Et hæc cùm ita ſint: adhucne odiet homo ea, quæ amavit Deus? aut amabit adhuc ea, quæ odio habuit Deus? adhucne amplectetur Chriſtianus, quæ averſatus eſt Chriſtus? aut adhuc averſabitur Chriſtianus, quæ amplexatus eſt Chriſtus? O filii hominum uſquequo gravi corde? uſquequo diligitis odienda? odiſtis amanda, & reprobatis quæ ſapientia æterna probavit, acceptatis quæ eadem ſapientia incarnata repudiavit, & vos repudiare docuit: docuit verò non perſvaſibilibus & futilibus humanæ ſtultitiæ verbis: ſed inauditis, atque ſoli ſapientiæ Increatæ Incarnatæque congruis & condignis, exemplorum argumentis, & argumentorū exemplis, qualia quidem in Paſsione potiſsimum Chriſti, omni ſole clariùs eluceſcunt.

5. Fuga ſive Averſatio. Quam ſimiliter erudivit Domini noſtri Paſsio, & Crux, & Mors, atque etiam antegreſſæ vitæ tum facta, tum dicta. Ex dictis Domini eſt illud. *Si vos perſecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam. Dico vobis non conſummabitis omnes civitates Iſraël*, fugiendo ex una in aliam, *donec veniat dies Domini.* Et alio loco dicit Dominus. *Orate, ut non fiat fuga veſtra in hyeme, neque in Sabba-*

Sabbato. Facto autem Dominus fugam probavit, toties manus hostium lapidaturas, præcipitaturas, comprehensuras effugiendo, nec non seſe abſcondendo. Non ſolùm autem fugam noſtram Dominus inſtruxit quaſi Corporalem, ſed etiam Spiritualem: ut cùm monuit. *Attendite à fermento Phariſæorum. Attendite à falſis Prophetis. Cavete: ne juſtitiam veſtram coram hominibus faciatis. Attendite ne corda veſtra graventur à crapula & ebrietate. Nolite jurare omnino. Nolite iraſci. Nolite judicare. Nolite condemnare.* Porrò diabolum ſvadentem ſibi præcipitium, rejecit Dominus opponens non eſſe tentandum Deum; ſimiliter eundem adorationem ſui à Domino mercantem, pro omni gloria mundi, rejecit atque averſatus eſt, vibrans in eum fulmineum illud. *Vade Sathana, Dominum DEVM tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Sunt plures in verbis Domini noſtri ejuſmodi informationes, fugam noſtram erudientes. At præterea reperire eſt, alterius quoque ordinis & generis fugæ noſtræ informationem in Chriſti factis, dictiſque, ac potiſſimùm in Paſſione. Non jam ſcilicet fugiendo mala & adverſa, ſed potiùs fugiendo & averſando fugam adverſorum. Tale eſt dictum illud Petro, avocanti Chriſtum, à cogitatione Paſſionis ſuæ. *Vade retrò Sathana: ſcandalum es mihi. Non ſapis quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum.* Tale & illud eidem Petro dictum, proſilienti ad defenſionem ſui in Horto: *Converte gladium tuum in vaginam* &c. *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* &c. Tale & illud dictum ad diſcipulos, cùm ante captivitatem ſuam obviam iret Iudæ, & miniſtris comprehenſuris eum. *Surgite eamus, ecce appropinquat qui me tradet.* Quo verbo, abſterſit omnem illam quæ in portione inferiori reſidebat fugam, averſationem, deprecationemque Paſſionis, in cujus tanquam mare ſeſe demerſit dicens paulò poſt hoſtibus ſuis. *Hæc eſt hora veſtra: & poteſtas tenebrarum.* Stetitque Dominus per totam Paſſionem ſuam in hoc firmitatis gradu, & fugæ omnis abjectione. Quâ confeſſus eſt Pontificibus & Concilio venturum ſe judicem cum majeſtate magna in fine mundi. Quâ rejecit Pilatum jactantem poteſtatem vitæ & necis ſuper ſe: rejecit Herodem, cui non reſpondit verbum, ad ſermones ejus multos; rejecit etiam mulierum plangentiũ ſuper ſe parùm opportunam humanitatem: rejecit denique ſvadentes deſcenſum de Cruce, & fidem in eum promittentes. Sic Dominus noſter fugam noſtram erudiit, docuitque verbo & facto, fugere quæ verè & meritò fugienda ſunt. Non fugere, quæ propter Deum ſalutemque æternam fugienda non ſunt.

Matth. 24. 20.
Luc. 12. 1.
Matth. 7. 15.
Matth. 6. 1.
Luc. 21. 34.
Matth. 7. 1.
Matth. 4. 10.
Matth. 16. 23.
Matth. 26. 52.
Ioan. 18. 11.
Matth. 26. 46.
Luc. 22. 53.

6. Ha-

6 Habet quoque in Passione Domini pabulum suum Tristitia nostra, quâ Dominum in Passione sua laborâsse, testes sunt Euangeliſtæ, dicentes cœpisse *Dominum pavere, tædere, contristari, & mœstum esse.* testis est ipse Dominus, de se discipulis suis enuntians: *Tristis est Anima mea usque ad mortem*: quibus suis verbis, non tantùm durationem, verùm & vehementiam tristitiæ suæ significavit, asserens tristitiam suam, & lethalem mortiferamque esse, & nonnisi cum ipsa morte cessaturam. Qui autem fuerint fontes Tristitiæ tantæ Domini, non est difficile eos invenire & assignare. Tristatus enim est ob omnes, & singulas iniquitates omnium nostrûm; enatasque ex eis injurias & offensas Patris Æterni, nec non justissimas, nullis autem creaturæ viribus & conatibus expiabiles, placabilesque vindicis iras. Tristatus est de indubitata ac irremediabili humani generis totius perditione. Tristatus est de impossibilitate remedii, quo salvari genus humanum justè & condignè posset: præterquam per suam Passionem & mortem in Cruce pro hominibus in hunc, salutis scilicet, finem suscipiendam. Tristatus est, Hoc salutis redemptionisq; Humanæ, per suam mortem remedium, nonnisi mediante Deicidii inaudito scelere, ab ipsismet hominibus perpetrato, in exsecutionem venturum. Tristatus est ob exiguum numerum eorum, quibus sua Passio & Mors efficaciter ad salutem æternam suffragatura, immensam autem multitudinem eorum, qui propriâ suâ culpâ excidere debebant à fructu redemptionis, videlicet à salute æterna, potiusque eis mors sua, & Passio in cumulum & augmentum damnationis æternæ convertenda erat. Tristabatur de propria Passione & Morte, tanquam Dei-Hominis, tanquam Capitis humani generis universi, tanquam Principis, Regis, Domini, Hæredisque rerum omnium, & quidem de adeò amara, probrosa, immani, omnibusque modis exaggerata morte. Tristabatur de dilectissimæ Matris suæ omnium dolorum dolorissimo dolore, orbitate, probrositate. Tristabatur de suorum discipulorum, amicorum, fidelium, afflictione, metu, perturbatione. Tristabatur de Ecclesiæ suæ, tanto sumptu à se quæsitæ, tanto labore constitutæ, & ædificatæ, prope modum ruinâ, & extinctione, nisi in unicæ Matris suæ inconcussa stabilitate fidei, spei, & charitatis consisteret atque perduraret. Tristabatur de indignissima exosissimaque ingratitudine, abusu, contemptioneque omnium pæne hominum, etiam credentium, quâ illi & in Salvatorem, & in salutem suam, per omnes ætates usque ad mundi finem propriâ voluntà-

Matth. 26.37. Ib. V.38.

luntatum impietate grassaturi erant. Tristabatur de hostium suorũ simulque nostrorum, potissimùm dæmonum consolatione & insultatione, quam habituri & exercitaturi erant, de tanta sanguinis atq; mortis suæ inutilitate, sterilitate, contemptu, perditione, evacuatione. Eligentibus innumeris hominum myriadibus, dæmonibus potiùs adhærere, obsequi, obedire, sub eorumque tartareo jugo, gemere, demumque æternaliter cum ipsis perire; quàm Christo Redemptori, & Salvatori, & Deo, & Domino legitimo, simul & amabilissimo, præmiatori liberalissimo servire, & serviendo, sese gratissimos Passionis ac mortis Dei sui fructus exhibere, Filios Dei, fratresque, & cohæredes Christi præstare, ac tandẽ æternæ beatitudini idoneos, condignosque reddere. Quæ quidem res, tantam indignitatem ex se, tantamque enormitatem habet ex multitudine, ut Dei Christi tanta pro hominibus Passi, tanta autem ab iisdem hominibus indigna perenniter patientis, ipsos dæmones capiat miseratio, si vera testantur historiæ, referentes, ipsorum dæmonum, de hoc confessionem. De his omnibus tristabatur Christus tristitiâ inenarrabili, in agoniam extremam cruentumque sanguinem desinente, ut qui hæc omnia & habuerit menti suæ præsentissima, & per animi sui sapientiam perspectissima, atque suis momentis expensissima, & exploratissima. Hæc eadem omnia Tristitiæ nostræ occupandæ, erudiendæ, pascendæ, sola idonea sunt, sola sufficiunt, sola denique debita sunt, aliarum autem rerum omnium jacturam, rectus animus, vix ad tristitiæ suæ sensum admiserit.

apud Laurentium à Ponte in Matthæũ c. 1. An Mor. 36. n. 24.

MODVS LXXVII.

SEptuagesimus septimus Modus Dominicam Passionem meditandi sit, reliquarum passionum seu affectionum nostrarum, quæ in appetitu irascibili sunt, in eadem Passione Domini investigatio, occupatio, instructio, atque ad normam Christi compositio.

Prima harum est Ira. Hæc in Dominica Passione discit: quomodo irascendum sit peccato: illudque vindicandum. Quomodo portanda sit ira Dei: quomodo proximorum & inimicorum iracundia, malevolentia, & invidentia, & omnia injuriarum genera sufferenda sint: quomodo iræ modus ponendus sit. Etenim in Domini Passione elucescit magnitudo Iræ & Zeli Divini contra peccata. In Passione quoque Christi discimus à Christo, quomodo is iram Patris æterni, pro nostris peccatis, in se, pleno diluvio effusam supportavit, ac

simul quomodò & à nobis ira Domini supportanda sit, nos edocuit. Item in Passione Domini discimus, mansvetissimam & invictissimã Patientiam, insuper etiam dilectionẽ inimicorum, pro ipsis ad Deum supplicationem, eorumque excusationem. Ex Passione quoque Domini discimus, in quàm absurdos furores, & in quàm belluinam, tartareamque rabiem, ira & invidia præcipitare possit homines, si ei frena laxent. Vna enim Ira, & invidia, & Odium, omnes Iudaici populi ordines, ab infimis usque ad supremos, ad usque Deicidium deduxit, in illudque furoris baratrum (quod expressêre, tum verbis Prophetæ. *Eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur amplius.* tum propriis. *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros.*) præcipitavit. Ex Passione ergo Domini nostri, discimus fugere iram Dei, iratsci peccatis tam nostris, quàm etiam (cùm id nostrâ interest) alienis. Supportare iram Domini humilitate & patientiâ: proximorum iras mansvetudine, & beneficentiâ frangere, nec vinci à malo, sed in bono malum vincere, locumque Iræ proximi non resistendo dare. Denique propriæ iræ ita dominari, ut nec sol occidat super eam, nec in voluntatem veniat alienatio à proximo, etiam ingrato, etiam adversario, etiam maledico, atque malefico. Hæc omnia, si nos Passio Domini non edocet, nulla certè disciplina docendæ, domandæque iræ nostræ sufficiet.

Secunda Passio est Spes. Hanc, sola pro omnibus, Passio Domini, & fundat, & formar. Ex Passione Domini etenim, & venia peccatorum, & Gratia virtutum, & Meritum æternæ vitæ, & victoria tentationum, & certitudo præmiorum, & invitatio ad labores, & solatium in afflictionibus, & auxilium in difficultatibus, & robur, contra nostras infirmas; hostium autem robustas vires, & indubius exitus futurorum promissorum, velut ex fonte inexhausto promanant. Etenim si Pater Æternus proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus, tradidit illum: quomodo non etiam omnia nobis cum ipso donavit? Si Christus tradidit se ipsum, & animam suam in mortem pro nobis, quid ei supereſt, quod nobis negaturus sit? Si Passione & morte Christi deletum est etiam illud singulare Deicidii peccatum, quod erit peccatum, quod non eâdem Passione expiabile sit? Quis desperabit salutem, sciens se habere Deum Salvatorem, & pignus salutis ejusdem Passionem atque mortem? Si quis hominum major est peccator, quàm Christus Redemptor atque Salvator, dubitet de venia peccatorum suorum. Qui dedit pro nobis vitam

suam

quam Divinam, quomodo non dabit nobis vitam æternam, quam ut negare non posset, anticipato dedit in pignus, imò in pretium ejus, vitam suam. Quid multa? Mors & *Crux Domini nostri, omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.*] In qua veluti in mari residet atque redundat copiosa redemptio, inexhausta miseratio, nimia Charitas. Quam nulla obruunt peccata, nulla exhauriunt promerita, nulla fatigant aut definiunt sæcula. *S. Leo Serm. 8. de Passione.*

Tertia Passio est. Desperatio. Et huic Passioni est in Cruce morteque Domini, sua eruditio. Quantum enim illa profundit nobis de spe, tantum detrahit de desperatione. Vbi enim totum occupat certitudo spei, ibi nullus relinquitur locus desperationi. Idcirco infelicissimus est omnium Iudas proditor, qui elegit potiùs decurrere ad desperationis laqueum, quàm exspectare de Passione & Morte proditi à se Magistri ac Domini, spei & miserationis remedium. Felix Petrus, cui abnegatio & abjuratio Domini sui, sicut non præclusit viam ad amaram pœnitentiam, ita non denegavit locum ad veniam. Felix & latro in Cruce, qui ad latus Domini pendens crucifixi, ex latrone Apostolus, ex blasphemo confessor factus & Martyr, dum à Domino verecundè postulavit sui in Regno memoriam, consequi meruit à Domino & cum Domino Paradysi gloriam. Nemo ergo desperet peccatorum veniam, nisi qui cum Iuda in laqueo agit pœnitentiam. Alio porrò modo Passio Domini deprecationem nostrâ format. Injiciendo nobis desperationem omnem salutis obtinendæ aliter, quàm per gratiam miserationemque Dei, & per fidem, spemque in Christum, per participationem gratiæ, charitatis, sanguinisque & mortis ejus, per communicationem meritorum in Ecclesia & Sacramentis ejus, per observationem mandatorum ejus, per imitationem morum, & virtutum, & exemplorum ejus. Propter quod ipse Dominus noster dixit, *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti IESVM Christum.* Et iterum. *Ego veni ut oves meæ, vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Et iterum. *Oves meæ, vocem meam audient: & ego cognosco eas, & sequuntur me. Et ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & nemo rapiet eas de manu mea.* Idem asseruit post mortem resurrectionemque suam. Apparens enim discipulis ait illis. *Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertiâ die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum, in omnes gentes.* *Iodn. 12. 10.* *Ib. V. 27.* *Luc. 24. 46.*

gentes. Neque alia fuit omnium Apostolorum Prædicatio, ut ita omnium vice testatus est Petrus Apostolus, adducens insuper testimonium Prophetiæ Moysi dicentis. *Act. 3. 22.* *Quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus DEVS vester, de fratribus vestris, tanquam me: ipsum audietis juxta omnia quæcunq; locutus fuerit vobis. Erit autem, omnis anima, quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe.* *Act. 4. 11.* Rursus verò etiam idem Petrus de Christo Domino. *Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli, & non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

Quarta Passio est Audacia. Et hic affectus noster in Domini nostri Passione eruditur quàm maximè; Dominus enim noster sicut animosissimè negotium patiendi ac moriendi in Cruce pro nobis suscepit, ita pari constantiâ animi illud exsecutus est, atque consummavit. Propter quod ultro prodiit hostibus suis obviam, seque permisit voluntati eorum, dicens. *Luc. 22. 53.* *Hac est hora vestra & potestas tenebrarum.* Propter hoc etiam adjuranti se Caiphæ Pontifici, non tantùm Christum se esse filium Benedicti Dei, (quod interrogabatur) disertè professus est, verùm addidit, venturum, futurumque se Iudicem omniũ. *Matth. 26. 64.* Pilato quoque oggerenti suam super ipsum vitæ necisque potestatem: audaci & rotundo verbo respondit. *Ioan. 19. 7.* *Non haberes potestatem adversùm me ullam: nisi tibi datum esset desuper.* Fuit & illud Audacis animi constantisque verbum ad mulieres eum plangentes, quo illas à se quidem plangendo dehortatus est, adhortatus verò ut potiùs super se ipsas, & super filios, flerent: quoniam superventuri essent eis extremarum calamitatum dies. Quid verò, quod in media positus morte, inque Crucis patibulo, latronum medius, tanquam latronũ maximus, latroni nihilominus Regnum appromittit, & largitur. Denique cùm ob id præcipuè ad mortem Crucis à Iudæis adactus esset; *quia filium Dei se fecit,* & quia *Patrem suum dicebat Deum:* nihilominus in auribus Principum omnium, & populi universi, de Cruce voce magnâ succlamans eandem repetiit Divinitatis unius ejusdemq; cum Patre professionem. *Luc. 23. 46.* *Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum; & hæc dicens exspiravit.* Post Resurrectionem autem suam *Luc. 24. 36.* sistens se discipulis, hanc ipsis animi audaciam & constantiam, attulit, indixit, inspiravit. *Ioan. 16. 33.* *Pax vobis, Ego sum. Nolite timere.* Et iterum. *Confidite. Ego vici mundum.* Et rursum accedens ad eos locutus est eis dicens. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.*

Eun-

tes ergo docete omnes gentes, baptisantes eos, in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti, docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi. Quibus verbis, ad firmandam formandamque nostram audaciam in Divinæ gloriæ atque voluntatis, item in nostræ atque proximorum salutis negotio atque studio, accedentibus ejusdem Domini Passionis tum meritis, tum exemplis, nihil efficacius, nihil optabilius.

Quinta Passio est. Timor. Habet hic quoque in Dominica Passione institutionis pabulum. Vbi enim homo potest expressiùs, efficaciùsque discere timenda & non timenda, quàm in Passione Domini, & Passo Domino? Asseruerat aliquando Dominus discipulis. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animæ autem non habent quid faciant. Ostendam autem vobis quem timere debeatis, Timete eum qui postquam occiderit corpus, habet potestatem animam mittere in gehennã. Ita dico vobis, hunc timete.* Quod asseruit verbo, hoc expressit exemplo. Non timuit timorem hominum, non invidias, non linguas, non contumelias, non insidias, non potentiam, non violentiam, non armatos, non gladios, non tormenta, non falsa testimonia, non flagellationes, non spinea serta, non livores, non vulnera, non famem, non sitim, non extremam pauperiem, non infamiam, non probra, non Crucis patibulum, atque tormentum, non insultationes inimicorum, non denique crudelissimam & violentissimã mortem. Vnius ac solius Patris Æterni Reverentiam, Honorem, voluntatem, & obedientiam, atque Pietatem, & nostræ salutis studium, istis omnibus opposuit, & præposuit. Immo tantum abfuit ut illa timuerit, ut potiùs ea totis suis viribus, omnibusque vitæ momentis desiderio desideraverit, & gaudens lætabundusque ad ea festinaverit, atque etiam inter beatitudines suas, inter exaltationis suæ beatificæ necessaria media reputaverit. *Oportet* (ait ipse Dominus) *exaltari filium hominis.* Et rursum. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Et ejus Apostolus de eodem. *Qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem, confusione contemptâ,* ac ne quidem attentâ, sed potiùs totâ Passionis acerbitatum eluvione, calicis unius instar haustûsq; loco reputatâ. Ob quod dixit ad Petrum. *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum.* Ita Dominus noster & ipse timuit, & nos etiam timere docuit, aliud nihil, quàm Patris Æterni majestatem, atque voluntatem, & animarum nostrarum salutem neglectam.

Ioann. 3. 14. Luc. 24. 26. Hebr. 12. 2. Ioan. 18. 11.

glectam. Quibus in integro positis, omnium creaturarum, sive violentiam, sive virulentiam, sive jacturam, nauci pilique esse faciendã. Timor ergo noster, ab exemplo Domini nostri patientis, solum Deũ timeat, ne ejus voluntatem & gloriam lædat, timeat & æternam animæ perditionem, ne illam peccando incurrat, timeat timere creaturas, ne propter earum timorem, à Dei timore tantillum deflectat. Tunc enim solùm timor noster rectus, ordinatus, & sanctus est, quãdo timet Deum non timere, & quando creaturas timet timere. Adhuc autem timor noster aliam habet sui in Dominica Passione eruditionem, quam ipsemet Dominus noster in decursu Passionis exi-
Luc. 23. 27. stens, nobis intimandam putavit. Cùm enim Crucem sibi bajulans Dominus pergeret in eum Calvariæ locum, qui dicitur Golgotha, eumque piæ quædam animæ lamentantes comitarentur, conversus ad eas dixit. *Filiæ Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos flete, & super Filios vestros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent, Beatæ steriles &c. Quia si in viridi ligno hæc faciunt: in arido quid fiet?* Quâ sententiâ Dominus evidẽter denuntiavit, omnibus peccatoribus quanta illos maneant pro suis sceleribus supplicia, conjectandum, imò oculis spectandum, manibusque palpandum esse in sua Passione. Si enim tam enormiter in Innocentissimo Agno, in Vnigenito Dei filio aliena peccata sunt castigata; quid fiet ipsis sceleſtis & impiis, iniquitatum patratoribus? Deus qui proprio Filio non pepercit, sed pro omnibus impiis tradidit, atque adeò ipse percussit & castigavit, & in dolore atque in infirmitate contrivit illum: quid faciet impiis, & iniquis, & peccata sua diligentibus, neque dignos pœnitentiæ fructus constanter facientibus? Vtique exspectat illos ignis accen-
Deut. 32. 22. sus *in furore Domini, qui vastabit usque ad inferni novissima: montium quoque fundamenta comburet, combustione*, (ut ait Christus) *æternâ*. Præter hoc verò habet in Passione Domini impietas Iudæorum grandem & inevitabilem timoris materiam. *Horum enim mentis & car-*
S. Leo Serm. 8. de Passione. *nis aspectibus, in Crucifixo à se Domino, nonnisi illa species occurrit, de qua Moyses ad illos dixit: Et erit vita tua pendens ante oculos tuos die ac nocte: & non credes vitæ tuæ. Isti enim in Crucifixo Domino, nihil*
Deut. 28. 66. *præter facinus suum cogitare possunt, habentes timorem, non quo fides vera justificatur, sed quo conscientia iniqua torquetur.* Consimili ti-
Luc. 21. 27. more timebunt omnes impii in Iudicii universalis die, quando *videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum potestate & majestate:*
Matth. 24. 30. quando *apparebit signum filii hominis*. quando *videbunt in quem transfixe-*

fixerunt, & pupugerunt. quando *dicent montibus, cadite super nos, & collibus, operite nos.* Ose. 10. 8. Luc. 23. 30.

MODVS LXXVIII.

SEptuagesimus octavus Passionem Dominicam meditandi Modus est. Considerare quomodo in ea eluceſcant & efflorescant virtutes Theologicæ: scilicet Fides, Spes, Charitas.

Eluxerunt enim luculentissimæ tres istæ virtutes in Passione Domini, non tantùm ideo, quia Christus mortuus & Passus est pro hisce virtutibus asserendis, pro fidei suæ veritate, quam prædicavit & docuit; pro spei certitudine, de salute & vita æterna, quam, credentibus in se, promisit; pro charitate, quâ, nos usque in finem, & usque ad mortem pro nobis obitam dilexit. Sed etiam quia licèt aliàs in omni vita sua, hasce tres virtutes fundavit firmavitque, potissimùm tamen eas Passione & morte suâ sanxit, atque veluti testamento suo corroboravit.

Et quod ad Fidem attinet: etsi in Domino nostro fides non fuit; neque locum habuit, propter omnium, quæ nos fide Divinâ credimus, evidentem scientiam atque cognitionem ex Divinitatis consortio, ipsi necessariò inexistentem, & quia ille nullam veritatem ex revelatione cognovit, sed ipsemet omnis veritatis revelator fuit, imò ipsemet omnis veritas exstitit, dicente ipso. *Ego sum veritas.* Nihilominùs dum pro sua veritate nobis revelata, & ad credendum proposita, passus & mortuus est, fidem Passione suâ nobis adstruxit, indubiamque reddidit: maximè quantum ad fundamentalem articulum fidei suæ, qui est de ejus vera Divinitate atque Humanitate, quē ille in Passione præcipuè, atque etiam Passione asseruit, & comprobavit; ita ut quamvis nuda & pura Christi assertio magis probet, & hunc, & omnem alium articulum fidei, quàm ulla vel opera, vel miracula: nulla enim esse potest veritatis probatio major, quàm quia à Deo asserta est; tamen quoniam Christo placuit ad suæ veritatis adstructionem, & dicere, *si verbis meis non creditis, operibus credite*: & facto ipso opera miraculaque exhibere, ac facere, quæ nemo alius fecit. Ex omnibus istis sive operibus sive miraculis, nullum luculentiùs articulum fidei, de Christo vero Deo, veroque Homine probat, quàm Passio & Mors ejusdem Domini. Quod ita paucis. Christus Deum se & Hominem verum esse asseruit: Hoc ut probaret atque demonstraret, & ad Deitatem veram probandam miracula Ioan. 14. 6. Ioan. 10. 38.

operatus est: ad Humanitatem verò demonstrandam, concipi ex homine, nasci infans, crescere, manducare, bibere, dormire, sitire, esurire, demum pati, mori, sepeliri voluit. Nisi opera Dei seu miracula pro potestate fecisset: non fuisset unde Deus verus crederetur: si opera hominis seu humana non fecisset, neque subiisset, non fuisset unde Homo verus agnosceretur. Passio Christi, tam miracula Dei, (ut est prostratio satellitum in horto, cognitio sceleris Iudæ, sanatio auriculæ Malchi, discipulorum evasio: tum verò tenebræ per totam terram: terræ motus, scisio veli, petrarum, apertio monumentorum; surrectio mortuorum, &c.) quàm miserias hominis continet. Passio ergo Domini, Dominum tam Deum verum, quàm Hominem verum demonstrat. Deinde Christus Passus mortuusque est pro salute nostra æterna, (sub quo nomine comprehendo, totum opus Redemptionis nostræ, ut est remisio peccatorum, Iustificatio, & Sanctificatio, & Filiatio adoptiva credentium. Vitæ, & virtutum sanctitas, atque perfectio. Mandatorum atque consiliorum propositio, receptio, exsecutio, denique vitæ æternæ consecutio, & hæreditatio) atqui salutem nostram æternam operari non poterat nisi Deus verus, & Homo verus fuisset. Deus enim pati pro nobis neque mori poterat. Homo autem verus quidem sed purus etsi pati ac mori poterat, ejus tamen Passio & mors nobis ad salutem nostram æternam nihil proderat. Opus ergo erat Christum, & Hominem verum esse, ut pati morique posset, & Deum verum esse, ut Passione morteq; suâ nobis prodesset, nosque salvaret. Quocirca Passio Christi Christum fuisse & esse Deum verum, Hominemque verum & nostrum Salvatorem demonstrat. Neque hoc argumentum eludi elidive potest dicendo, gratis assumi asseriique Christum Redemptorem esse nostrum, & redemptionis nostræ causâ, pati morique voluisse: cùm hoc ipsum probandum sit, & sit figmentum Christi, qui ut crederetur esse verus Deus, Redemptor videri & haberi voluerit, ideoq; pati & mori, & omne miseriæ genus subire non abnuerit. Vt proinde tam fictitius sit Redemptor hominum Christus, quàm falsus fuit, & est Deus. Sed enim isti impugnationi evidenter ipsa Christi Passio, Mors, cæteræ acerbitates, in ortu, in vita, morte, toleratæ satisfaciũt. Nam si Christus verus Deus non fuit, neque verus Redemptor, sed per redemptionis nostræ speciem veri Dei opinionem de se captavit: fatendum est objicienti horum alterum inprimis: Nempe Christum aut fuisse verum hominem, aut falsum etiam, & fictitium, & phantasti-

tasticum. Si verus homo non fuit Christus? quomodo ergo omnes humanas conditiones in eo homines viderunt, & tam sensibus palpârunt, quàm & intellectu adverterunt? Viderunt enim Infantem natum, circumcisum, lactentem, crescentem per annos corporaliter, manducantem, bibentem, dormientem, famescentem, sitientem, fatigatum, postremò captivum, ligatum, flagellis cæsum, spinis coronatum, consputum, cruce onustum, cruci affixum, in cruce mortuum, de cruce depositum, sepultum. Hæc non sunt hominis fictitii & phantastici: veri ergo: ac proinde Christus verus homo fuit, & verè meritòque se filium hominis vocitavit, nec non ab hominibus vocitatus est. Quodsi verus homo Christus fuit: jam vel fuit purus solùmque Homo, vel fuit simul etiam Deus, & compositus ex Deo & Homine unus Christus. Si hoc secundum asseritur. Sufficit. Siquidem habetur intentum, & nihil supereſt probandum, ambigendumue de Christo vero Deo & Homine, consequenter Redemptionis nostræ Authore, & salutis æternæ Administro. Si autem purus omnino, & solùm Homo Christus fuit, & solùm pro Deo haberi, colique affectavit, ad idque speciem fictitii Redemptoris, proq; hominibus Passi, & mortui assumpsit: sequitur Christum. 1. quidem superbissimum. 2. stultissimum fuisse. Superbissimum quidem fuisse necesse est: quia Deum se jactaverit, & pro Deo vero coli voluerit curaveritque: in quo cùm & mendax atque impostor ante homines, & in Deum verum impius atque idololatra & blasphemus exstiterit, meritò à Iudæis ea de causa ad mortem probrosissimam adactus est, ut qui cùm homo esset, faceret se ipsum Deum, & diceret, quia Filius Dei sum, quia ego sum Christus, quia venturus esset in nubibus cum potestate & majestate. &c. quod extremæ superbiæ, mendacitatis, impietatis, impostura æque sine dubio fuerit. Porrò etiam stultissimum & vanissimum Christum fuisse opus erit fateri, qui ad hoc, ut Deum verum se hominibus persvaderet, nihil quidem Deo & Divinitate dignum egerit, feceritve, quin neque honesto, & spectabili, aut æstimatione hominum dignum hominibus exhibuerit in se, & in suo genere, vita, statu, comitibus, sermonibusque suis: exhibuerit verò omnia contraria, nempe abjectionem, pauperiem, miseriam, impotentiam, convictum non tantùm abjectorum, & rudium piscatorum, hominum sine literis, & omni splendore ac dignitate, sed etiam peccatorum, publicanorum, infamium, & malæ notæ apud omnes. Insuper verò subiit fanda infandaque ab æmulis & hostibus suis con-

vitia, vincula, accusationes, damnationes, flagella, ludibria, carceres, cum latronibus comparationes, probrosæ mortis sententiam officiosam, patibuli portationem, affixionem ad Crucis patibulum, inter latrones duos, tanquam omnium latronum maximus, denique crudelem & abominabilem maledictamque in Cruce mortem, postremoque sepulturam ipsam. Quorum omniū & toleratio & ostentatio, inefficacissimum sanè medium erat ad probandam & persvadendam hominibus Divinitatem suam: imò nihil fuit efficacius ad eam abrogandam, & negandam; ut meritò Iudæi volentes ostendere ipsi etiam Christo, quòd Deus verus non esset, castigareque in eo condignè confictam & falsò arrogatam jactatamque Divinitatem, quasi verus Deus esset, meritò inquàm assumpserint, pro medio competentissimo, consilium, & curam, & exsecutionem necandi ejus in Cruce. *Nos* (inquiunt Summi Sacerdotes, & omne consilium, populusque universus) *legem habemus, & secundùm legem debet mori, quia filium Dei se fecit.* Stultissimus ergo, & planè vanissimus fuit Christus (Si non fuit re verâ verus Deus) qui per Passionem adeò diram, & per mortem adeò probri & tormenti plenam, voluerit probare, & putaverit se posse probare, quòd ipse esset Deus verus: cùm per hoc medium non tantùm non licuerit probare illi, quòd verus Deus esset, sed neque quòd honestus, aut probus, aut aliquo honore æstimationeque dignus homo esset; quin immo per hoc infelix, & non minùs miserabile, quàm detestabile medium assequeretur, ut etiam homo non esset, quippe qui in Cruce mortuus, & in Sepulchro conditus, de numeroque hominum sublatus esset; verè nemini magis quàm sibi ipsi imposuisset Christus, si propterea miserrimè nasci, vivere, & mori, sepelirique voluisset, ut credi posset verus Deus, & magno nimis mercatus esset opinionem falsam veri Dei: si propter eam delegisset è numero etiam hominum viventium, probrosissimâ quamvis morte deleri. Si extremè insanit, qui putida poma mercatur bono auro; quomodo non etiam ultra extremam insaniam insanit, qui verum falsi Dei mendacium, omnium bonorum, & sanguinis, & vitæ, & famæ crudeli impendio dispendioque licetur? Quod cùm omnino in Christum Deum Redemptoremque nostrum non cadat, neque cadere possit: necesse est ut dicamus, Christum verè, & verum Deum esse: & verè per hominem assumptum, Redemptionem nostram, in vita, in Passione, & morte crucis peregisse. Etsi enim puri hominis mors nihil profit, neque prodesse potuit redemptioni

nostræ,

nostræ, potuit tamen prodesse, & re ipsâ profuit Mors Dei-Hominis, cujus misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus, & omnipotentiæ ejus nihil est impossibile, & charitati nihil indignum, & sapientiæ nihil impeditum, & voluntati nihil non justum. Passio ergo Christi Divinitatem & Humanitatem ejus probat, & efficacem saluti nostræ facit, & fidem nostram, omnem quidem sed præcipuè in articulo fundamentali, de Christo, Deo vero, & Homine vero, Redemptoreque nostro, indubiam facit. Eadem Passio Christi est spei nostræ lapis fundamentalis, & petra inconcussissima. Quando enim Passionem Christi habemus, quid jam sive à Patre æterno, sive ab ipsomet Christo non habituri sumus? Optimè argumentatur Paulus. *Si Deus Pater, proprio Filio non pepercit, sed pro nobis tradidit illum, quomodo non omnia cum ipso nobis donavit?* Et licet pariter in argumento pergere. Si Christus sibi ipsi non pepercit pro me, quid mihi suorum bonorum negabit? *Rom. 8. 32.*

Est ergo Passio Domini nostri fundamentum spei nostræ, est arrha, est pignus omnium promissorum, est promeritio, & pretium eorumdem, pro iisdem mihi elargiendis admensum: admensum autem ita largè, ita supra debitum, ita supra condignam æquitatem, ut injuria sit Christi Redemptoris non exhibita retributio servis redemptis. Non confundit ergo nos spes nostra? salvi facti sumus jam spe nostrâ, quoniam Passio Christi, est pro Deo fidejussio nostra. Et quamvis aliud est retributionem esse promissam, & aliud re ipsâ exhibitam. Non tamen certior est retributionis divinæ, qui illam jam habet exhibitam, quàm qui illã adhuc solùm exspectat promissam. Vtrumq; enim æquè impossibile est, tam non haberi à Deo quæ promisit; quàm quod jam dedit. Denique tam securi certique sunt Christiani de his obtinendis, quæ illis Passione suâ pro ipsis meruit Christus; quàm certus est de promeritis suis per Passionem suam idem ipse Christus. Et ille enim in spem gloriæ corporis sui, in spem universæ salutis nostræ, in spem omnium bonorum Ecclesiæ electorumque suorum, in spem omnis potestatis in cœlo & in terra, in spem nominis sui, super omne nomen exaltandi, atque omni genu cœlestium, terrestrium, & infernorum adorandi, in spem judiciariæ super vivos mortuosque authoritatis & potestatis, in spem capitis Ecclesiæ, Passionis suæ labore subiit: dicente ipso Domino; *hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.* Gloria autem Christi, omnia prædicta, & his similia sunt. Quidni ergo Passio Christi spem nostram

ſtr am fundet, firmet, radicet, fœcundet, ſolidet: ſi etiam ipſi Chriſto laborum ſuorum incentivum & ſolatium ſtimuluſque fuit? Quod etiam ptidem Propheta, & illi, & de illo prænuntiaverat. *Dominus conterere eum voluit in infirmitate* Paſsionis: *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit, & ſaturabitur: in ſcientia ſua juſtificabit ipſe juſtus ſervus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit. Ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium ſpolia dividet, pro eo, quod tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt; & ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogavit.* Quibus verbis veteris teſtamenti Propheta, non tam Propheticè quàm evangelicè, & Paſsionem Chriſti, & ſpem, præmiaque Paſsionis ejus, copioſo, & exacto ſtylo denarravit Denique ſi Apoſtolo licuit dicere, *propter ſpem Iſraël catenâ hac circumdatus ſum.* Multò juſtiùs licuiſſet Chriſto Domino profiteri, propter ſpem meã, & populi mei Cruci huic affixus ſum. &c. Paſsio ergo Chriſti, & Crux, & Mors, anchora ſpei noſtræ eſt.

Isaiæ 53. 10.

Act. 28. 20.

Eadem Paſsio Charitatem Chriſti erga nos demonſtrat, & noſtrã erga Chriſtum evincit. Nihil enim eſt aliud Paſſus, & Crucifixus, mortuuſque Iesvs, præterquam Filius Charitatis Æterni Dei, *qui ſic dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret ut mundus ſalvaretur per ipſum.* Et idem eſt victima dilectionis ſuæ. *Oblatus eſt enim quia ipſe voluit, & qui dilexit me tradidit ſemetipſum pro me. Et, Majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis,* ille autem poſuit eam pro nobis *cùm adhuc inimici eſſemus.* Ob quod etiam eſt Clibanus Amoris in quo & Seraphim ardent, & corda noſtra in æternum ſuccendi, & ardere debent. At enim. Heu portentum ſive Divinæ ſuper nos, erga nos pietatis, ſive noſtræ erga benigniſsimum piiſsimumque Deum ingratitudinis. Deus in nobis viliſsimis, ingratiſsimis, inimiciſsimis, perque omnia nihili, & nequam homuncionibus, invenit, ob quod, nimiam ſuam charitatem effunderet in nos, uſque etiam ſuæ propriæ Divinæ Perſonæ, ſui Divini ſanguinis, ſuæ Divinæ vitæ impendio, nos amaret. Nos autem in toto quantus-quantus eſt Vnigenito Dei, & Homine Deo, in omnibus bonis & beneficiis collatis in nos à Deo, in ipſo charitatis & miſerationis ejus nucleo, medullâ, theſauro, mari, & abyſſo, nempe in Paſsione ejus, atque Crucis morte pro nobis ſuſcepta, reperire tamen non poſſumus propter quod Deum verè, conſtanter, ac dignè amemus;

Ioan. 3. 16.

Isa. 53. 7.

Gal. 2. 20.

Ioan. 15. 13.

Rom. 5. 10.

amemus; aut si reperimus, nihilominus eundem (quod quidem in immensum improbius, & indignius est) nihilominus (inquam) eundem non amamus, imò aversamur, repellimus, conculcamus, contemnimus; potiusque & sinceriùs, atque constantiùs diabolo, Dei pariter, ac nostro capitali inimico, quàm ipsi omnis Bonitatis & Majestatis, & Charitatis fonti adhærere eligimus. Quis audivit talia horribilia?

MODVS LXXIX.

SEptuagesimus nonus Passionem Domini nostri meditandi Modus esse potest. Vestigando in ea exercitationem virtutum Cardinalium, cæterarumque moralium ab illis dimanantium, quomodo nimirum eæ, & à Christo Domino in Passione sua exercitæ, & à nobis exercendæ in vita nostra sunt.

Prima ex Cardinalibus virtus est, Prudentia. Hæc utique in vita, at potissimùm in Passione Christi eluxit. In illa enim admirando, & omnem humanam Angelicamque cogitationem excedente modo, sapientia Dei malitiam vicit diaboli, exsecuta est consilium suum, perfecit voluntatem Patris, perrupit omnia obstacula salutis nostræ, vastavit infernum, mortem subegit, mundum calcavit, cœli & terræ dissidia conciliavit, æterni regni portas aperuit; Diabolus suis propriis artibus elusus est, suismet laqueis captus, in foveam quam foderat præcipitatus, peccato quo vicerat victus, per lignum, per quod triumphaverat, triumphatus, morte, quâ humanum genus infecerat & interfecerat, ipse quoque confectus est. Libet de hoc argumento Beati Leonis Papæ orationem attexere. [Dei Filius secundùm plenitudinem temporis, quod Divini consilii inscrutabilis altitudo disposuit, reconciliandam authori suo naturam generis assumpsit humani; ut inventor mortis diabolus, per ipsam quâ vicerat vinceretur. In quo conflictu pro nobis inito, magno & mirabili æquitatis jure certatum est, dum omnipotens Dominus, cum sæviss imo hoste, non in sua majestate, sed in nostra congreditur humilitate, objiciens ei eandem formam, eandemque naturam, mortalitatis quidem nostræ participem, sed peccati totius expertem.] Idem Sanctus hoc ipsum alibi tractans argumentum ita de eo loquitur. [Quid inter omnia opera Dei, in quibus humanæ admirationis fatigatur intentio, ita contemplationem mentis nostræ, & oblectat, & superat, sicut Passio Salvatoris? Qui ut humanum genus vinculis mortiferæ prævaricationis

Serm. 1. de Nativ. Domini.

Ser. 11. de Passione

» tionis absolveret, & sævienti diabolo potentiam suæ majestatis occu-
» luit, & infirmitatem nostræ humilitatis objecit. Si enim crudelis &
» superbus inimicus consilium misericordiæ Dei nôsse potuisset, Iu-
» dæorum animos mansvetudine potiùs temperare, quàm injustis odiis
» studuisset accendere, ne omniũ captivorũ amitteret servitutẽ, dũ nihil
» sibi debentis persequitur libertatẽ. Fefellit ergo illũ malignitas sua.
» Intulit suppliciũ Filio Dei, quod cunctis filiis hominũ in remediũ ver-
» teretur. Fudit sanguinem justum, qui reconciliando mundo, & pre-
» tium esset, & poculum. Suscepit Dominus, quod secundùm propo-
» situm suæ voluntatis elegit. Admisit in se impias manus furentium:
» quæ dum proprio incumbunt sceleri, famulatæ sunt Redemptori.]

Hæc Sanctus Pontifex, egregiè complexus investigabilem prudentiam sapientiamque consiliorum Christi in nobis per Passionem suam redimendis exercitam. Possunt autem plura particulariùs Prudentiæ hujus in Passione Dominica apparentia adverti, atque expendi. Prudenter siquidem Dominus & elegit, & disposuit Passionis suæ, & Tempus, & Locum, & Modum, & Ministros, & Authores, in quibus omnibus, frustra sese vel humana vel diabolica laboravit interponere, sive malitia, sive astutia, atque præcipitatio. Quæsierat Herodes Pater, infantuli Christi animam: quæsierat & Herodes Filius. Volebant Nazarethani de montis supercilio præcipitare, conabantur Iudæi, tum per submissos cum suis ministris Herodianos, tum per semetipsos lapidibus Christum trucidare: at hæc similiaq; frustra fuêre, quia necdum venerat hora ejus, & quia nequaquam talis erat de sua Passione, atque morte dispositio ejus. Quæ dispositio ita erat ordinata, ut ad minutissima momenta actionum, passionum, temporum, locorum, personarum, circumstantiarumque omnium sese extenderit, & in omnibus ad figuras, ad prædictiones scripturarum adimplendas totius Passionis series processerit, ita ut neque unus apex, neque unum jota, quod non adimpleretur, remanserit. Accessit illud admirandæ Prudentiæ opus, quòd Dominus noster in Passione sua ita hominem quem gerebat objecit tormentis, ab hominibusque à dæmonibusque excogitatis & adhibitis, ut interea temporis, neque dæmones, neque homines, furore suo livoreque excæcati, interlucentem Divinitatem, virtutes evidenter summas, & verè divinas, prophetiarum concursum, & scripturarum exsecutionem, impletionemque, ipsius Christi prædictionum de sua morte veritatem, innocentiæ patientissimum fulgorem, miraculorum fidem, odii sui invidiæque vi-

culen-

rulentam, non minùs quàm manifestam in Christum rabiem, dispicere, seseque recolligere in scelere, atque ab eo refrenare valuerint, aut voluerint. Vidit & confessus est Sacerdotibus Judas peccatum suum. Pilatus quoque contestatus est multis modis, & Christi innocentiam, & Iudaicam invidiam, imò & infamiam, laboravit plurimùm pro ejus indemnitate & vita, uxor quoque Pilati, & preces, & consilium, & periculum suum apud virum interposuit, plebs ipsa nisi à Principibus persvaderetur, & prævio exemplo traheretur, obnitebatur. Mulieres lamentis suis, facti & iniquitatem, & enormitatem declarabant. Denique ipse defectus causæ, ob quam Christus morti, vel speciosè saltè addiceretur, ab ipsomet Judice sæpius enuntiatus, vim animis conscientiisque perdere cupientium Dominum, inferebat. Solis Iudæorum Principibus, odio & livore invidiæ excæcatis sol intelligentiæ non potuit illucescere, sed auribus suis gravitet audientes, atque cordibus suis indurati, ad facinus animo destinatum, tanquam equus impetu vadens cucurrerunt, & usque ad Deicidii scelus pervaserunt. Proinde Dominus sic usus est paratâ inimicorum nequitiâ, ut ex ea produceret universorum redemptionem, & de peccato damnaret peccatum, ac per mortem suam pararet omnium nostrûm vitam. Sic ergo vicit sapientia malitiam, & ubi pervsitat peccantium seminavit iniquitatem & mortem, ibi Prudentia Domini Salvatoris messuit justificationem & vitam. Neque ullum fuit consilium hominum contra Dominum, quod Dominus non converterit in salutem & redemptionem hominum.

Altera virtus Cardinalis est, Iustitia. Hæc quoque in Passione Domini maximum locum, praximque plurimam habuit: adeò, ut Christus propter Passionis laborem exhaustum peculiari nomine atque ratione vocetur Iustitia nostra. Passione siquidem, satis, & super satis fecit Iustitiæ Dei pro nobis, cui nos in immensum obligati eramus, solvendo autem & satisfaciendo nullo possibili nobis modo sufficiebamus. Passione item, omnem jacturam honoris & cultûs Deo per nos debiti illatam, abundè restituit, Passione obedientiam & servitutem subjectionemque à nobis Deo debitam, sed rebelli proteruâque voluntate denegatam, ipse supplevit, atque plenissimè explevit. Passione quoque debitum & reatum damnationis æternæ, quo eramus universim omnes obstricti, abolevit; adeò, ut nullâ deinceps damnatio sit iis omnibus, qui sunt in Christo IESV. Passione etiam Mortis & æternæ & temporalis chirographum, quod erat nobis val-

dè contrarium, è manibus mortis extorsit, & cruci suæ affixit atque delevit. Passione etiam, omne, estò Tyrannicum jus servitutis, captivitatisque, quo à diabolo, tam viventes, quàm mortui tenebamur, debellatis nostris Tyrannis, evacuavit & nullum reddidit, nosque omni libertati asseruit. Passione item suâ Dominus jus nobis adoptionis Filiorum Dei comparavit, dans nobis omnibus, quotquot eum reciperemus, ut ex Deo renascceremur, adoptionemque filiorum Dei assequeremur. Passione nos hæredes Dei, omniumque bonorum ejus, suos autem cohæredes, & fratres instituit. Passione perditum jus ad vitam, & ad Regnum æternum, beatitudinemque æternam nobis obtinuit, recuperavit, & restituit. Passione cœlestes portas nobis reseravit. Passione nos ex iniquis justos, ex rebellibus subditos, ex impiis Sanctos & devotos, coram Deo fecit. Passione non solùm ipse nobis amicitiam & gratiam, & sanctificationem, & æternam gloriam obtinuit, sed insuper ut nos quoque nostris operibus, in fide, spe, & Charitate ejus factis, eadem illa bona mereri nobis possimus, promeruit, & nobis æquitatem justitiæ dedit, adeò, ut liceat nobis dicere. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: in reliquo reposita est mihi corona Iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Ita Dominus Iesvs Passione suâ non solùm omnem implevit & exæquavit, placavit, admensusque est justitiam: Non solùm omnia jura nostra in integrũ restituit, non solùm omnia quæ debebamus Deo exsolvit: verùm etiam insuper debitorem nobis Deum fecit, ut repræsentatis meritis Passionis ejus, exigere possimus à Deo, & peccatorum veniam, & justificationem, & Gratiam, atque amicitiam, & Gloriam vitamque æternam. Et id quidem non septies, neque septuagesies septies, sed quoties toties, sed infinities. Nunquam, ne in æternùm quidem, deficiente nobis thesauro meritorum Christi, & jure quòd habemus, & nos, & opera nostra, ex benedicta & nunquam exhauriendi valoris Passione Christi. O Homines, amate hanc Redemptoris vestri justitiam; servate jus ex ea vobis manans; vivite & augescite in ea, & nunquam recedite ab ea, nunquam excidite ex ea. Passioni autem Domini omni devotione inhærete, & immanete. *Et grati estote, omnia enim bona venerunt nobis ex ea: & omnibus bonis per eam repleti sumus.*

De Tertia Cardinali virtute, nempe Fortitudine, quomodo in Christi Passione emineat, & quomodo à Christo Patiente exercita sit, pænè superfluum est fidelibus dicere. Quid est enim Passio Domini,

mini, nisi opus Fortitudinis excellentis, heroicæ, Theandricæ. Cui nulla humana fortitudo, ne quidem Martyrum, etiam simul omniũ, in comparationem venire ex æquo possit Et cùm ex toto illa admiranda sit stupendaque, ex illo tamen capite plùs quàm stupenda est, quia Dominus noster fortitudinem suam non in omnipotentiæ suæ Divinæ virtute fundatam exercuit, sed in infirmitate, in impotentia, in miserrima miserabilitate & abjectione, roborisque omnis defectu, exhibuit, & per eam omnes humanas vires, artes, audacias, furoresque, omnes tartareas potestates, nihil non audentes, nihil non tentantes, nihil non in effectum, juxta rabiem desideriorum suorum deducentes, solâ suæ infirmitatis exhibitione compescuit, confregit, confudit, in nihilum redegit, & velut lutum platearum conculcavit delevitque. Non secus ac omnes fluctus tumidissimi furiosissimique maris, ad mollissimam arenam illisi confringuntur, & in salivam spumamque deficientem dispereunt. Ita nimirum, *quod infirmum est Dei, fortius est hominibus*, atque dæmonibus & creaturis omnibus: quemadmodum etiam, *quod stultum est Dei, sapientius est hominibus*, & omnibus quantumcunque sapientibus. Sicut ergo *stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi*; sic etiam omnem ejus potentiam & virtutem mundi, infirmitate suâ & fragilitate contrivit. Non secus ut ille lapis excisus de monte sinè manibus, vastam tamen statuam confregit, comminutaque sunt pariter in pulverem aurum, argentum, æs, ferrum, & testa. Lapillus autem crevit in montem, toti mundo occupando parem. Passus Dominus noster Deus Homo, omnem hujus mundi sapientiam, Gloriam, fortitudinem, potestatem, voluptatem, & quidquid mundus est, humilitate & infirmitate Passionis atque Crucis, & Mortis suæ, in nihilum redegit, & totum potestati suæ subjecit, atque sibi omne genu curvari coëgit. Nam *quia in Dei sapientia non cognovit mundus, per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.* Ita etiam, quia in Dei Potentia, non honoravit per Potentiam mundus Deum: placuit quoque Deo per Infirmitatem Passionis confundere mundi superbiam & potentiam, humiles autem exaltare, & virtutem in infirmitate perficere. Atque hæc sapientia & virtus Christi est, quam abscondit Pater à sapientibus & Prudentibus hujus sæculi, revelat autem parvulis, minimis coram mundo, stultis propter Christum, amicis Crucis Christi, & gloriantibus in Cruce Christi, confixisque cum Christo in Cruce.

1. Cor. 1. 25.

Ibid. V. 20.

Dan. 2. 34.

1. Cor. 1. 21.

Quarta Cardinalis virtus est, Temperantia. quæ etiam sicut per omnem vitam, ita vel maximè per Passionem ejus universam comitata est Dominũ nostrum. Quid enim non dico voluptatis, aut consolationis, sed vel modicæ quietis admisit Dominus in tota Passione sua? Sublimitatem perfectionemque Temperantiæ Christi in Passione potissimùm hoc demonstrat, quòd moriens in extrema afflictione Animæ & Corporis totius: ex bonis, & solatiis commodisque hujus seu mundi, seu vitæ, ne unicum vestigium post se reliquerit, alicui habendum. Non opes, non possessiones, non pecunias, non dignitates, non honores, non domum, non amicos, non quidquam absolutè rei. Sola post eum remansit Crux, ignominia, & execratio hostium, solus dolor sibi notorum & affectorum, sola confusio, dispersio, desperatio discipulorum, sola sepulchri & sepulturæ inopia & indigentia. Vsque adeò Dominus noster nihil neque cum mundo, neque cum ejus bonis commune habuit, ut potiùs absolutè, & plenè nihil, & nihil de hoc mundo habuerit: neque tantillo quidem terræ servato spatio, in quo caput suum reclinaret. Magno utique omniũ fidelium suorum magisterio, ut sciamus satagendum nobis, ne ullum penitus cum mundo, & carne, & creaturis ullis, adeòque ipsissimet nobis, adhærescentis ad nos affectûs privatique ac proprii amoris habeamus, sed ut nudi nudum, exspoliati & mortui, perditi & annihilati à nobis ipsis, & ab omnibus (quantùm ad amorem) creaturis, exinanitum Christum imitemur, æmulemur, quàm vicinissimè comitemur. Vt hac ratione instar grani frumenti, nos quoque emortui, multum fructum afferamus. De virtutibus cæteris, quæ ad hasce quatuor, de quibus diximus, revocantur, existimo opus non esse ut sigillatim agamus. Id enim & prolixum nimis foret, & scopum nostrum excederet, & ex supradictis facilè patet, & actum supra de iis est, & denique peculiaris nihil habet necessitatis, ut exponatur.

Supra Modo Octavo

Manifestũ est enim in Passione Domini exercitas esse virtutes omnes Christo dignas, unamquamque in summo, heroico, perfectissimoq; gradu. Summam Charitatem Dei & Proximi, Humilitatem, Patientiam, Obedientiam, Mansvetudinem, Modestiam, Taciturnitatem, Magnanimitatem, Longanimitatem, Abstinentiam, Resignationẽ, Paupertatem, Orationis studium, Solicitudinem pro suis, Inimicorum dilectionem, Constantiam, Religionem, Devotionem, Pietatẽ, omnem denique Perfectionem, Christo quidem dignam, Christianis autem ad imitandum necessariam.

MO-

MODVS LXXX.

OCtuagesimus Modus Passionem Domini nostri meditandi est: dispicere in ea, & discere ex ea exercitium operum misericordiæ, tam spiritualium, quàm corporalium. In præsenti modo res nobis erit de operibus misericordiæ spiritualibus, quæ ad septem Capita revocantur.

I. Docere Ignorantem. Docuit Dominus noster ignorantes, in omni quidem vita sua, sed specialiter in sua Passione: cùm se Christum & Dei Filium, & Iudicem venturũ, in Concilio asseruit. Cùm Pilatum & de ejus potestate, & de suo Regno edocuit.

II. Corrigere errantem. Depinxit egregio symbolo Dominus hoc opus suum, quando se assimilavit homini habenti centum oves, è quibus cùm ei una periisset, reliquit nonaginta novem in montanis, descendit autem ad quærendam unam perditam, & erraticam oviculam; quâ inventâ, sustulit eam in humeros suos, & ad reliquum gregem reportavit. Vnusquisq; nostrûm, seu genus humanum universum, tanquam una ovicula clamabat Deo: *Erravi sicut ovis, quæ periit, quære servum tuum*: quæsivit in tota vita sua, quæsivit in Passione, quæsivit & invenit in Cruce, semivivam & adhuc vix spirantem, eam ergo ad ovile suum reduxit imò reportavit in jumento suo, & curam illius egit. *Psal. 118. 176.*

III. Solari mœstos & afflictos. Quis mœrens & afflictus, si non humanum genus, si non omnes nos; tantò etiam afflicti magis, quantò sensu malorum nostrorum destituti magis. Sed qui consolatur humiles Deus, consolatus est & nos in adventu Christi, & in vita, in doctrina, in sacramentis, in meritis, in Passione, in vulneribus, in Cruce ejus, in morte ejus. Propter quid enim facta est anima ejus tristis usque ad mortem, nisi ut tristitia ejus consolatio nostra esset? Contristabant nos vulnera nostra: vulneratus est propter ea, & vulnera ejus facta salus & solatium nostrum. Contristabat nos perditio & mors nostra, & captivitas nostra. Captus est ille in peccatis nostris, & periit in Passione usque ad mortem; & vincula ejus, facta sunt libertas nostra; Mors ejus, facta est vita nostra; & in conversa captivitate nostra, facti sumus sicut consolati.

IV. Consilium dare dubitanti & indigenti. Et cujus nos consilio Prudentes facti sumus: nisi illius, qui magni consilii Angelus, nisi qui consiliarius est. Qui consilia salutis evulgavit in Evangelisatione,

ne, confirmavit in miraculorum manifestatione, exemplo approbavit in Passione, sanxit demum in morte. Quid salubrius quàm audire consilium dicentis. *Vigilate & orate; ut non intretis in tentationem.* Et illud. *Si quis venit post me, & non bajulat Crucem suam, non potest meus esse discipulus. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & invenietis requiem animabus vestris; jugum enim meum suave est, & onus meum leve.*

Matth. 26. 41. *Luc.* 14. 27. *Matth.* 11. 28.

V. Patienter ferre injurias. VI. Remittere offensas. Quid verò est universa Domini Passio, nisi quantùm ad inimicos, immanis & inauditæ enormitatis injuria atque offensa? quantùm verò ad ipsum Dominum nostrum, Invicta quædam Patientia & supra modum liberalis mansvetissimaque condonatio atque oblivio, atque etiam obliteratio. Delevit enim ipso peccato peccatum, ipsâ offensâ sanavit offensam, ipsâ injuriâ compensavit injuriam. Ita ut ille reatus, qui reos & debitores faciebat persecutores & peccatores, factus sit solutio, factus venia, factus indulgentia persecutorum atque peccatorum. Denique pro inimicis & crucifixoribus orare in Cruce, hoc est in ipso æstu furentium inimicorum, suorum autem cruciatuum, non contentus, etiam nos excusavit tanquam ignorantiâ potiùs, quàm malitiâ delinquentes.

VII. Orare pro vivis & defunctis. Atqui Passio Christi, oblatio est, & victima, & Holocaustum, pro omnibus. Audet Apostolus dicere: quia *IESVS Christus ipse est propitiatio pro peccatis nostris; & non pro nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Et iterum idem loquitur. *In hoc apparuit Charitas Dei in nobis; quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.* Quod attinet ad studium moremque Christi Domini orandi, & satagendi pro mortuis. Est hoc speciale secretum cordis atque Spiritûs Christi, nimirum dum hîc viveret, & potissimùm dum pateretur pro mundi salute, tenerrimè affici erga animas purgatorii, quod etiam fuit sanctissimæ Christi genitricis hîc viventis, & quidem ab ipsa amborũ in mundum conceptione & ortu. Huncque Spiritum teneræ affectionis erga animas illas Dominus amicis suis communicat speciali dono. Nec immeritò; cùm enim nullæ magis animæ desolatæ & destitutæ sint auxilio, & sint summè calamitosæ, miserationisque indigæ, non debet esse cuiquam mirum, quòd Christus, qui est misericordiarum Pater, totiusque consolationis Deus; Mater quoque Christi, quæ est misericordiæ Mater; specialem affectum gerant per

1. Ioan. 2. 2. *Ioann. 4. 9.*

se,

se, suisque amicis ingerant gerendum pro subsidio animarum illarū. Et videtur hoc sæculum præsens in Ecclesia Dei, esse ejusmodi, in quo singulariùs vult & facit Deus efflorescere exercerique copiosam charitatem erga animas illas, ut per eam pietatem specialiùs efflorescant amici Dei nunc in Ecclesia militantes, ipsaque Ecclesia Deo suo sese hoc genere pietatis probet, atque commendet, sibique misericordiam à Deo promereatur. Sed hæc hactenus obiter sint dicta.

Concludo Modum hunc meditandi Passionem Christi, repetendo eam esse totam exercitium misericordiæ operum spiritualium, quippe in ea Dominus noster omne miseriarum nostrarum spiritualium genus persanavit. Simulque luculentissimum nobis exemplum exhibuit, ut & nos pro cujusque nostrûm facultate, toti simus in operibus istis exercendis. Non enim est reperire hominem fidelem, qui si non in omnibus, in pluribus certè, saltem in aliquibus hisce operibus exercere se, & erga Deum proximumque pietatem probare possit: ad quod persvadendum nobis, si exemplum (Passionis præsertim) Christi efficax non est? quid demum efficax futurum sit, non equidem inveniri puto posse.

MODVS LXXXI.

Octogesimus Primus Modus meditandi Pasionem Dominicam est, advertere & expendere exercitam à Domino, in ea, septem operum corporalium misericordiam.

Recensuit hæc opera Dominus ipse in Evangelio suo, tanto quidem cum pondere divini sui sensûs, de hujusmodi operum exercitio vel frequentato, vel neglecto, à fidelibus suis, ut absque sacro quodam horrore Evangelium illud relegi audirive non possit. Scilicet exercuisse illa, salus: neglexisse, Perditio certa æterna esse à Domino asseritur: additâ illâ admirabiliter ponderosâ in utramque partem causâ. *Quod uni ex his minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*: Et *quod uni ex his minimis meis non feciſtis, nec mihi feciſtis*: *ac proinde* vobis quidem facientibus salus, vobis autem non facientibus perditio eventura est. Sed jam videamus, quomodo hujus misericordiæ praxis in Pasione potissimùm Domini eluceat. Atque inprimis considerandum est, quomodo Dominus noster omnia septem miseriæ humanæ genera, in semetipso subierit, sustinueritque propter nos. *Matth. 25. 40.*

I. Esuriisse Dominū sæpius, Evangelistæ testantur, neq; certè aliter evenire potuit ei, qui in tanta sua paupertate, alienâ duntaxat mise-

ricordiâ sustentaretur, atque à suo, ex materna domo ad Baptismum Ioannis, & ad prædicandum Evangelium, excessu, nunquam deinceps ad eam accesserit, pedemue in eam intulerit, ne dum aliquid ex ea victûs sustentationisque acceptârit: sed etiam Passionis ærumnæ, eorumque temporis longitudo, non minùs famem quàm sitim in eo excitare validam potuerunt.

II. Sitim verò suam peracerbam ardentemque Dominus ipse satis declaravit, quando in medio tormentorum suorum exclamavit: Sitio. quæ quidem non tantùm fuit interior sitis à charitatis ardore, ab obediendi & patiendi ampliùs studio, ab Redemptionis nostræ desiderio profecto, verùm etiam realis, atque lethalis fuit, contracta ex tantis fatigationibus, ex tantis doloribus, ex tantis sanguinis profusionibus, ex tantis tamque & variis & conglobatis, & diuturnis ærumnis. Proinde ex illa Domini de siti sua contestatione, cognoscimus certò, tam sitiendi causas, quàm sitim ipsam fuisse summè graves, summèque intolerabiles, atque excruciativas, tenerrimæ & exhaustissimæ Christi naturæ.

III. Nuditate Domini nostri, quid vel acerbius, vel certius. *Partiti sunt vestimenta mea sibi, & super vestem meam miserunt sortem,* ait Dominus ore Prophetico, opere autem & experimento proprio. Itaque cùm aliâs sæpe inter patiendum nudatus est, tum specialiter nudus omnino cruci affixus, & in Cruce usque ad mortem pependit, nec nisi syndone Nicodemi ad sepulturam involutus est.

Ioan. 19. 24.

IV. V. Captivatus & Incarceratus est quoque Christus, à prima comprehensione in Horto, usque dum Annæ, Caiphæque, & universo concilio præsentatus, reliquâ nocte carceri inclusus mansit. Summo autem mane, ex specu illo iterum productus ad concilium, iterum damnatus, onustus vinculis Pilato traditus est. Sed nullus Christi carcer gravior, quàm Crucis, cui affixus pependit: omniumque & carcerum, & compedum, & cruciatuum, & vicem retinuit, & modũ excessit.

VI. Peregrinum & Hospitem in Passione Christum habitum fuisse, illud satis demonstrat, quia illum universus populus ante faciem Pilati abnegavit, & ne quidem nomen ejus, vel audire, vel eloqui sustinuit. Insuper Barabbas latro, seditiosus, homicida, plùs illis placuit, quàm Iesvs. Ad hæc ex proposito non à suis, suorumve popularium, sed à Gentilium manibus illum occidi, illudi, crucifigi delegerunt, ac demum professi sunt, quòd non habemus Regem nisi

Cæsa

Cæsarem, tituliqúe seriem à Pilato conceptam exosi, nóluerunt scribi, *Rex Iudæorum*, sed *quia ipse dixit, Rex sum Iudæorum*. Quod quàm sénserit acerbè Dominus noster, testatur apud Prophetam. *DEVS Israël, propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam. Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ.* Ioan. 19. 21. Psal. 68. 7.

VII. Ultimò. Mortuus est Dominus noster, & sepulturæ indigentissimus fuit: & omne sepeliendi obsequium, ipsumque sepulchrum, alienum illi beneficium fuit. Ecce quomodo noster Dominus: omnium nostrarum miseriarum particeps fuit? quis nostrûm nollet in his omnibus Domino nostro fuisse aliquo subsidio? Quis nollet pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, Redimere captivum, visitare infirmum, & vinctum, excipere peregrinum, sepelire mortuum? Nemo nostrûm queratur, nemo obmurmuret. Non abstulit nobis quoque hanc dignationem, obsidem tenemus ejusmet sententiam: quâ dixit. *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis; quod uni horum facietis, mihi facietis.* Non dignamur pascere pauperes famelicos, potare sitientes, &c. quis credet facturos nos fuisse, vel esse in persona Christo, siquidem non dignamur hoc facere in suis minimis, id ipsum eidem Christo? Et sic quidem Christus Dominus miseriæ nostræ particeps, misericordiæ verò indigus esse voluit. Jam videamus, quomodo in Passione sua nostris miseriis misericordiam impendit? Matth. 25. 40.

1. 2. Esurivimus, & sitivimus. Et Dominus noster dedit nobis manducare & bibere. Corpus videlicet, & sanguinem suum pretiosum, cum reliquis bonis suis in Sacramento atque Sacrificio Eucharistico, dedit & gratiam suam, de qua ipse testatus est: quoniam qui biberit ex aqua, quam ille dabit, non sitiet in æternum, sed fiet in eo fons aquæ vivæ salientis usque in vitam æternam.

3. Operuit etiam Nuditatem nostram vestimento meritorum suorum, atque tunicâ inconsutili, Ecclesiæ suæ, cujus filios nos esse fecit, & in cujus gremio veste gratiæ charitatisque vestimur. Et beatus qui custodit hæc vestimenta, ne nudus ambulet, neve careat veste nuptiali, sinè qua nemo dignus nuptiis Filii Regis æterni, sed ligatus mittitur in tenebras exteriores.

4. Captivos quoque nos redemit è potestate, & carcere tyrannidis tam diabolicæ, quàm peccati, quàm mortis; quin etiam descendit in illum carcerem, qui erat in inferioribus partibus terræ, & inde eduxit in fortitudine sua vinctos, captivamque Patrum Sanctorum

captivitatem; quorum vincula dissolvit sanguine suo, alligavit autem fortem illum serpentem vectem.

5. Visitavit etiam nos infirmos, & multum temporis in infirmitate & languore habentes: impenditque nobis curam suam, visitans nos in salutari suo, & infuso vino, oleoque suæ veritatis & charitatis, alligavit vulnera nostra, & usque ad sanitatem perduxit. Insuper autem langvores nostros ipse in se suscepit, & eos pertulit, & vulnera nostra ipse portavit, factus vir dolorum, & sciens infirmitatem. Nos autem livore ejus sanati sumus.

6. Insuper peregrinos nos, imò profugos à Domino, & in regionem longinquam digressos filios à Patre, prodigos, & omnis substantiæ profusores, ipse collegit, & in hospitio Ecclesiæ suæ collocavit. In cujus figura, cùm ei se quidam valde peregrinus, atque adeò latronum secum crucifixorum unus obtulisset, non aspernatus eum, excepit non tantùm hospitio Gratiæ & miserationis suæ, verùm etiam Paradyso atque Regno suo: dicens ei, & re ipsâ complens. *Hodie mecum eris in Paradyso*, quod verbum etiam nobis in salutem est, sicuti & latro est in exemplum. Et nos enim latrones fuimus, rapinam arbitrantes gloriam Dei, & patrantes opera tenebrarum, fuimus inimici, & peccatores, & naturâ filii iræ, socii magni illius furis, filii autem alterius, sed interest agamusne pœnitentiam, & confiteamur tum Domino peccata nostra, tum Dominum confitendo gloriam & misericordiam ejus, atque ab eo mendicando gratiam, & memoriam nostri in Regno ejus.

Luc. 23. 43.

7. Ad extremum Dominus noster vespillonem egit, sepeliens omnes mortuos nostros in rubro mari, sanguinis, meritorum, dolorũ, & mortis, crucisq; suæ. propter quod Apostolus ait de omnibus nobis, quòd *Consepulti sumus cũ Christo per baptismũ in mortẽ, ut quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriã Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Vnde quemadmodum *quòd Christus mortuus est, peccato mortuus est semel, quòd autem vivit, vivit Deo; ita & nos existimemus, Nos mortuos quidem ẽse peccato, viventes autem Deo, in Christo IESV Domino nostro.* Sepelivit nos ergo Dominus noster in sanguine, morte, Cruce sua. Nos inquam peccatores, filios iræ, filios Adæ veteris. Vivificavit autem nos in Resurrectione sua, & complantavit eidem resurrectioni in vitam æternam.

Rom. 6. 4.

Ibid. V. 10.

Ita ergo Dominus noster opera misericordiæ omnia exercuit circa nos,

ca nos, & quidem Passione suâ pretiosâ. Vtique erudiens nos, ut pariter & nos Minimos Christi, sive potiùs ipsummet Christum in minimis suis, Esurientem pascamus, sitientem potemus, Nudum operiamus, Captum, Infirmum, Peregrinum visitemus, colligamus, redimamus, consolemur, mortuis sepulturæ honorem, vel etiam sepulturam ipsam impendamus. Dignus certè Christus est, qui talia pro nobis, imò nobis, tanto suo impendio fecit, ut etiam in membris suis, in fratribus nostris, imò verò, ut ipse loqui dignatur, fratribus suis, recipiat à nobis. Vt olim cùm venerit in majestate & virtute multa, gloriaque Patris, cum Angelis Sanctis, judicare sæculum per ignē, atque discernere populum suum à non suo. Oves segregans Pastor ab hædis, audire liceat nobis. *Quia esurivi & dedistis mihi manducare, sitivi, & dedistis mihi potum, nudus eram, & cooperuistis me, captivus eram, & redemistis me, infirmus eram, & visitâstis me, hospes eram & collegistis me, mortuus eram, & sepelivistis me, in minimis fratribus meis, quibus quidquid feciſtis propter me, mihi feciſtis. Venite ergo benedicti Patris mei, possidete paratum vobis à Patre meo Regnum à constitutione mundi.* O quomodo in illa die vellemus ipsimet esurîsse, sitivisse, nudi incessisse, cæteraque ejusmodi opera bona, usque ad nostram defectionem, Christo nostro in pauperibus ejus propter eum impendisse. Hoc igitur nunc faciamus, hoc nunc frequentemus, & vel saltem superflua, minusque necessaria nostra, in hos usus impendamus, ut *quod nobis supereſt*, pauperibus autem deest, *eleemosynam dantes omnia* peccata nostra, tam quoad culpam, quàm quoad pœnam, *munda sint nobis.*

Matth. 25. 33.

Lucæ 11. 41.

MODVS LXXXII.

MOdus Octogesimus secundus meditandi Dominicam Passionem est. Scrutando in ea septem dona Spiritûs Sancti, nec non duodecim fructus ejusdem, quos omnes, indubitatum est requievisse super Christum semper, & eluxisse in omni vita, Passione, & Morte ejus. Et de donis quidem attestatur Isaias, cùm disertè loquens de Christo. *Et egredietur* (ait) *virga de radice Iesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ & Intellectûs, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Quibus verbis manifestè loquitur Propheta de Messia Christo ex Virgine MARIA, Iesseæ propaginis filia nascituro, & inter nos in mundo conversaturo, & in Cru-

Isaiæ 11. 1.

ce exaltando, ubi & efflorescere debuit, in Nazarenum Regem Iudæorum, & abundantiâ donorum suorum & fructuum repleturus universum orbem terrarum, ramosque suos expansurus usque in fines terræ, ad instar arboris illius apud Danielem Prophetam, *cujus altitudo pertingit ad cœlum, & aspectus illius, in omnem terram, & rami ejus pulcherrimi, & fructus ejus nimius, & esca omnium in ea, subter eam habitantes bestiæ agri, & in ramis ejus commorantes aves cœli.* Cui arbori longè justiùs comparari debet Dominus noster IESVS Christus, quàm Babylonis Rex. Iam verò de fructibus ejusdem Sancti Spiritûs in Cruce potissimùm Christi requirendis, & inveniendis luculenter etiã asserere videtur Paulus Apostolus, qui cùm dixisset, quod *fructus Spiritûs est Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Benignitas, Bonitas, Longanimitas, Mansvetudo, Fides, Modestia, Continentia, Castitas*; hoc inquam cùm docuisset, mox subjecit. *Qui autem Christi sunt, carnem suam crucifixerunt, cum vitiis & concupiscentiis.* Per hoc procul dubio indicare volens fructus Spiritûs per crucifixionem sui, & per participationem Crucis Christi esse conquirendos, utpote ibidem potissimùm à Christo reservatos, atque propter suos fideles electosque tum depositos, tum exhibitos, inibique ab iisdem requirendos, & decerpendos, qua de re licebit meditari hunc in modum Passionem Domini.

I. Igitur in Christi Passione eluceſcit Spiritus Timoris Domini. Cùm enim Christus Passus sit pro peccatis nostris, & Justitiæ Dei pro iis plenè, & supra mensuram debitam satisfecerit, omnemque severitatem & rigorem iræ Paternæ in se exceperit, mortemque, & mortem quidem Crucis, omni genere probri, amaritudinisque exaggeratam subierit. Quis non videt ex tanto spectaculo, quanta sit vel peccati enormitas, malitiaque, vel rigorositas Iustitiæ Divinæ, vel pœnarum peccatis nostris, aut potiùs propter peccata nostra nobis debitarum magnitudo, quandoquidem necesse fuit Christum Dominum unigenitum Dei tanta perpeti, & tam crudeliter probroseque emori. Ex quo tanto exemplo, nonne meritò Spiritus Timoris Dei concipitur, parturiturque, ut tandem pariatur spes salutis. Qui est, declinare ab omni malo, neque defluere in concupiscentiam delectabilium, tam Carnis, quàm mentis vanitatum, nec adeò pœnam metuere peccatorum à Deo, quàm potiùs peccatum ipsum abhorrere in Patrem, propter cujus reverentiam, tam dira sustinuit unigenitus ejus in Cruce. Ad hoc Timoris casti donum spectat fructus *Modestiæ*, mode-

rans

rans animam, fructus item *Continentiæ*, frenans sensualitatem: deniq; fructus *Castitatis*, sciens possidere vas suum in sanctificationem.

II. Eluceſcit quoque in Passione Domini nostri *Donum Pietatis* unà cum fructu *Bonitatis atque Benignitatis*. Quid enim Pium, quid Bonum, atque Benignum magis cogitari potuit, aut potest, quàm Dominus noster IESVS Christus? qui usque adeò in Deum, & in proximũ pius benignusque apparuit, ut propter pietatem hanc, etiam pro peccatoribus, pro inimicis, pro indignis, pro ingratis, pro inutilibus, tam amaram Passionem sustinere non dubitaverit. Vbi quæso, & ex quo exemplo Christianus discet pietatem, in Deum, in proximum, in seipsum, si ab exemplo Christi Domini, Magistri, ac Regis sui eam non discet? Vbi discet habere Christianus voluntatem pronam, ad volendum bene, & promptam ad faciendum benignè cuilibet proximo propter Deum, si eam à Patiente, & in Patiente Domino suo non discet?

III. Eluceſcit quoque in Passione Domini Donum *Fortitudinis*, simulque fructus *Patientiæ*: cujus opus est, pericula vitæ, arduos labores, detrimenta bonorum, jacturas honoris, aliaque his similia hominibus vulgò pretiosa, contemnere, & aggredi, & appetere, & perferre, & vincere propter Deum, eo modo quo videmus Dominum IESVM, in Passione potissimùm sua, hæc, plus quàm heroicâ fortitudine patientiâque, non solùm aggressum esse, verùm etiam plenissimè debellâsse. Hoc suo exemplo erudiens fideles suos, nihil omnino in hoc mundo formidare, præter unum ac solum Deum, qui solus revera timendus est, & quem solum formidare, vera est Fortitudo, & magnanimitas maxima.

IV. Eluceſcit quoque in Domini nostri Passione, *Consilii Donum* fructusq; *Longanimitatis*. Contempsit enim Dominus noster omnia, quæ hic mundus æstimat, & totis viribus quærit, atque concupiscit, & coacervat. Sive quæ ad concupiscentiam oculorum, sive ad concupiscentiam carnis, sive ad vitæ superbiam fastumque pertinent, vitam denique ipsam & famam, & incolumitatem omnem postposuit, uni Divinæ gloriæ, salutique nostræ. Per hoc dans nobis exemplare consilium, quo salubrius nobis esse potest nullum. Vtscilicet impendamus nos Deo, ejusque obsequio, præ omnibus aliis desideriis, studiisque nostris; imò omnia illa exuamus penitus, ut in hoc solum toti vacemus. Etiamsi eâ causâ esset nobis exhauriendus calix totus vilificationum, dolorum, mendacitatis, contradictionis, persecutionis,

nis, odiorum, & periculorum, & quidquid est demum in Passione Domini nostri; ut ejus ad instar simus, totique in illum contemptum, pauperem, stultificatum, dolentem, crucifixum, omniq; opprobriorum ac miseriarum genere saturatum transformemur, gaudentes nos ejus dignationibus indutos esse. Nullum enim salubrius & gloriosius consilium Christiano esse potest, quàm indui Dominum suum IESVM Christum, & in eum penitus viscerali ter transformari. Ad hæc docet nos Dominus Passione suâ pro nobis, illud consilium, ut studeamus juvare miseros in eorum necessitatibus, ut & ipsi mereamur juvari in nostris à Domino. Quia enim labor & dolor invenerunt & possederunt nos in ista vita, *& nisi quisque adjuvetur à superiore, nullo modo sibi est idoneus, ut sese tantis miseriarum implicamentis expediat: idcirco est justum consilium, ut qui se a Potentiori adjuvari vult, adjuvet ipse infirmiorem, in quo est ipse potentior.*

Aug. lib. 1. de Ser. Dom. in Monte. C. 4.

Eluceſcit in Passione Domini etiam *Donum Scientiæ, Manſvetudinisq;* fructus. Sive enim hæc sit illa scientia supereminentis charitatis Christi, quâ scitur Longitudo, Latitudo, Sublimitas, & Profundum Crucis Christi, sive sit scientia ineffabilium secretorum & causarum Dei, quibus mota Sapientia, Potentia, Bonitas, Misericordia, Iustitia, Charitas, veritasque ejus, per Incarnationem Filii Dei, salutem nostram operari, gloriam suam manifestare, omnia, quæ per peccatum in cœlo & terra destructa erant, morte Christi reparare, & constituit, & re ipsâ perfecit. Sive etiam sit scientia sacrarum scripturarum, quatenus illæ Christum, partim expressè, partim figuraliter, non minori artificio, quàm dulcore prorsus divino, ubique sonant, ut ubique in eis Christus maximè Passus inveniri possit. Sed Sacram Scripturam non superbè discutere, neque arroganter reprehendere oportet, verùm humiliter inclinatâ cordis cervice, jugum ejus eloquii, fluentaq; mysteriorum interiorum, in quibus & Elephas tumidus natat, & Agnus manſvetus ambulat subintroire, rogando, & pulsando cum Sponsa Domini, ut introducamur in cellas vinarias ejus. Sive etiam scientia hæc sit Cognitio visibilium istarum rerum, quas inter versamur, quibus etiam utimur; & quibus, si modò novimus & volumus, neque obluctantes lumini fidei nostræ sumus, tanquam per scalarum inferiores gradus ad Superiores ascendimus, & tanquam per exteriores portas atriaque, ad interiores aditus habitationesque, tanquam per materialia ad spiritualia, tanquam per creata ad divina, tanquam per visibilia & circumscripta, ad invisibilia, & lumine incircumscripto

pto latenter patentia, introgredimur, aut potiùs à Spiritu magistro, veluti manu ducimur. Omnibus his scientiæ sive generibus, sive partibus Passio Domini Nostri redundat, & contemplatorem sui humilem, devotum, mansvetumque replet, juxta illud quod dictum est. *Docebit mites vias suas.* *Psal. 24.*

VI. Elucescit in Passione Domini Donum *Intellectus*, & *Fidei fructus.* Cùm enim Passionis Dominicæ penitiora ingreditur Anima, cujus cor fide purificatum est, sanguine Christi ablutum, vulneribus charitatis saucium, Cruce Christi saginatum, morte vivificatum, redditur anima idonea ad percipiendas, penetrandasq; veritates illas, ob quarum confirmationem Christus in Passionis labores, atque adeò in ipsam mortem, mortem autem crucis descendit. Intelligit specialiter Anima in Domini Passione erudita pretium sui, & quidem non à qualicunque æstimatore, sed ab ipsa sapientia Æterna, atque Prima Veritate: cujus judicio atque sensu, de pretio & valore sui, ex Passione Christi cognito: agnoscit se unam solam, universo mundo pretiosiorem, agnoscit nullam esse ponderationem, quæ sibi comparari possit, agnoscit nullam in creaturis etiam simul omnibus, commutationem posse fieri, sciens disertè dictum à Veritate Æterna. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur, aut, quam dabit commutationem homo pro Anima sua?* *9.* *Matth. 16. 26.*

Agnoscit adhuc se pluris æstimatam esse, quàm ipsummet sanguinè, vitamque Christi, quandoquidem ille sanguinem pro ea fudit, vitam suam in mortem dedit. Agnoscit quoque per sui unius reparationem, reparari quoque omnia, sive quæ in cœlo, sive quæ in terra, adeò ut ipsæ Angelicæ ruinæ, ab hac reparatione, sui quoque instaurationem & exspectent, & accipiant. *Placuit enim Deo instaurare omnia in Christo*: per mortem quidem Christi, per vitam verò Humanæ Animæ. Agnoscit denique viluisse propemodum sibi ipsum Deum propter Animam, cætera quidem pauperem, & planè per omnia miseram, attamen Dei æstimatione quasi Deo, & Unigenito ejus pretiosiorem, ita ut non vereatur dicere. *Qui dilexit me, tradidit seipsum pro me.* Et quidni præsumat hæc, quando audit ipsum Dei Unigenitum profitentem. *Sic Deus dilexit mundum* (Animas utique amatrices, inquilinas hujus mundi) *ut filium suum unigenitum daret, ut mundus salvetur per ipsum.* Hæc omnia anima discit perquam luculenter, atque superplenè, ex unico Passi Christi in Cruce expanso libro. Unde etiam intelligit omnem obligationem suam, quâ obstricta est, tanto ama-

Eph. 1. 10. *Gal. 2. 20.* *Ioan. 3. 16.*

to amatori, tanto appretiatori, tanto emptori, & Servatori suo. Intelligit, illud se potissimùm debere, ut nihil sciat aliud, nisi IESVM, & hunc Crucifixum. ut nihil amet nisi IESVM, & hunc Crucifixum. ut nihil possideat nisi JESVM, & hunc Crucifixum. ut nihil repræsentet in se, in moribus, in sermonibus, in vita, nisi JESVM & hunc Crucifixum, ut nihil inhabitet, nisi JESVM & hunc Crucifixum: nihil induat nisi JESVM, & hunc Crucifixum. ut nihil spiret nisi JESVM & hunc Crucifixum. ut denique nihil vivat, nisi JESVM, & hunc Crucifixum. O Bone JESV Passe pro me, da mihi intellectum, & vivam Te JESVM, & hunc Crucifixum.

VII. Eluceſcit etiam in Passione Domini. *Donum Sapientiæ*, & simul *fructus Charitatis, Pacis, & Gaudii.* In Christo enim Passo, si quid elucet, elucet maximè sapientia Dei, adeò, ut eam ibi agnoscere & degustare, consummata sapientia sit, quam non potest non comitari Charitas, & Pax, & Gaudium, exsuperans omnem sensum, omne votum, omnem captum. Fieri enim nullo modo potest, ut quis ingressus cellaria sapientiæ Dei, in Christi scilicet vulnera intromissus, non statim repleatur vino Charitatis, Bonitatis, Miserationis, Liberalitatis, Iustitiæ, Potentiæ, Veritatis, & omnis denique Divini Boni, atque adeò ipsiusmet Divinitatis, tam quoad essentiam, quàm quoad Personas, quàm denique quoad Incarnationis verbi œconomiam universam. Adhuc autem in Christi Passione, seu Christo Passo, repræsentatur multiformis sapientia Christi, secundùm quam ille sese erga Deum Patrem suum gessit, nullam omnino speciem refugiens, quâ assumptâ posset gloriæ & gustui Patris subservire. Ergo se Christus Patri gessit ut Deum æqualem Deo, ut unigenitum & Filium, ut Regem Regum, & Dominum Dominantium, gessit etiam se ut servum, ut mancipium, ut jumentum, gessit se ut egenum, ut vilem, ut stultum, ut blasphemum, ut impiis improbiorem, ut amicum publicanorum, ut legis dissolutorem. Gessit se insuper ut peccatorem, ut peccatum, ut maledictum. Gessit se ut totius mundi scelerum reum, ut quasi non filium, quasi à Deo derelictum, quasi infamem, & probrosum, & dæmoniacum, in furorem versum, pseudoprophetam, non à Deo hominem, demumque in patibulo Crucis in medio latronum mortuum, tandemque sepultum. Quis adeò multiformem formam Christi nostri intuens assequatur, & eloquatur sapientiam Dei, quis affirmet hac ratione agi salutem mundi, sic redimi genus humanum, sic aboleri peccatum, sic diabolum vinci, sic mundum calcari, debella-

bellari carnem, superari mortem, spoliari infernum, reserari cœlum, iram Dei placari, aboleri offensas, justitiæ satisfieri, rebus pacem dari, exaltari Deum, gloriam ejus propagari, misericordias effundi, veritatem probari, promissa compleri? Quis credat his mediis ad illos fines pertingi? Quis speret his argumentis inveteratissimos errores mundi confutari, convinci, dedoceri, stultitiam prædicationis amplecti, & in probro scandaloque Crucis gloriari? Crucifixum inter latrones, ut Deum agnosci, coli, exaltari, omnibus viribus, omnibus operibus, omnibus impensis, sanguinis, honoris, libertatis, vitæ, inter omnes gentes, in omnibus regionibus terræ, in omnibus sæculis temporum? Ergo unum solumque Christum Crucifixum nôsse tota sapientia est, eum autem solum ignorare, absoluta stultitia. Quoniam verò sapientia saporem habere debet, quo si careat, sapientia nec esse, nec dici potest. Totum hoc, quod sapientia agnoscit intellectu, etiam voluntate sapere, gustare; atque veluti manducare debet. Itaque quisquis supra dicta in Christo Passo, & ex Christo Passo cognoscit, eadem etiam voluntatis affectibus juxta cujusque exigentiam tenere, atque saporare, seu sapere debet: potissimùm autem, Deum super omnia æstimando, proximum sicut semetipsum diligendo, ad sui contemptum omnimodum, exemplo Christi, & desiderio similitudinis ejus anhelando, peccatum super omnia mala odiendo, & fugiendo. Dei voluntati cordialiter æternaliterque secundùm ipsammet voluntatem Dei inhærendo, deque ejus obedientia tam summè gaudendo, quàm de inobedientia medullitùs dolendo, denique secundùm imaginem Crucifixi Jesv ita omnia in Anima, & corpore, inque omnibus viribus horum, ita inquam ordinata, pacata, Christo conformia habendo, ut nullus in homine motus adversùs rationis lumen, adversùs fidei ductum, adversùs exemplaris Christi regulam, rebellis sit; sed cuncta obtemperent homini in homine, prout & ipse homo plenè obtemperet Deo: sicque fruatur & gaudeat homo ipso se sibi subjecto, sicut fruatur & lætetur idem homo, Deo sibi benignè familiari, & familiariter benigno.

Hunc igitur in modum Passio Christi Donorum fructuumque Spiritûs, & speculum, & magistra, & largitrix est iis, quibus interiora ejus patescunt. Patescunt autem illis, qui in Passione Domini, obstinatâ assiduitate erudiri laborant, & gaudent, in exaltatione Dei, in dilectione proximi, in vilificatione, & exinanitione & perditione sui, in odio peccati, in imitatione Jesv Christi, propter Jesvm, & hunc Crucifixum.

MODVS LXXXIII.

OCtogesimus tertius Passionem Dominicam meditandi Modus esse potest; Considerare illam, quomodo omnia septem Sacramenta Ecclesiæ ab ea manant, efficaciamque omnem sumunt. Cùm enim Passio Domini sit una & sola, & universalis medicina vulnerum, apotheca pharmacorum, balneum puritatis, debellatio & victoria hostium, armatura contra omne inimicorum genus, sacrificium pro peccatis, & holocaustum, mors vitiorum, vita virtutum, thesaurus meritorum, fons gratiarum, officina sanctificationis, resuscitatio mortuorum, conciliatio pacis, testamentum fœderis æterni, placatio Patris æterni, clavis cœli, jus ad beatitudinem æternam, & denique totum id, quidquid ad salutem nostram pertinet. Sacramenta autem sint totius Passionis hujus, omniumque in ea contentorum bonorum receptacula, & veluti gazophilacia ex quibus Ecclesia pro usu, necessitatibusque filiorum suorum depromat, ut incolumitatem, copiam, opulentiamque filiorum suorum promovere omni tempore, loco, occasione, possit. Manifestum est Sacramentorum virtutem omnem à Passione Christi esse.

vide supra Modum 43.

Hoc autem multò etiam pleniùs affirmari & credi debet, de Sacratissimo Sacrificio Missæ, in quo non tantùm est efficacia Passionis, ut in Sacramentis esse diximus: sed est ipsamet Passio, ipsaque Christi realis oblatio, & immolatio, & ipse Christus in Persona sua, actu offertur à semetipso in illum eundem salutis nostræ finem, in quem super aram Crucis, in monte Calvario olim, oblatus fuit. Et quanquam etiam in Sacramento Eucharistiæ, realiter est Christus præsens totus: non est tamen ibi cum Sacrificatione oblativa sui, (estò per eam ibi constituatur) sed per solam præsentiam suam instar convivii, cibi, potusque ad nutrimentum animarum nostrarum.

His positis non est difficile pio meditatori, pervidere omnia Sacramenta Ecclesiæ in Passione Christi, eorumque ex ea dimanationem, efficacitatis derivationem.

Baptismum esse in Passione, & ex Passione Domini satis constare potest vel ex eo, quòd illam Dominus ipse noster vocet Baptismum suum. *Baptismo* (inquit) *habeo baptisari, & quomodo coarctor usque dum perficiatur?* Et Petrus Apostolus cùm dixisset, temporibus Noë per contemptibile lignum (Arcam scilicet) salvatas fuisse octo Animas à diluvio, mox subdit, etiam nunc fideles Christi per Baptisma

Sap. 10. 4. 1. Pet. 3. 20.

simile

simile illi Noëtico salvos fieri, alludens sinè dubio, hanc similitudinē inter Baptismum nostrum & diluvium Noë in eo esse, quod utrumq; fieret per contemptibile lignum, nempe per Arcam ibi, hîc verò per Crucem Christi, quo satis ostendit Apostolus: Baptismi virtutem, à Cruce & Passione Christi esse. Unde alius Apostolus ait ad nos per aquam & sanguinem venisse Filium Dei. *1. Ioan 5. 6.*

Confirmationis Sacramentum etiam ex Christi Passione tum manare, tum vim suam desumere, ad baptisatorum Animas confirmandas, atque militiæ Christi contra Carnem, Mundum, Diabolum authorandas, dubitari non potest. Cùm constet *Arma militiæ nostræ non esse carnalia, sed spiritualia & esse potentia Deo*: & insuper non tam esse *contra carnem & sanguinem* licèt & contra hæc ambo, sed tamen primariò *adversùs principatus & potestates, & adversùs mundi Rectores tenebrarum harum.* Istos autem hostes non posse debellari à nobis, nisi virtute Passionis & Crucis, Mortisque Christi; quâ scilicet & ab ipso Christo Domino Nostro sunt debellati, dicente ipso Domino, *quòd cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet: cùm autem fortior supervenerit, & vicerit eum, arma ejus & spolia, in quibus confidebat, auferet, & vasa ejus diripiet.* Quod totum à Christo Domino, diaboli hunc mundum tyrannidè prementis potestati factum est: debellatus est enim, victus, armis & spoliis fiduciæ suæ privatus: & non per aliud nisi per Christi sanguinem, Crucem, vulnera, mortem. Exinde ergo etiam milites Christi robur sumunt, exinde athletæ unguntur, & firmantur, arma Deo potentia, dæmonibus formidanda accipiuntur, exinde unguntur, exinde ad luctam idonei redduntur. *2. Cor. 10. 4. Eph. 6. 12. Lucæ 11. 21.*

Eucharistiæ Sacramentum in quo ipse Christus totus realiter præsens est; non tantùm ex Christi Passione vim suam sumit, sed ipsum in se Passum Dominum, ipsam Passionem ejus, atque mortem, & repræsentat, & continet, & exhibet in Cibum, atque Potum, in saginationem atque impinguationem Animarum nostrarum, in vitam gratiæ sanctificantis, & in vitam quoque Gloriæ beatificantis. Unde optimè filii Ecclesiæ canunt exultantes; O Sacrum Convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria Passionis ejus, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.

Pœnitentiæ quoque Sacramentum, in quo est Medicina morborum vulnerumque nostrorum: non aliunde nisi ex sanguine morteq; Christi. Sicut enim sanguis ille pro peccatis nostris fusus est; ita etiam eorum-

rundem peccatorum vulneribus idem sanguis unica medicina est. Quæ quia fuerunt ad mortem, ideo necesse fuit propter eorum sanationem ipsum unigenitum Dei occidi. Hoc Sacramentum exercuisse videtur Dominus noster in Latrone pœnitente, & scelera sua confitente. Ad exercitium quoque hujus Sacramenti potest pertinere videri, descensus Animæ Christi ad inferos, ubi animabus in purgatorio pœnas omnes indulgentia plenaria relaxavit, easque cum cæteris Sanctis participes beatitudinis fecit.

Ordinis Sacramentum, quemadmodum ad dispensationem, imò verò etiam ad confectionem, & sacrificationem sanguinis atque Corporis Christi, meritorumque illius, in totum Ecclesiæ Christi corpus institutum est, ita nonnisi ex Passione atque Morte Christi potestatem, authoritatem, efficaciamque habet; propter quod Dominus IESVS, etiamsi pridie quàm moreretur Sacramentum Ordinis instituit, ad ejusdem Passionis suæ memoriale perenne: Memoriale autem non sterile & vacuum, sed cum repræsentatione ejus reali, atque actuali, sed cum quotidiana ejus restauratione atque repetitione: ita ut quod in die Parasceves cruento peractum est sacrificio in altari Crucis, à Summo Sacerdote Christo, hoc ab initiatis Sacramento Ordinis, fiat re verâ, & actualiter quotidie in Ecclesia per sacrificium incruentum Altaris.

Matrimonii Sacramentum, ex sponso quoque sanguinum, hoc est ex Christi Incarnatione & Passione vim suam sumit. Imò verò ejus quædam imago est: dicente Apostolo, quòd *Sacramentum hoc* (Matrimonii scilicet) *magnum est. Ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Sicut enim Christus sponsam suam Ecclesiam, & quæsivit, & lavit in sanguine suo, *ut exhiberet eam sibi absque ruga & macula*, & sic sanguine suo sanctificatam atque dotatam, *sponsavit sibi in fide*: verè *sponsus sanguinum existens*; ità in virtute hujus desponsationis Christi & Ecclesiæ, Christianum Matrimonium gloriam Sacramenti, & gratiam efficaciamque habet, ad filiorum Ecclesiæ, fideliumque Christi propagationem, qui quamvis in peccato, etiam post Sacramentum nascuntur, virtute tamen Sacramenti jam tunc signantur ad gratiam, & adoptionem filiorum Dei, & ad filiorum Ecclesiæ numerum communionemque designantur, propiori quodam jure, quo infidelium filii carent.

Unctionis extremæ Sacramentum est quoque Passionis Christi fructus: quo Sacramento & completur sanctificatio nostra, profectioq;

ad

ad Deum instruitur & peccatorum reliquiæ abolentur, & Animæ pro ultimo cum hostibus nostris luctamine inunguntur, & corporum morbi (si ita expedit) sanantur, certè alleviantur, & tolerabiliores infirmis fiunt. Hoc autem totum, virtus est Passionis & Mortis Christi, cujus sanguis, oleum est miserationis, & balsamum unctionis, & robur infirmitatis, & certaminis tessera, & omen extremæ victoriæ, & tutela transitûs, ex hac vita, ad alteram æternam vitam. *Iacobi 15.*

In hunc ergo modum in Passione Christi Sacramenta omnia considerare licet, & quomodo ex vulneribus Passi JESV omnia promanent, virtutemque sumant, agnoscere. Non solùm autem hoc, verùm etiam si superiores modos meditandi rectè expendimus, omnia quæ in Christiana vita, Christique Ecclesia continentur, eluceſcere in Passione Domini advertimus, sive Præcepta Decalogi, sive Consilia Evangelica, sive Opera Misericordiæ, sive virtutes Theologicas, atq; Morales, sive Dona & Fructus Spiritûs Sancti, sive Sacramenta septê, sive sacrificium omnis generis. ut verissimè affirmetur Christum, in suâ, imò, suâ Passione genuisse, desponsâsse, ornâsse, & dotâsse sibi Ecclesiam, cum omni illius perfectione, sanctitate, & ornatu, prout ex prædictis, facilè patet.

MODVS LXXXIV.

OCtogesimus quartus meditandi Passionem Domini Modus esse potest: considerando quomodo in Passione sua Dominus noster Angelicas perfectiones, atque proprietates, nec non ministeria, nobis ex scripturis sacris nota, & exercuerit, & expresserit, & insuper etiam excesserit.

Angelos Sanctos, præcipuâ ratione nobis commendat pietas, quam Dominus Deus noster *mandavit illis* de nobis, *ut custodiant* nos, *in omnibus viis nostris, ne unquam offendamus ad lapidem pedes nostros, utq; super aspidem & basiliscum ambulemus, & conculcemus leonem & draconem.* Neque id solùm, verùm etiam, ut ducant nos per viam, quâ ambulemus ad patriam, præbendo lumen in tenebris, præsidium in periculis, solatium in mœroribus, robur in difficultatibus, refectionem in laboribus, stimulum & animum in cessationibus, eruditionê & revelationem in ignorantiis. Hæc omnia longè plenius est nobis Dominus noster IESVS Christus, qui est verus Testamenti Angelus, est Agnus qui solvit signacula libri, septem Sigillis clausi, est ipse liber scriptus intus & foris. Ille Passione potissimùm suâ revelavit nobis my- *Psal. 90. 11.*

mysteria abscondita à constitutione mundi. Propter quod Petro ad Passionem suam impediendam nonnihil procedenti & conanti, dixit inter alia. *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum? quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri?* Idem Dominus noster piissimâ Passione suâ, & liberavit nos, & assiduò liberat, ab omnibus incommodis periculisque salutis, & corporis quidem, sed potissimùm Animæ, liberat autem purgando, illuminando, inflammando, confirmando, protegendo, consolando, adjuvando, ornando, ditando, gratiis, meritis, omnique genere beneficiorum, usque ad possessionem vitæ æternæ, quæ non nisi per ipsam obtinetur.

Archangelorum, prout ipsum nomen sonat, munus est, majora & graviora Divinæ voluntatis decretorumque annuntiare. Quis autem & quando nobis grandiora mysteria & arcana revelavit quàm Christus in sua Passione, ac per Passionem. Christus Passus atque Crucifixus, revera Michaël fuit: qui nobis, quòd nemo esset *Sicut Deus*, ostendit. Christus Passus etiam verè Gabriel fuit, qui fortitudinem Dei in nostra licèt infirmitate absconditam exercendo nuntiavit. Christus item Passus Raphaël, seu Medicina Dei nobis exstitit, quoniã ille Passione suâ, totius mundi sanitatem fecit. Denique Christus Passione & morte suâ, Patrem nobis reconciliavit, cælum aperuit, mortem nostram vicit, mundum calcavit, peccata delevit, vires diaboli confregit, vitæ æternæ nos hæredes constituit. Hæc si quis Spirituum cœlestium nobis facta vel futura nuntiasset, meritò à nobis Archangelus dici debuisset. Christus ista omnia nobis nuntiando fecit, & faciendo nuntiavit, ita ut verissimè dixerit, tum Apostolis, *Omnia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* tum Iudæis. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi, si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite.* Horum verò operum, maximè vocalissima est Passio Christi, & vulnera, & Mors. Ipsa est enim exsecutrix omnium, ipsa lingua omnium, ipsa sigillum & obsignatio omnium. Noster ergo Archangelus fuit Passus Iesvs, & omnium Archangelorum Princeps, atque Dominus.

Virtutes hoc muneris habent, quòd operentur mirabilia atque miracula supernaturalis Ordinis, quin etiam ordinarium supernaturalitatis modum superantia. potissimùm in Hominum ad Deum, ejusque Gloriam & voluntatem, subjectionem, tum verò ad ipsorummet illorum salutem æternam, accommodata, atq; ordinata. Totus, & semper, & ubique fuit talis Virtus, Christus; at maximè, & specialissimè effi-

efficacissimèque in Passione & Cruce, atque Morte. Quod ipse luculenter affirmavit aliquando Iudæis dicens. *Ego, cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Et traxit revera omnia quidem nostra peccata, ut ea deleret; omnia nostra vulnera, ut sanaret; omnium nostrûm mortem, ut vivificaret; omnium nostrûm condemnationẽ, ut rescinderet. Traxit omnem furorem hostium, dæmonum, & hominum, ut patiendo vinceret. Omnem iram Patris Æterni, ut placaret; omne Iustitiæ debitum, ut solveret. Omnium nostrûm corda, ut obligaret. Omnium nostrûm Animas, ut beatas faceret. Præter hoc autem, Virtutis Passionis Christi atque Mortis fuit, Terræ motus, obscuratio solis, in medio die & plenilunio per universam terram, Petrarum scissio, sepulchrorum apertio, Mortuorum resuscitatio, veli templi resciſſio. Passionis quòque ac Mortis Christi virtus fuit, Conversio Iatronis, Confessio Centurionis, Populorum pœnitentia, Clamor validus in morte, Oratio pro Crucifixoribus. Virtus etiam Passionis Christi & Mortis fuit, victoria mundi, evacuatio inferni, Alligatio diaboli, Confusio mortis, Iustificatio impiorum, Pacificatio cœlestium atque terrestrium, reseratio cœlorum. Virtus Passionis & Mortis Christi est, Conversio Humani generis ad fidem, ad legem, ad consilia, ad doctrinam, ad spem, & fiduciam, ad æmulationem & imitationem, ad confessionem & dilectionem Christi, etiam per vulnera, per sanguinem, per mortem pro Christo, & quidem Christo Crucifixo, Mortuo, & sepulto. Hæc Christi Passionis virtus, omnes excedit virtutes, omnesque virtutum operationes. De Passo Christo dici potest, quod de vivente dictum est. *Quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Ioan. 12. 32. Luca 6. 19.

Principatus habent hoc proprium sive naturæ, sive muneris, quòd repræsentent Deum tanquam Principem, principiumque rerum omnium creatarum, quæ omnes ex Deo tanquam ex fonte aquæ, tanquam ex mari flumina, tanquam ex terra germina, progrediuntur, ideoque etiam Deo subsunt, atque ab eo gubernantur. Christus Dominus noster longè justiùs pleniùsque repræsentavit nobis, tam in vita, quàm in morte Passioneque sua Divinum suum in omnia Principatum. Propter quod Evangelista de illo asseruit, quia *omnia per ipsum facta sunt, & sinè ipso factum est nihil, Quod factum est, in ipso vita erat.* Ioann. 1. 3. Propter hoc etiam, cùm dormiente Domino in navicula, descendisset procella & venti in stagnum in quo navigabant, *surgens increpavit ventum, & tempestatem, & mari dixit, tace, obmutesce; & cessavit, &* Luca 8. 23.

facta est tranquillitas, dicebantq; homines timentes ad invicem. Quis
Lucæ 4. 41. *putas hic est, quia & ventis & mari imperat, & obediunt ei?* Pari ratione tam morbis, quàm mortuis, quàm etiam ipsis dæmoniis imperabat, expellebatque ea, & *increpans non sinebat ea loqui.* Porrò in Passione sua, quantopere Principatum suum demonstravit, obscurum esse non potest. verbo suo prostravit universos milites, ministrosque & Sacerdotes, qui ad eum capiendum venerant. Verbo cohibuit eosdem, ne ullum ex discipulis suis apprehenderent; solo tactu, auriculam Malchi abscissam sanavit. Coram Concilio Iudæorum se Dei filium Christum, & Iudicem venturum in gloria denuntiavit. Coram Pilato Regem se esse professus est, estò non de hoc mundo: ejusdem minas
Ioan. 19. 11. repressit, dicens. *Non haberes potestatem adversùm me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* Quid multa? Principatus Christi, super humeros Christi fuit, tum quando exivit bajulans sibi Crucem; tum quando Cruci affixus est, & titulo Crucis Regem se testatus est, & Latroni Regnum Paradysi appromisit, contulitque, & totum universum in planctum Passionis suæ Mortisque convertit. Denique Passio ejus universa, atque Mors in Cruce, aliud fuit nihil, quàm exercitium Principatûs sui, debellatio Tyrannidis diabolicæ, cui extorsit delevitque
Coloss. 2. 14. chyrographum decreti, *quod erat contrarium nobis, & illud affixit Cruci, exspoliavit quoque Principatus & potestates, & illos traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso,* passo, humiliato, exinanito, obediente, crucifixo, mortuo atque sepulto, demumque gloriosè redivivo. Hæc eadem Domini Passio, fuit Principium & fons reconciliationis nostræ cum Deo, fuit fons sanctificationis, & justificationis nostræ, fuit fons filiationis, seu adoptionis nostræ in filios, & hæredes Dei, fuit clavis adaperiens cœlos & portas justitiæ, per quas ingrediatur gens justa, id est Electi, in beatam æternitatem. Ad extremum Passione suâ Dominus Iesvs quæsivit sibi meruitque Principatum su-
Lucæ 24. 26. per omnia bona sua, juxta illud ipsiusmet dictum: *Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.*

Potestates Angelicæ, sunt repræsentatrices Omnipotentiæ Dei, tam respectu exsistentium, aut exstiturarum, quàm etiam respectu possibilium solùm rerum. Quæ Deo plenissimè subsunt, non solùm quoad esse & exsistere, sed etiam quoad posse, etiam quoad vires & potestates earum: ita ut non sit potestas in ulla creatura nisi à Deo, cujus potestati, nemo prorsus, ne ad momentum; ille autem quovis momento, omni simul potestati resistere potest, eamque pro suo arbitrio mo-

moderari. Ejusmodi Potestas fuit, & excelluit in Christo, etiam Patiente, & quidem eminentiùs, atque naturaliùs, quàm in omnibus simul Angelicis Potestatibus. Habuit & exercuit Potestatem Dominus ponendi animam suam, & iterum sumendi eam, neque ullus eam potuit tollere ab eo. Sæpius tentârant inimici Dominum tenere, comprehendere, præcipitare, lapidare; sed nihil proficere poterant, quia hora ejus necdum advenerat. Venit hora, aut potiùs ab ipsomet adducta est hora, & tunc prævalere in eum visa est potestas tenebrarum, & hora inimicorum, & odium, invidia, rabiesque persecutorum: sed tamen etiam in hoc ipso viguit Potestas Christi Domini, quia illæ manus impiorum atque hostium, quas ille in sese permiserat, ita suo incumbebant sceleri, ut tamen famularentur obsequerenturque Redemptori. Perfecta est virtus infirmitate, Sanitas Passione, Redemptio Crucifixione, vita Morte, Gloria confusione, Iustificatio iniquitate, Reconciliatio offensione. *Denique ubi abundavit delictum, ibi superabundavit & gratia.* In infirmissimis ergo infirmitatibus Passi IESV, summa & absolutissima, & Divina Potestas exercita est, omnisque diaboli potestas confracta, arma ejus ablata, spolia ejus detracta, præda erepta, ipse alligatus à superveniente fortiore, infirmitatem licèt, & ignominiam, & vulnera, & passionem, & mortem ipsam induto: quia quod infirmum & stultum erat Dei nostri, hoc fortius fuit, atque sapientius omnibus non solùm hominibus, sed etiam dæmonibus, quorum omnis rabies, & astutia devorata est in Christi Patientis & mortui infirmitate & stultitia. Hæc Potestas Dei nostri, pro nobis Passi usque hodie perseverat, semperque perseverabit usque ad finem sæculi; quia omnes, tam hominum, quàm dæmonum inimicas potestates, omnes errores, & persvasiones stultas, omnes tentationes & impugnationes violentas, omnes mundanas superbias ac vanitates, omnes concupiscentiæ carnalis licentias, & effrenitates, quibus superandis omnis in creaturis potestas est impar; Passionis tamen Dominicæ efficaciâ & potestate, per nos in nihilum rediguntur, & sicut lutum platearum delentur. Adeò, ut tantum possimus, quantùm confidimus in virtute Passionis Christi. Qua de re triumphatissimè loquitur Apostolus inter plura alia. *Certus sum enim, quia nulla creatura poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo IESV.* Neq; mirum; cùm habeamus etiam Domini ipsius hac in parte munificentiam. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & Scorpiones, & super omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit.* *Rom. 8. 38.* *Luc. 10. 19.*

Dominationes, Dominum Dei absolutum supremumque repræsentant, quo ille essentialiter omnium Dominus est, & in quo à nemine dependet, aut limitatur, sed omnia ab ipso. Christus Dominus noster, Dominus universorum fuit, non per modum dominationis alicujus, participativè, aut repræsentativè; sed essentiâ atque naturâ suâ inprimis: unde in ejus semore scriptum est; *Rex Regum, & Dominus Dominantium*: deinde fuit Dominus omnium meritoriè; quia enim *formam servi accipiens, exinanivit semetipsum factus obediens, usque ad mortem, mortem autem Crucis: propter hoc & DEVS* Pater *exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine IESV omne genu flectatur*, ejusque Dominium, atque Regnum recognoscat. Et recognovit sanè tota universitas rerum Dominium ejus, semper quidem, at maximè in Passione illius, quando illo in Cruce pendente, atque moriente, tota rerum universitas, planxit mortem ejus, tribus horis, ita ut in omnibus elementis, in saxis, & rupibus, in mortuis denique ipsis, sensus mortis, Domini sui, planctusque apparuerit. Meritoriam hanc Dominii super omnia à sequæsitionem, & acquisitionem, complevit Dominus, atque consummavit, tum pro potestate arbitrioque voluntatis suæ, inclinato capite Spiritum emittens, atque moriens; tum ad inferos, tanquam inter mortuos liber, & sicut vivorum, ita & mortuorum Dominus, tartarearumque potestatum debellator descendens; tum tertiâ die, propriâ suâ virtute, à mortuis ad vitam resurgens; quâ completâ potentiâ suâ apparens discipulis profitetur dicens: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ.* Quia enim potestatem quam ex natura habuit, in Incarnationis, ac potissimùm in Passionis, Mortisque suæ dispensatione, ipse sibi quoad usum exercitiumque quodammodo subtraxit, ideo post transactam subjectionis suæ horam, ad eandem potestatem, tanquam ad laborum suorum servitutisque præmium rediit, id ipsum congratulantibus ei cælestibus ordinibus universis, & dicentibus; *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & Divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem, & omnem creaturam, quæ in cœlo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo.*

Apoc. 16. 14.
Philip. 2. 6.
Matth. 26. 18.
Apoc. 5. 12.

Throni, sunt Spiritus repræsentantes Divinam Æquitatem, Justitiam, Majestatem, atque Reverentiæ illi debitæ Profunditatem. Vnde Throni dicti sunt illi Spiritus, tum quia in eis Deus residet, quietissimè omnia judicans, discernens, concludens, atque decernens, immotus, ac imperturbatus ipse: tum quia in submissione humili-

militateque profundissima illorum Spirituum ; Deus ipse cum quadam securitate conquiescit, magnificè in eis adimplens, quòd super humiles atque trementes ad suos sermones descendat, atque in eis requiescat. Christus Dominus noster absq; omni dubitatione, & Thronus fuit ipse ; & Passio ejus fuit Thronus ejus. Fuit Thronus, quia Divinitas ejus resedit, requievitque in Humanitate ejus. Christo enim omne *judicium dedit Pater, quia Filius Hominis est ; & ipse constitutus est à Deo Patre, Iudex vivorum & mortuorum, cui omnes Prophetæ testimonium perhibent.* In hoc Throno sive solio, vidit Isaias *Dominum nostrum sedentem super solium excelsum, & elevatum, & majestate ejus plena erat omnis terra.* At etiam Dei Hominis Christi Thronus fuit Passio tota, & in specie Crux ejus. Tota enim prævia vita Christi cursus fuit, unde ex itinere fatigabatur, unde pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo. Neque conquievit nisi in Passione sua actuali, affirmante ipsomet ac dicente : *Baptismo habeo baptisari, & quomodo coarctor usque dum perficiatur* ? Perfectus est Baptismus in Passione & Cruce : ibi ergo resedit, ibi conquievit Dominus ; ad quod etiam ipse respexit cùm diceret. *Ecce ejicio dæmonia, & sanitates perficio, hodie, & cras, & tertiâ die consummor,* atque perficior, & conquiesco. Maximè verò hanc suam, in Passione & Cruce, veluti in Throno sessionem, quietem, Iudiciariæque Potestatis exercitationem expresit Dominus, quando affirmatè dixit, præsertim per Prophetam. *Tu cognovisti sessionem & resurrectionem meam* : sessionis nomine Passionem & mortem Crucis, sepulturamque suam significans ; partim per semetipsum. *Nunc judicium est mundi, nunc Princeps hujus mundi, ejicietur foras. Et. Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum, hoc autem dicebat significans quâ morte esset moriturus.* Iudicavit ergo Christus in sua Passione atque Cruce diabolum, judicavit mundum, judicavit peccatum, judicavit mortem, tam temporalem, quàm æternam. Hoc judicio periit Iudas traditor, conversus est Petrus abjurator : hoc judicio damnatus est latro impœnitens, salvatus latro confitens ; hoc judicio damnata sunt peccata, salvati autem peccatores ; hoc judicio excusati sunt apud Patrem crucifixores, quia ignorabant quid facerent ; & concussione totius universi, rescisione veli, ad sancta sanctorum, damnati & deserti sunt impii & incorrecti cætus Sacerdotum, & Pharisæorum. Quodsi ad humilitatem Christi reverentiamque, quâ se Christus submisit Patri, respexerimus ; & hæc utique Thronus Christi consummatissimus fuit. In hoc ille humilitatis, re-

Ioan. 5. 22. 27. Act. 10. 42. Isaiæ 6. 1.

Luoæ 13. 32.

Psl. 138. 2. Ioan. 12. 31.

verentiæ, manſvetudinis, exinanitioniſque throno reſidens clamabat omnibus; *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* In hoc throno tam per omnes gradus menſuraſque exceſſit, ut omnibus ſimul collectis creaturis, etiamſi omnes eſſent Divinæ Parenti dignitate pares, omnibuſque earum humilitatibus, ac reverentiis ſub Deo congregatis, non tantùm non ſint adæquaturæ, ſed neque ſatis imitaturæ Humilitatem Chriſti. Alia enim eſt, alia per omnem modum, alia infinities infinitè humilitas, quâ ſe vilificat creatura, quæ eſt abſolutè nihil, & nihil; & alia Humilitas, quâ ſe exinanivit Deus-Homo, & exinanivit factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis. Hùmilitate ſuâ quantâcunque nunquam excedit creatura vilitatem nihili ſui; at Deus-Homo, ſi ſe vel ad latum ungvem humiliet, limites immenſæ Dignitatis ſuæ tranſit. Quàm enim vilitati creatæ debita eſt omnis vilificatio: tam Dignitati Increatæ nulla omnino competit humiliatio, multoque etiam minùs exinanitio. Quare nemini magis Thronus fuit Humilitas, & erga Deum Reverentia, quàm Chriſto ſua Exinanitio, & deſcenſio.

Cherubini, ſuo nomine ſonant ſcientiæ atque ſapientiæ plenitudinem; quia nimirum repræſentant hi ſpiritus ſemetipſis Divinam omniſcientiam, omniumque veritatum conſummatam, comprehenſivam, intimam intelligentiam, in quacunque conditione, & ſuppoſitione. Non quòd Cherubini ipſi Deum comprehendant, ejuſque ſcientiam & ſapientiam cognitionibus ſuis adæquent, ſed quòd naturis ſuis oſtendant Deum talé eſſe, qui omnia nôrit, intueatur, comprehendat. Dominum noſtrum IESVM Chriſtum, omnes Cherubinos ſapientiâ exceſſiſſe facilè confitebitur, qui noverit de eo dictum ab Apoſtolo; *quia in eo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.* Item. *quia in eo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi.* Nunquam autè magis fuêre iſti theſauri abſconditi & latentes, (quantùm ad hominum, ſeu hoſtium oculos) quàm in Patiente & Moriente Chriſto: quamvis alioqui revera tunc maximè eluceſcebant iis, qui oculos ad diſpiciendum idoneos habebant. Vnde Apoſtolus idem affirmat: *quia nos prædicamus Chriſtum Crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam, ipſis autem vocatis, Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam*: deque eadem re alibi idem dicit: quia *quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus.* Quid enim ſtultius cogitetur quàm Deum pati, crucifigi, mori, voluntate, atque ſpontaneo conſilio, propter nulli uſui ſibi futuras cauſas, & quas potuerit longè faciliori, honeſtioriſque

Coloſ. 2. 9.
Coloſ. 2. 3.
1. Cor. 1. 24.
1. Cor. 1. 25.

riq́ue consilio expedire? sed quod stultum est Dei, sapientius est omnibus hominibus, omnibusq́ue hominum sapientiis: quæ omnes in hac una Dei stultitia devoratæ, eversæ, confusæ, & exinanitæ sunt. Propter quod Apostolus nullam aliam sapientiam, atque scientiam, sibi vel optavit, vel gratulatus est, *quàm scire IESVM, & hunc Crucifixum.* 1. Cor. 2. Neque id soli sibi, verùm & omnibus aliis exoptavit, & precatus est. 2. Sic enim ait. *Hujus rei gratiâ flecto genua mea ad Patrem Domini nostri IESV Christi, ex quo omnis paternitas, in cœlis & in terra nominatur, ut det vobis secundùm divitias gloriæ suæ, virtute corroborari, per Spiritum ejus in interiorem hominem, Christum habitare, per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati, & fundati; ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum, scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Ephes. 3. 4. Hæc est Apostolica pro omnibus fidelibus ad Deum postulatio, quâ postulat omnibus, Passionis atque Crucis Christi, plenam perfectamq́ue scientiam, & in ea, absconditam licèt, supereminentem tamen charitatem, quam consequatur impletio in omnem plenitudinem Dei. Et profectò Passio Christi est, illa *Clavis David*, quæ cui aperit mysteria seu Fidei, seu Scripturarum sacrarum, seu etiam aliarum veritatum atque scientiarum, huic nemo claudit; cui verò illa claudit (sicut claudit omnibus non credentibus, & negligentibus, & contemnentibus) huic nemo aperit, ad nihil inquam ei proficit omnis humana sapientia, sed & ipsa fidei lux, tenebræ sunt illi, & scripturarum lumine excœcatur potiùs, atque induratur, quàm in salutem proficit. Christus ergo noster verus Cherubin: & plus quàm Cherubin est. Isaiæ 22. 22. Apoc. 3. 7.

Seraphinorum munus est, ardere Charitate, & hoc ardore repræsentare Charitatem, quæ Deus est, quâve diligit ille semetipsum, & omnia in se, propter se, ac semetipso. Dominum nostrum IESVM Christum si dixero non arsisse amore Seraphico, in Patrem suum Æternũ, & in nos, injurium me Charitati ipsius divinæ profiteri cogar: de quo enim aliquando Seraphinorum dictum est, quod Dominus noster de sua Patrisq́ue in mundum charitate dixit. *Sic DEVS dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut mundus salvetur per ipsum.* Ioan. 3. 16. De cujus charitate dictum est. *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. lampades ejus, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Cant. 8. 6. De cujus item Charitate scriptum est. *Si dederit homo omnem substantiam domus*

mus suæ pro dilectione, quasi nihilum despiciet illam? Hoc utique Christus Dominus re ipsâ fecit, in omni quidem vita sua, incipiendo ab inde, quando *VERBVM Caro factum est, & habitavit in nobis*, usque quando in Cruce pendens *tradidit in mortem Animam suam.* de qua charitate ipsemet judicium tulit, quando dixit, *quia majorẽ hac dilectionem habet nemo, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Exaggerat verò hoc ampliùs Paulus, qui dicit nos non amicos, sed *cùm adhuc inimici essemus*, dilectos esse, *atque reconciliatos Patri per Christum*: Quam etiam Charitatem idem Paulus *nimiam vocare* non veretur, sicuti & Lucas excessivâ aut potiùs *excessum* ipsum. Porrò totam hanc suam erga nos charitatem ipsemet Christus suæ erga Patrem dilectioni attribuit, tanquam ei, cujus solius gratiâ nos ille dilexit. Nos enim cur amaret omnino nullam aliam causam habuit, ideo sese Passioni accingens dixit discipulis. *Vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.*

Ioan. 1. 14. *Isaiæ 58. 12.* *Ioan. 15. 13.* *Rom. 5. 10.* *Eph. 2. 4.* *Lucæ 9. 31.* *Ioan. 14. 31.*

Plùs quàm ergo seraphicam exercuit charitatem Dominus Iesvs Christus Salvator noster, in omni quidem vita, at potissimùm in Passione, & morte sua. Neque potest cogitari actus ullus magis Seraphicus, ipsâ Christi Passione: cujus comparatione omnes Seraphinorum actus, omnesque ardores, merum gelu, merumque frigus sunt.

MODVS LXXXV.

OCtogesimus quintus meditandi Passionem Domini, Modus esse potest. Considerando quomodo, Passione suâ Dominus noster nos homines aptaverit, ad restaurandas implendasque Angelicorum Ordinum ruinas. Constat enim cum Lucifero, seu Dracone rebelli magnam quoque multitudinem Angelorum apostatâsse à Deo, neque *servâsse suum principatum, sed rudentibus inferni in tartara detractam.* Hanc etiam Apostasiam constat non ex uno tantùm aliquo ordine choroque Angelorum contigisse, sed ex diversis, atque probabile esse, quòd ex omnibus. Constat denique ad Dominum nostrum Iesvm Christum pertinuisse, atque adeò etiam re ipsâ peractam esse hanc reparationem ruinarum Angelicarum: ratione cujus reparationis, Christus, Caput & Dominus est etiam Angelorum, ut sit totius Civitatis Cœlestis Hierusalem Princeps, & Caput, & Rex. Cujus rei plures videntur esse assertiones in divinis literis. Talis est, cùm David loquitur de Christo: *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas*; Angelicas haud dubiè, supplemento ex hominibus á se redemptis accepto. Qui etiam

Iudæ 6. *2. Petri 2. 4.*

Pro-

Propheta Deum precatur pro eadem instauratione Angelicâ, cùm ait: *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Ierusalem*, cælestis utique non terrenæ: neque per alios, quàm per homines illuc aptatos, inibique dispositos. De qua eadem Civitatis Cælestis per homines à Christo redemptos completione Apostolus Paulus sæpius loquitur; ut cùm ait: *Accessistis ad Sion montem, & Civitatem Dei viventis, Ierusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitivorum.* Et alio loco ait. *Deus proposuit in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt, in ipso* Plura adducere testimonia Sacra, supervacuũ duco, unum tamen afferre libet, de Christi Domini Principatu etiam super Angelos, de quo graphicè videtur loqui Apostolus quando commemorat *Dei Patris operationem potentiæ virtutis, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur; non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro. Et omnia subjecit sub pedibus ejus: & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est Corpus ipsius & plenitudo ejus.* Clara sunt Apostoli verba, si cui tamen luce videntur egere, interpretes adeat. Nunc ego quomodo per Dominicam Passionem homines disponuntur præparanturue ad reparationem Angelicarum ruinarum, paucis attingo.

Psal.50.20.

Hebr.12. 22.

Eph.1.9.

Eph.1. 19.

Inexhausta siquidem Pietas & Mansvetudo Christi, præcipuâ quâdam ratione in Passione ipsius elucens, quâ etiam inter alia pietatis opera, & operam dare se protestatus est Æterno Patri non se perdere quenquam ex his quos ille sibi dedisset, præter filium perditionis, & in ipso æstu furentium in se hostium Malcho auriculam restituit, Petrum verò nimio terrore, à suæ confessionis promissâ constantiâ dejectum, benignissimo oculorum suorum conjectu, ad pœnitentiam sauciavit, & lamentatrices suas piissimè affatus, consolatusque est, & in Societate cruenti crudelisque supplicii consortem Regni Æterni Latronem invenit, an potiùs fecit, & denique pro Crucifixoribus suis transgressoribusque Patrem rogavit, hac pietate plùs quàm Angelicâ, Angelicam nos pietatem, erga nostros proximos docuit, reparandæq; Angelorum ruinæ idoneos fecit. Pietas enim in fovendis proximorum præsertim animabus Angelica virtus est; sicut odium proximorum, proprium est dæmonum.

Iam verò Prædicatio veritatis, & testificatio atque enarratio mysteriorum

riorum fidei, pro cujus doctrina & assertione Dominus IESVS animam suam posuit, nosque ad ejus testificationem coram principibus, & populis terræ, tam verbo, quàm magis exemplo animavit, dicens; *qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, & coram Angelis.* Matth. 10. 22. Hac ratione ordinauit instruxitque nos, ut ad Archangelos pertingere possimus, quibus in eo similes reddimur, quia ad Iustitiam Dei alios erudimus, & viam Dei, ejusque tum præcepta, tum consilia, in veritate docemus, atque prædicamus.

Porrò dum in Passione Dominica virtutum heroicas operationes, generosamque Christi Crucifixi imitationem, atque Crucis ejus post ipsum bajulationem, opprobriique ejus portationem addiscimus, & eam quà verbis, quà operibus, quà mentis affectibus adimplemus, virtutum Angelicarum ruinis instaurandis idonei reddimur. Vbi enim dilucidiùs virtutes Christi Domini heroicæ, atque etiam exemplares, veleluceſcunt, vel ad sui æmulationem provocant credentium animos, quàm in ejus vita, ac potissimùm Passione? Quare ab ea specialissimè parte tum in animo virtutibus ornamur, tum etiam in cœlis virtutum choro inserimur.

Ad Principatus autem conscendimus, quando ex *Christo Passo in Carne, & nos eâdem cogitatione armamur mortificationem ejus, Christi in Corpore nostro jugiter circumferimus*, atque juxta Apostoli monitum, *in carne passi*, & in sensibus nostris edomiti *desinimus à peccatis, ut jam non desideriis carnis*, neque desideriis sensuum, neque etiam *desideriis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est, in carne vivamus temporis*, tenente principatum ratione ac fide, & regente vitam conversationemque nostram divinâ lege, & exemplorum Christi imitatione. 1. Pet. 4. 1. 2. Cor. 4. 10.

Ad Potestatum Chorum explendum, disponit nos Passio Domini nostri, quando fide, virtute, exemplo, meritisque illius roborati, atque *in potentia virtutis Domini confirmati, nec non armaturâ Dei nostri superinduti, stamus adversùs insidias diaboli: quoniam non est nobis colluctatio* (tantùm) *adversùs carnem & sanguinem, sed etiam adversùs principes & potestates, adversùs mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Quemadmodum enim nunquam, & nullibi magis potestas tenebrarum, atque universa diaboli fortitudo contrita & confracta est, quàm in Passione, & à Cruce Domini nostri IESV Christi: ita quoque & nos, quicunque in Christo baptisati, & cum eodem consepulti sumus, nullo ex armamentario arma potentia Deo, ad resistendum nequissimis potestatibus uberiùs atque certiùs depromimus, quàm ex Christo, & eo quidem Crucifixo. Domi-

Dominationum ruinis explendis à Passione & Cruce Domini nostri idonei reddimur. Crux enim Domini atque Passio, est *virga illa virtutis ejus, emissa ab ipsomet ex Sion ad dominandum in medio inimicorum suorum*, atque etiam nostrorum. Cùm verò inimici nostri, sint domestici nostri, ac vel maximè nosmetipsi; ideo istud est præcipuum dominium nostrum per Christum, ut sciat unusquisque nostrûm possidere vas suum in sanctificationem, non in passionibus desideriorum infrunitorum, nec in animo irreverenti, sed in disciplina & correptione Domini, quam ille nobis in semetipso, ad imitandum sustinendumque proposuit, quando attritus est propter scelera nostra, & disciplina pacis nostræ facta est super eum. Et quidem ille peccatum non fecit, neque dolus inventus est in ore ejus, neq; inventus est quisquam, qui argueret eum de peccato, ut testati sunt de eo, vel ipsi inimici ejus, Iudas, & Pilatus, & Herodes; at verò nos in peccatis concepti atque nati, regnans habuimus peccatum in nobis, & dominata est nobis injustitia, & obedivimus concupiscentiis nostris, servientes eis ad voluntatem earum, & exhibentes tam membra nostri corporis, quàm potentias animæ, arma injustitiæ ad iniquitatem: propter quod Passio Domini hoc in nobis efficere, & nos in hoc instruere maximè debet, quia & sola potestas; ut dominemur ipsis nobis, omnibusque tam potentiis, quàm membris; omnibus tam vitiis, quàm concupiscentiis, ita ut mens nostra nihil sinat, quin & (quoad fieri potest) neque sentiat in se inordinatum, nihil superfluum, nihil non ad suam, divinæque legis regulam. Deus autem plenè dominetur nostrî, juxta voluntatem suam sanctam, beneplacentem, & perfectam, ut in omnibus, tam prosperis, quàm adversis, fiat voluntas ejus, & nos exemplo Domini nostri, quæ placita sunt ei faciamus semper. Sic enim verè & nos domini erimus, & Dominus dominabitur nostrî: & inter Dominationes Angelicas erit habitatio, atque gloria nostra. *Ps. 109. 2.*

Ad Thronos Angelicos sublevat nos etiam Domini nostri Passio & Crux. Quemadmodum enim Christus per Crucem & Passionem suam planè in novissimo loco consedit, tribuens id humilitati, atque erga Patrem observantiæ, & reverentiæ prorsus abyssali, ut esset novissimus virorum, adeòque non homo, sed opprobrium hominum, & abjectio plebis, neque nidum, neque foveam, neque ullum omnino in mundo terræ palmum, vel cespitem, in quo suum caput reclinaret, vel pedem poneret, habens, sed inclinato, atque demisso, & pendulo capite mori debuerit: propter quod exaltatus est à Deo Patre, & ad dexteram

xteram ejus consedit, habens omnia sibi ab eo subjecta, tam quæ in cœlis, quàm & quæ in terris, quàm quæ & infra sunt. Ita & nos facere oportet, humiliari per omnia, & propter reverentiam honoremque Majestatis, subjici omni creaturæ, *cum omni humilitate, & mansvetudine, cum patientia supportantes invicem.* Exemplum enim dedit nobis Dominus, ut quemadmodum ille fecit, & nos similiter faciamus, accenseamurque illis, de quibus profitetur, quia non respiciet *nisi ad pauperculum & contritum corde, & trementem sermones ejus.* Denique ait. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus.*

Ephes. 4. 2.

Isaiæ 66. 2.

Apoc. 3. 21.

Cherubicis spiritibus associamur adæquamurque etiam per Passionem Domini. Hæc est enim vera & sola sapientia scire IESVM, & hunc Crucifixum. In Christo enim Crucifixo omnium est sicut congregatio, ita & elucidatio, atque etiam completio veritatum. Propterea Dominus IESVS ut plurimum impletionem scripturæ Dei, per Passionem suam urgebat: & quando post resurrectionem aperiebat sensum Apostolis, ut scripturas intelligerent, dedit eis veluti clavem ad hunc intellectum Passionem suam, *dicens eis: quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis.* Atque id ipsum fecit cum duobus illis Emmaunta proficiscentibus: quibus ut ostenderet *quia hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam. Incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant.* Nimirum Passio & Crux & Mors Christi, totius est Divinæ sapientiæ thesaurus, omnium veritatum gazophylacium, omnis scientiæ atque disciplinæ magisterium, in quo quantò quis ampliùs proficit; tantò ampliùs sapientiæ Cherubicorum spirituum appropinquat; quorum Sapientia universa, Christus est.

Lucæ 24. 46.

Lucæ 24. 26.

Seraphicis denique mentibus æquiparamur, & adaptamur à Passione & Cruce & Morte Christi. Etenim ubi majora, ubi (inquam) omnibus Seraphicis flammis atque ardoribus majora, vel reperire, vel concipere est incendia, quàm in Dominica Passione. Quid est Passio Christi, nisi excessus Amoris Divini? quid est Crux Christi, nisi schola dilectionis divinæ? quâ ita Deus dilexit mundum, ut non pepercerit filio suo propter ipsum. Quid denique est mors Christi, nisi nimia Dei charitas, quâ cùm exæstuasset immensitas illa, omnes transgressa est limites, & usque ad nimietatem accesit? Quis quæso Seraphinus, quis ordo Seraphinorum etiam totus, me ita Charitatem ac dilectionem doceat, saltem verbis: quomodo in illa erudior, à Christi Passione, in

ne, in immensum exaggeratis exemplis, exemplorumque divinæ charitatis potentis? Omnes Seraphinorum, atque etiam omnes omniũ creaturarum conversi in Deum amores, amorumque ardores, Divinæ Majestati, Dignitati, Amplitudini collati, vix sunt, ac ne quidem sunt, unius instar scintillæ oculo conspiciendæ; at verò una Passio Domini nostri IESV Christi, tantum ebullit & eructat dilectionis Dei, atque proximi, quantum Divino per omnia licèt immenso cordi exsatiando sit satis. Nisi enim satis esset, nunquam Passio Domini IESV, nos inimicos, nos naturâ iræ filios, nos in servitute peccati, & diaboli sepultos, Deo reconciliasset, nunquam filios Dei fecisset, nunquam Divinæ consortes naturæ reddidisset, nunquam hæredes Dei, cohæredes autẽ Christi constituisset. Nunc autem omnia hæc sumus, & quidem per charitatem Christi Crucifixi sumus.

Et quamvis hoc ita se habeat tamen (ah probrum vel dicere, sed plus quàm probrosissimum ita esse) tamen (inquam) nos inter tanta charitatis Christi erga Deum, & erga nos propter Deum, incendia, torpescimus, gelascimus, rigescimus, & tales quidem infiniti sumus? vix aliqui, & admodum sanè pauci, qui vel modicum quiddam, de istis sempiternæ charitatis flammis concipimus atque fovemus. Ita nobis ex Redemptore nostro, pro nobis in Cruce mortuo, patet ad omnem non tantùm salutem, sed etiam celsitudinem beatitudinis aditus, & via, nisi eam nostra nobis incogitantia, ingratitudo, & peccatorum amor insatiabilis obstrueret.

MODVS LXXXVI.

OCtogesimus sextus Passionem Dominicam meditandi Modus esse potest. Considerare quomodo Passioni Domini nostri respondet gloria Beatorum in cælo. Dupliciter autem respondere potest. Primò meritoriè, ita ut expendamus, quam partem beatitudinis, quâ parte Passionis suæ Dominus noster promeruerit. Etsi enim totâ Passione, & quâlibet ejus parte totam promeruit gloriam cœlestem Beatis suis Dominus, assignari tamen possunt per piam considerationem, certæ partes Passionis, habentes quandam proportionem, ad certas partes gloriæ, quæ per illas promeritæ videri possint. Altero modo respondere potest Passio Gloriæ Beatorum nempe exemplariter, de quo modo, in sequenti proximè agemus. Nunc autem priorem proponemus.

Beatitudo Cælestis hominum beatorum (de horum enim agimus)

complectitur hæc. I. Beatitudinem Animæ, quæ consistit in visione Dei intuitiva, Amore beatifico, & gaudio, fruitione, possessioneque, seu tentione Dei æternâ. Estque hæc beatitudo Essentialis atque substantialis. II. Complectitur beatitudinem corporis quæ consistit in quatuor ejus dotibus, nempe 1. Immortalitate seu impatibilitate. 2. Claritate. 3. Agilitate. 4. Subtilitate. III. Complectitur Laureolas, quæ sunt triplices. 1. Virginum. 2. Martyrum. & 3. Doctorum. 4. Complectitur glorias accidentales, quæ beatis adveniunt frequentissimè ex variis occasionibus & causis, connexionibusque ipsorum Beatorum cum ipsis. ut v.g. quoties alicujus Beati exemplo, seu doctrinâ, proficiunt viatores in Dei & proximi amore, & obsequio, in studio virtutum, in exercitio pœnitentiæ &c. toties illi Beato obvenit accidentalis gloria, juxta illud Domini nostri verbum. *Gaudium est Angelis DEI in cœlo, super uno peccatore pœnitentiam agente*: de hac etiam accidentali gloria intelligendum illud. *Gaudium Domini, fortitudo nostra.* Istæ omnes Beatitudinis portiones, habere possunt partes suas, in Passione Domini, quibus emeritæ, & acquisitæ sunt Beatis, Has partes assignare quisque pro suo ingenio arbitriove potest, ego partim minuendi laboris, partim paradigmatis causâ, sic designo.

Lucæ 15. 7.

2. Esdræ. 8. 10.

Primùm ergò, Possessionem Dei beatificam, emit nobis Dominus noster venditione atque traditione sui, quam à Iudâ discipulo in manus inimicorum subiit. Emit etiam traditione illâ, quâ donum à Pilato traditus est voluntati Iudæorum, & denique illâ à suo populo sui sanguinis super se, & super filios eorum acceptatione.

Deinde visionem beatificam & intuitivam Dei sicuti est, emit nobis Dominus Comprehensione & Captivitate sui ab inimicis, circumductioneque illâ ad subselia Iudicum,, tam Iudæorum, quàm Gentilium.

Tertiò. Gaudium & Fruitionem Tentionemque Dei beatificam promeruit nobis Dominus, desiderio suo, quo flagravit, patiendi pro nobis, item affixione ad Crucem per manus, atq; pedes. Siti quoque & fellis ac aceti gustatione. Oratione quoque ad Patrem pro transgressoribus, ac demum derelictione sui à Patre, quam testatus est ipse.

Quartò. Corporis gloriam in universum promeruit nobis partim sudore sanguineo in horto, partim verecundiâ in tot repetitis nudationibus, partim cruentissimâ, crudelissimâque flagellatione, atque laceratione corporis sui.

Quintò

Quintò. Immortalitatis seu Impatibilitatis dotem meruit nobis Cruciatibus suis in Cruce, Agoniâ trium horarum, & denique morte in eadem funesta trabe.

Sextò. Agilitatis Dotem meruit nobis ultroneo occursu hostibus suis, ad se capiendum venientibus. Item vinculis toties sibi injectis auctisque, usque dum crucifigeretur.

Septimò. Claritatis Dotem obtinuit nobis, nocturnis pœnis in domo Caiphæ, ubi velaverunt faciem ejus, & dabant ei alapas, & colaphis eum ceciderunt, & prophetisare jusserunt, & alia multa blasphemantes in eum dixerunt, demumque totâ illâ nocte, indignissimis crudelissimisque modis habuerunt.

Octavò. Subtilitatis Dotem acquisivit nobis Dominus, Oratione & agoniâ in horto: pavore & tristitiâ, & tœdio cordis, vulnere lateris, & sepulturâ.

Nonò. Laureolas promeruit nobis Dominus illusione tum per vestem albam Herodianam, tam chlamide coccineâ, tum spineâ coronâ, & arundineo sceptro, totâque illâ consputatione, alapis, illusoriis salutationibus, & in specie dum in Cruce consummavit martyrium, caputque exstitit martyrum; dum ex Cathedra Crucis docuit, perdendam potiùs vitam, quàm obedientiam, dum inter Matrem Virginem, & discipulum, ipse quoque Virgo mortuus est, tres omnes in se laureolas dedicavit.

Decimò. Accidentales glorias promeruit Dominus noster omnibus Passionis suæ accessoriis conditionibus, atque circumstantiis, tum exterioribus, tum maximè interioribus, Christo soli notis. ac potissimùm inexplebili amore Dei Patris, & propter illum etiam amore salutis nostræ; accessit dolor compassivus super ruina populi sui, tam Spiritualis & æterna, quàm etiam corporali, similis dolor super lapsu Petri, super maternis doloribus, super aliorum amicorũ suorum luctu.

Vndecimò. Gloriam quinque sensuum corporis meruit Dominus noster afflictionibus suorum quoque sensuum externorum: quâ de re pleniùs dicetur in fine modi sequentis.

Ex his pii Meditatoris Animus cognoscat fructus Passionis Dominicæ, qui se etiam in Beatos, beatitudinemque eorum effundunt: cognoscat suam & omnium hominum, & inprimis beatorum obligationem, tum ad agendas gratias adeò profusæ Domini nostri in nos charitati; tum ad faciendas quoque de suo aliquas impensas, Christi hisce impensis unitas, ad propriæ beatitudinis acquisitionem. Agnoscat

scat quoque & accuset, & defleat & emendet, emundetque suam, & aliorum infinitorum ingratitudinem, negligentiam, mollitiem, in respondendo tantis Christi, nostrî causâ susceptis laboribus, exhaustis doloribus, profusis sumptibus, quæsitis & acquisitis beatitudinibus. &c. Agnoscat denique & accendatur, ad quærendos Christo eos, qui beatitudinis ab illo ipsis promeritæ participes sint, disponendosq; eosdem quàm maximè, ad summam capacitatem participationemque Beatitudinis, ita sibi à Christo quæsitæ. In hoc namque studio consistit & excellit zelus, non tantùm erga proximos Christi sanguine redemptos, verùm etiam erga ipsiusmet Christi gloriam, quam ille pro suis omnibus passionibus potissimùm ex nostra ultimata beatitudine percepit, tanquam præmium & mercedem. Neque possumus excellentiùs nostram in Christum vicissim protestari depromereque charitatem, quàm si plurimos, & quantùm ex nobis, omnes adnitamur exhibere Christo plenissimè glorificandos. Hoc enim est maximam, quæ fieri possit, procurare Christo mercedem laborum, & Passionum, & meritorum suorum.

MODVS LXXXVII.

OCtogesimus septimus Modus Passionem Domini meditandi esse potest, Considerare qualiter Passio Christi respondet exemplariter Beatorum præmio, atque gloriæ in cælo, & hæc vicissim illi. Cùm autem dico exemplariter respondere, in eo sensu dico, quia quædam partes Passionis Dominicæ correspondent partibus Beatæ gloriæ proportione quâdam, non tantùm propter similitudinem, aut identitatem, verùm etiam propter efficientiam, atque adeò & propter contrarietatem.

Primò. Abscondita sapientia, veritasque contempta, & partim falsitatis, partim stultitiæ velamine obscurata, respondet visioni Dei intuitivæ, quâ jam Beati non per speculum, & in ænigmate, sed revelatâ facie ad faciem, sicuti est, Dei essentiam per ipsam essentiam intuentur.

Secundo. Charitas Christi Domini erga Deum Patrem, nec non erga nos homines propter eundem, quâ dilexit nos, & tradidit se ipsum propter nos, excessivè (ut loquitur Evangelista) itemque nimiè (ut loquitur Apostolus) respondet Amatori beatifico, eidemque fruitivo, incessabili, & necessario, quo beati diligunt Deum, eoque fruuntur, absorpti & transformati totâ voluntate in Amorem Dei, ita ut nihil

hil diligant, nihil diligere velint, nihilque diligere possint, nisi unum & solum Deum; semetipsos autem ac omnia alia, nonnisi in Deo, & propter Deum, & quatenus in eis relucentem vident Deum.

Tertiò. Subjectio Domini nostri, quâ se & Patri, & creaturis usq; ad traditorem, ad hostes, ad crucifixores, propter excellentiam, propter reverentiam, propter obedientiam, propter dilectionem ejus, submisit, humiliavit, à forma consubstantialitatis Dei, ad formam & habitum servi, & peccatoris, & maledicti, usque ad exinanitionem, prout loquitur Apostolus. respondet, vel respondentem sibi habet possessionem atque tentionem beatificam Dei. Nulla etenim virtus, sive affectio nostra accessum facit vel nobis ad Deum, vel Deo ad nos, etiã in illa beatitudine, nulloque modo immobiliùs Deus in nobis, & nos in Deo habitamus, nullo etiam jure, intimiùs, atque naturaliùs, securiùsque Deum tenemus, possidemusque, ab eodemque vicissim tenemur, ac possidemur, quàm exinanitione nostrî, & perditione, quæ possit esse annihilativa nostrî, exaltativa autem & æstimativa Dei. Quocirca, rectè in Christi propter nos, coram Deo Patre humiliatione, statuitur proportionatissimus quidam locus, æquissimumque jus possidendi Deum beatificè.

Quartò. Desiderium & sitis famesque Christi ad patiendum pro gloria Patris, & pro salute nostra, quâ, totâ vitâ se arsisse testatus est ipsemet Dominus, & maximè in ipso Passionis tempore, atque feruore eâdem arsit, ac planè æstuavit; totumque ideo passionum suarum mare, instar unius calicis atque haustûs reputavit, & nequaquam per eum ardori suo æstuique satisfactum, voce illâ in Cruce emissâ *Sitio* demonstravit. Hoc inquam desiderium, adeò sitibundum & famelicum, respondentem habet in Gloria beatorum, fruitionem atque delectationem & gaudium, atque exsaturationem, quam Beati habent de Deo, & in Deo, & propter Deum.

Quintò. Saturatio (ut eam scriptura vocat) opprobriorum, irrisionum, contemptionum, blasphemiarum, nec non odiorum, & execrationum, detestationumque; Insuper exprobrationum, insultationum, mordacitatum, & subsannationum, quibus hostes Christi furores, odia, invidentias, omniaque in Christum virulentissima studia sua expleverunt, & simul ipsum Christum exsaturaverunt, dicente Prophetâ: *Saturabitur opprobriis.* Et iterum ex persona ipsiusmet Domini, *Satiati sunt pœnis meis.* Habet respondentem sibi in Beatitudine cœlesti, Laudationem & Exaltationem Dei, quâ Beati in sæcula sæcu- *Thr.3.30. Iob.16.11.*

lorum laudant Deum, & nunquam fatigantur, satianturve laudando; sed perpetuò videntes Deum omnibus suis laudibus supervalere, easq; infinities magis ac magis superexcedere, accenduntur & æstuant, in
Psal. 68. 31. glorificationem & superexaltationem Dei, *quem magnificari in sua laude*, ampliùs ampliusque majorem reperiri, post omnem, & super omnem laudem suam experiuntur laudantes, & laudant experientes.

Sextò. Enormissima Immanitas & simul perpetim exaggerata multitudo, atque longitudo pœnarum cruciatuumque Domini nostri usq; ad mortem, perinde truculentam, ac infamiæ plenissimam, à Domino nostro voluntariè, omniq; cum promptitudine animi tolerata, habet respondentem sibi in Gloria Beatorum Impatibilitatem & Immortalitatem, quâ Beati æternùm perfruuntur, securi de vita æterna. Morte siquidem Christi spontaneâ, debellata est mortis necessitas omnis, absorptaque est mors in victoria sua propria; nam dum Christum subegit, subacta est; dum vicit, victa est; dum triumphavit, suo triumpho triumphata est, & aditum immortalitati reseravit, omniq; jure in homines cessit, aut potiùs excidit.

Septimò. Resignatio, non minùs plena, quàm prompta, atque devota Domini nostri, quâ non suam voluntatem, sed Æterni Patris in bibendo Passionis calice perfici, ultro consensit, imò petiit. quâ etiã hostium invadentium furori sponte obviam iit, quâ in manus Patris commendatum spiritum moriens emisit, atque tradidit, quâ denique nullum non tantùm impedimentum, sed neque lenimentum, ac solatium, ac demum neque moram admisit in Passione atque morte sua, sed oblatus est quia ipse voluit; respondentem sibi habet in felicitate beatorum Agilitatem, pernicitatemque, propter quam nulla eis creata opponi possunt impedimenta, quominùs sistere sese possint quocunque demum suus eos impetus voluntatis, atque placiti ferat.

Octavò. Indignitati injuriarum, omnisque generis injustitiarum, nec non contumeliarum, per virulentissimas, simulque mendacissimas, & aculentissimas linguas & mentes hostium, Christo in Passione illatas, quibus tota Anima Christi penitissimè penetrata, atque sauciata fuit, cujusque talis dolor exstitit in Christi Divino corde, ut omnes alios dolores Corporis & Animæ illius excesserit, in ipsasque creaturas insensibiles sensum sui immiserit, planctumque cœlo, terræ, mari, saxis, & rupibus, ipsis denique mortuis ac sepultis indixerit. Huic inquam indignissimæ indignitati respondet in Beatis subtilitas atque veluti quædam spiritualitas, tam quoad hoc, quia instar spirituum penetra-

penetrare poterunt omnia corpora, & obstacula: tum quia instar quoq; spirituum, nullis actibus vitæ vegetativæ, aut nutrientis egebunt, *sed erunt sicut Angeli Dei* ut Dominus locutus est. *Matth. 22. 30.*

Nonò. Abscondito vultu Christi, hoc est, ita Passionis & ignominiâ, & acrimoniâ, & accumulatâ alterius super alteram multitudine, alterato, atque prorsus immutato, ita ut cognosci reputarique à desiderantibus Prophetis non potuerit, eò quòd neque decorem, sed neque speciem retinuerit sibi solitam, atque innatam: respondet Claritas resplendens, tam in ipso Christo, post resurrectionem, quàm in Beatis Deo beatificè fruentibus. Et ni fallor, videtur ipse Dominus Iesvs, huc respexisse in gloriosa transfiguratione sua facta ante mortem suam in monte Thabor. *Sciens enim omnia, quæ ventura erant super eum*: atque eadem prænuntians, quin etiam (ut Matthæus loquitur) ostendens discipulis suis, *quia oporteret eum ire Ierosolymam, & multa pati à senioribus, & scribis, & Principibus Sacerdotum, & tradi gentibus ad illudendum, & flagellandum, & conspuendum, & denique ad occidendum*: præludere quodammodo voluit, atque gustum aliquem exhibere passuræ Humanitati suæ, illius gloriæ atque felicitatis, quæ illius passionibus atque afflictionibus successuræ post resurrectionem fuerant. Propterea transfiguratus est in monte supra dicto, *& facta est species vultus ejus altera, resplenduit sicut Sol: vestimenta autem ejus splendentia & candida nimis sicut nix.* Tanquam si ostenderet Dominus, illi absconsioni sui vultûs, successuram retribuendamque esse, claritatem ejusdem instar solis, imò & supra claritatem omnis solis. *Ioan. 18. 4. Matth. 16. 21. Luc. 18. 32. Luc. 9. 29. Matth. 17. 2. Marci 9. 2.*

Decimò. Cruci & Morti Christi, quâ consummatus est, tum omnis labor ejus, tum exaltatio Patris, tum redemptio & salus nostra. In qua testimonium perhibuit veritati, & quæ fuit ejus cathedra morientis, & in qua denique virginis natus, virgo ipse, virginum curâ & favore speciali perfunctus, mortuus est: respondent laureolæ tres beatorum, videlicet Laureola Martyrum, Laureola Prædicatorum, Laureola Virginum.

Undecimò. Afflictioni omnium & singulorum sensuum in Christo Domino, quos indubitatissimum est, (& aliàs supra explicatum) in tota Domini Passione afflictissimos fuisse, omnes, & singulos; respondent eorundem sensuum omnium in Beatitudine consolationes atque glorificationes, tam in ipso Christi Domini corpore, quàm in Beatorum corporibus, similitudinem gloriæ Corporis Christi, in se deferentibus, imò ex illo derivantibus: sicut enim potissima sensibilis *vide supra Modum 6.*

gloria ac beatitudo in cœlis erit gloria Christi Corporis, & à gloria ejusdem Sacro-Sancti Corporis; sic etiam ex ea, & ad instar ejus, potissimùm Beati glorificabuntur in corporibus suis. Attestatus est hoc Sanctus Patriarcha Prophetaque simul Iob, de uno sensuum suorum, scilicet de visu (est autem ratio eadem aliorum quoque sensuum) quando dixit. *Scio quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die, de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle meâ, & in carne meâ videbo DEVM meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius*, (pro me.) *Reposita est hæc spes in sinu meo.*

Iob. 19. 25.

vide supra Modum 6. & Modum 27.

Duodecimò. Afflictioni omnium & singulorum sensuum Christi Domini in Passione, (omnes siquidem in Christo habuerunt suos, & quidem plures gravesque cruciatus) in gloria beatorum respondent sensuum quoque omnium beatitudines in corporibus beatis.

Visûs Christi afflictioni, respondet amplissima delectatio visûs & oculorum beatorum; videbunt enim & delectabuntur aspectu Sanctissimæ Iesv Christi Humanitatis, quam intueri in sua gloria atque majestate erit secundaria Sanctorum, substantialis tamen Beatitudo, & ea quidem quantum ad sensualem perceptionem, propria erit hominibus Beatis: in Angelicos enim Spiritus, ut pote sensibus destitutos ea non cadit. Exaggerabit hanc oculorum ex visione Humanitatis Christi delectationem in Beatis, quòd non tantùm personam ipsa Christi Domini intuebuntur, sed etiam omnia ejusdem opera in terris per Hominem susceptum gesta quæcunque, & quotiescunque voluerint repræsentata sibi, tanquam præsentia intueri poterunt. Intuebuntur cùm libuerit Christum Incarnatum in visceribus purissimæ Matris Virginis, intuebuntur natum in stabulo, involutum fasciis, positum in præsepio, conversantem cum hominibus, sudantem sanguine in horto, subjectum flagellis, coronatum spinis, Cruce onustum, in Cruce pendentem, mortuum, sepultum, redivivum. &c. Eritque exinde eis summa delectatio, gratiarum actio, exaltatio Christi. Accedet huic oculorum Beatorum ex aspectu Christi delectationi, eximia quoque delectatio ex visione Sanctissimæ Dei Matris, nec non Sanctorum innumerabilium, secundùm corpora glorificatorum, idque cum admirabili & gratiosissimâ varietate formarum & figurarum, in omnibus singulisque beatis corporibus exsistentium plùs quàm speciosissimè, quæ delectatio exaggerabitur etiam inde, quia Beati mutuò poterunt videre actiones perpessionesq; suas externas, quas in hac vita gesserunt, sive benè & laudabiliter, sive etiam malè, sed in pœniten-

tentiam, in humiliationem, in fructus dignos pœnitentiæ; in Dei timoris, & amoris, & feruoris instaurationem.

Auditûs Christi afflictioni; respondet illa Auditûs Beatorum delectatio, ex admirabiliter svaviſſima laudatione, exaltationeque ex ore omnium Beatorum resonante, tum Sanctiſſimæ Trinitatis; tum Christi Domini, beneficiorumque, & operum, & perfectionũ ejus. *Exultabunt enim Sancti in gloria, & exaltationes Dei in gutture eorum.* Vnde & *Beati* (sunt) *qui habitant in domo tua Domine, in sæcula* (enim) *sæculorum laudabunt te.* Et quemadmodum de Seraphinis Isaias: de quatuor autem animalibus Sanctis Ioannes narrat, *quia non habent requiem die ac nocte, dicentia Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus DEVS omnipotens*: ita sinè dubio partes omnes cœlestis domicilii resonabunt Dei laudibus, & hymnis canticisque novis & melodiis nunquam in hac vita excogitatis, nunquam autem cessantibus ab ore Beatorũ, quoniam hæc est merces eorum, hoc etiam negotium amantium, hæc vita glorioſorum, & beatè Deo perfruentium. Aderunt & aliæ laudes resonantes in ore Sanctorum jugiter, quibus laudabunt Deum, & in Deo glorioſiſſimam, ſpecioſiſſimam, pretioſiſsimamque Dei Genitricem; laudabunt item in Deo Sanctos concives ſuos, & ſocios in beatitudine, desumentes materiam laudis inceſſabilis tum ex beneficiis, gratiisque omnibus in Sanctos à Deo profusis, tum ex Sanctorum pro Deo, pro ejus gloria, & voluntate, pro ſua quoque ſalute, & gloria æterna, exactis laboribus, & exinde meritis. Ibi audire erit exaltantes Deum Patriarchas, tum Prophetas, deinde Apoſtolos & Evangeliſtas, tum verò Martyres, itemque Virgines, cantico, quo, nemo alius poterit, tum confeſſores, tum omnem chorum Sanctorum. Ibi audire erit unamquamque gentem ante thronum Dei & Agni congregatam, & laudes Deo & Agno dicentem. *Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & Agno.* nec non illud *Redemiſti nos Deo in Sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione: & feciſti nos Deo noſtro regnum, & Sacerdotes, & regnabimus.* Ibi quoque erit audire jubilantes coram Deo, & Christo ejus: omnes Ordinum Religioſorum familias, & familias seorsum cũm Patriarchis ſuis atque fundatoribus. &c. Erit quoque Auditui Beatorum ſingularis valde delectatio, ex converſatione colloquiisque mutuis inter ſe: tum quia omnis eorum ſermo erit divinus, deque Dei laudibus, & Dei voluntati placens, tum quia nihil erit in ſermonibus illis, non ſapienter, non ſanctè, non ſyncerè, non amicè, non divinè dictum, ſed per omnia erunt hujuſmodi, quales decent Sanctos & Beatos.

Pſ. 149. 5. 6.

Iſa. 6. 3.

Apoc. 4. 8.

Apoc. 7. 10.

Apoc. 5. 9.

Odoratûs Christi afflictioni, respondet in Beatorum corporibus delectatio odoratûs eorum. Tota enim illa Cœlestis Civitas, svavissimo sensibili erit odore fragrantiâque plenissima: idque tum ex suapte conditione, ad omnem beatitudinem facta, tum ex ineffabili corporũ beatorum omnium, ac singulorum, inprimisque Sanctissimæ Humanitatis Christi, nec non Matris ejus glorioſissimæ Corporis svaveolentissima constitutione, ut proinde ibi supra quàm justissimè inclametur Christo, ejusque Matri. *Trahe nos post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* *Cant. 1. 3.*

Gustatûs Christi afflictioni, respondet in Beatorum gustatu delectatio sensibilis, per omnia quidem admiranda, sed inprimis ex eo, quia sapor ille, gustatum Beatorum recreans & oblectans, erit quasi ex cibis, & tamen sinè cibis, & nihilominus svavior omnibus saporibus, qui haberentur ex cibis, idque sinè fastidio & nausea satietatis, & repletionis. Neque hoc est aut difficile, aut inconveniens, esse exhibeique Beatis in cœlo à Deo suo, cui facile & decorum erat in populi Israël sustentationem, atque solatium peregrinationis, atque solitudinis, dare per quadraginta annos manna mirabile, quod cùm unicum tantùm esset, *habebat tamen omne delectamentum, & omnis saporis svavitatem:* addente etiam causam congruam, Sacrâ Scripturâ, sed magis in beatitudinis statum quadrantem; dicit namque Sacer textus: *Substantia enim tua, dulcedinem tuam, quam in filios habes ostendebat, & deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat convertebatur.* Quod sinè dubio magis decet tam Majestatem beatificantis Dei, quàm beatorum ipsorum beatissimam, & omnium bonorum aggregatione perfectam conditionem. *Sap. 16. 20. lb. V. 21.*

Tactûs sensui in Christo Domino afflictissimo, respondet purissima & synceriſsima ejusdem sensûs in beatis delectatio: intrabunt enim in gaudium Domini Dei sui, non tantùm secundum animam, verùm etiam secundùm Corpus affluentes omni Sanctæ voluptatis svavitate. ut quemadmodum in patiente Christo Domino à planta pedis, usque ad verticem, non erat sanitas, sed omnia vulnus, & livor, & sanguis, & plaga tumens, & dolor immensus, pro salute & sanitate beatorum suorum; ita & in eis jam per merita sua beatificatis, nihil sit non gloriâ & honore circumdatum, nihil non plenum delicatæ voluptatis puritate. Quemadmodum item totum corpus hac in vita servivit animæ, per multiplices suas calamitates, atque afflictationes, ad promerendã æternam felicitatem: ita vicissim ex Anima beatificata atque glorificata, de-

ta, defluat in corpus, & in omnes ejus sensus; atque partes experimentum atque possessio, congruæ, competentisque sibi & statui suo beatitudinis, & oblectationis.

Hunc in modum nobis relucet in Passione Domini Cœlestis Beatitudo, vicissimque in hac resplendet Dominica Passio. Hunc etiam in modum potest pius meditantis animus, ex amarissimo pastu Dominicæ Passionis, transire in svavissimum Beatitudinis æternæ gustum, rursumq; ex hujus sapore dulcissimo, devolui ad saluberrimum saporem gustumque salutiferæ Passionis Christi.

MODVS LXXXVIII.

OCtogesimus octavus Passionem Domini meditandi Modus esse potest: advertere & expendere, quomodo Christus Dominus in sua Passione possedit octo Beatitudines à se quondam in Evangelio commendatas, atque virtutibus heroicis hujus vitæ assignatas, nobisq; ad eas quærendas, & acquirendas, exemplo suo demonstratas. Et est quidem de hac re actum supra. hoc tamen loco aliud quiddam dicere volumus, meditandumque proponimus. Nempe quomodo in Passione Domini relucent octo beatitudines, sed non secundùm hujus vitæ statum, verùm secundùm beatitudinis cœlestis & æternæ possessionem. Nemini enim dubium esse debet, longè plenius perfectiùsque residere has beatitudines in cœlo, quàm hîc in terra; hîc enim exsistunt magna ex parte laboriosæ, difficiles, meritoriæ, & in spe, exspectationeque magis, quàm in re: ibi autem sunt, per modum præmii, & mercedis, & completæ comprehensæque in æternum retributionis. *vide suprà Modum 32.*

Proponimus ergo in præsenti modo meditandum Dominum IESVM, etiam in sua Passione actuali possidentem omnes octo beatitudines, etiam secundùm statum gradumque cœlestem, seu quomodo in illa gloria cœlesti Sanctis, inprimis verò Sancto Sanctorum communicantur.

I. Itaque Pauperrimus tum in omni mortali vita, tum specialiter in sua Passione IESVS, non solùm Spiritu, sed etiam re ipsâ, adeò ut locum non habuerit in toto mundo proprium, in quo vel pedem ponere, vel caput reclinare posset; quin neque corporis sui possessor ad mortem sepulturamque fuit, sed à Pilato Præside emendicandum, ab Iosepho Arimathæo, eidemque ab eodem Præside donandum, ac tum demum tanquam res Iosephi propria, in proprio sepulchro Iosephi recondendum fuit. Nihilominus simul ditissimus Dominus fuit possessione, *Marci 15. 45. Mat. 27. 60.*

sione, imò Dominatu, Hæreditateque Regni cælestis, cujus possessionem, etsi, quà passione, atque morte, quà nudissimâ paupertate promerebatur, attamen simul etiam illud habebat, atque possidebat jure Creatoris, jure Domini naturalis, jure hæreditatis. unde dixit post mortem suam. *Hæc oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suã.* Exercuitque Dominus IESVS dominium hoc quando consortium hujus regni adhuc vivens, imò in Cruce pendens latroni illud promisit: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradyso.*

2. Mansvetissimus & Mitissimus per omnem modum in sua Passione Dominus, qui *velut Agnus mansvetus ad victimam, non aperuit os suum, neque comminabatur, cùm malediceretur,* possedit ipso Passionis suæ tempore terram, non solùm Animæ & Corporis Sacratissimi, quod in ultima cœna tradidit discipulis, ac toti cum eis Ecclesiæ suæ. Neq; solùm terram totius mundi, defluente in eum possessione illius ex Divinitatis consortio, & in cujus *medio tunc operabatur salutem nostram.* Neque solùm terram cordium humanorum, de qua dictum ad illum est à Patre, *dabo tibi gentes hæreditatem tuam*: verùm etiam terram illam Cælestem viventium, de qua dicebat apud Prophetam: *Portio mea in terra viventium.* Et iterum. *Placebo Domino in regione vivorum.*

3. Lugens & tristis Dominus IESVS, atque adeò vir dolorum, & sciens infirmitatem, afflictus quasi luctu strutionum, nec habens consolatorem in Passione sua. Nihilominus in eadem ipsa, & consolatus est à Patre cœlesti, quando orans cum lachrymis & clamore valido, in diebus carnis seu Passionis suæ in carne exauditus est pro sua reverentia, sed & ipse consolatus est Matrem suam, atque Ioannem discipulum, consolatus & latronem pœnitentem, necnon Petrum negatorem, quem ad delictum suum amaris lachrymis deplorandum, intuitu amabilium oculorum suorum adduxit. ut taceam quod inter eandem suam Passionem fuit Dominus lætitia omnium Angelorum, Patris Æterni voluptas, & *Deus totius consolationis,* tam eorum qui in terra, quàm eorum, qui sub terra exspectabant ejus consolationis gratiam.

4. Esuriens & sitiens in Passione Dominus, non tantùm naturali indigentiâ, sed etiam spirituali fame sitiq́ue gloriæ Patris sui, salutisq́ue nostræ, ac beatitudinis æternæ: saturabatur interea, in Passione quidem doloribus & opprobriis, & contumeliis, at verò simul eodem tempore saginabatur & potabatur fruebaturq́ue evidentiâ, atque certitu-

citudine beneplaciti divini, obedientiæque præcepti quod exsequebatur, saginabatur dulcedine excellentissimi supra omnem captum operis exsecutionis, successûsque altissimi consilii divini, quod erat ordinatum in Redemptionem hominum, in reconciliationem offensi iratique Dei, in restaurationem ruinarum cœlestium, in abolitionem peccati, in debellationem diaboli, in victoriam mortis, in liberationem captivorum Patrum, in reserationem portarum æternalium vitæ æternæ, in gloriam corporis sui. Saginabatur fructu & effectu Passionis suæ, mortisque, & meritorum suorum, sciens intuitivè quanta bona exinde erant manatura, quantæ virtutum exercitationes perficiendæ in electis suis, quanta Divini nominis exaltatio, tam in hac vita, quàm in futura victuris. Fuitque hæc satietas Christi tanta, ut omnes Passionis amaritudines per eam illi dulcescerent, minorarentur, & unius quasi calicis haustûsque viderentur, imò rédderentur. Hinc illa famelica Christi ad Patrem vox : *Pater fiat voluntas tua.* & illa ad Petrũ. *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum.* Maximè verò illa in Cruce. *Sitio.* Sitivit enim Passionis calicem, quia inebriabatur per illum, omnium Passionis fructuum plenissimâ ubertate, quâ deinceps inebriaturus erat electos suos totâ æternitate. Sic jam tunc disponens illis regnum, ut ederent & biberent super mensam ejus in regno ejus, in quo facturus esset illos discumbere, se præcincto & ministrante, atque inclamante. *Comedite amici, & bibite & inebriamini charissimi.* Ubi non esurient neque sitient amplius, neque cadet super illos Sol, neque ullus æstus, scilicet quia Agnus in medio throni est, & qui occisus est, & regit illos, & transiens ministrabit illis, & ducet eos ad vitæ fontes aquarum. *Matth. 26. 42. Ioan. 18. 11. Cant. 5. 1.*

5. Misericordissimus Iesvs in Passione (nam quid aliud est Christi Passio, nisi prodigium & profusio excessivæ misericordiæ?) Misericordiam quoque omnimodam consecutus est, non sibi quidem, sed nobis, aut si etiam sibi, id tamen in nobis, quia tanquam caput in membris. Unde & per hanc *misericordiam suam salvos nos fecit, atque regeneravit nos in spem vivam.* Hanc quoque misericordiam sibi indultam à Patre, eidem ipse confessus est, dicens. *Quos dedisti mihi custodivi, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis.* Et quomodo periret quis ex eis, quos misericordia fovit, pietas custodivit, charitas servavit? Denique *per viscera misericordiæ Dei nostri, qui est Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, convivificati sumus omnes nos in Christo.* *Tit. 3. 5. 1. Pet. 1. 3. Ioan. 17. 12. Luce 1. 78.*

6. Mundissimus corde, & ore, & opere Iesvs in Passione sua, atte- *2. Cor. 6.*

stante etiam ipso Pilato Præside, nec non ejus uxore, insuper & Herode, ac tandem & Latrone : beatitudine visionis Dei perfruitus est, ab ipso quidem initio Conceptionis suæ, quando VERBVM Caro factum est, sed etiam in universa Passionis suæ tempestate atque diluvio, quo & lavit nos à peccatis nostris, & fecit nos sibi Ecclesiam *non habentem maculam neque rugam. Et licèt infixus esset in limo profundi,* in quo non erat substantia, licèt venisset in altitudinem maris peccatorum nostrorum, & tempestas iniquitatum nostrarum pœnarumque pro illis nobis debitarum, eum demersisset; tamen etiam sic, quemadmodum per omnia mundus corde permansit, ita etiam Divinâ perfruitus est beatificâ claritate. *Talis enim decebat ut esset nobis Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis.*

Eph. 5. 27. Hebr. 7. 26. Hebr. 8. 1.

7. Pacificus, & Pacificans omnia, Princepsque pacis, & Iustitia, & Pax nostra, Dominus IESVS in Passione, & per Passionem suam, Filius esse Dei & agnitus & vocatus est, & re ipsâ fuit, confitentibus jam tunc eum Centurione & multis dicentibus : *verè Filius Dei erat iste.* Non enim adoptione filius erat, sed naturâ, *quasi unigenitus à Patre, in splendoribus Sanctorum, & Sanctitatum, ante Luciferum,* & ante omnẽ creaturam *genitus*, qui & omnibus, quotquot credendo *receperunt eum, dedit potestatem filios Dei fieri. Neque confusus est fratres eos vocare*: quin & dare, atque communicare cum eis hæreditatem suam, ut sit ille tanquam *Primogenitus in multis fratribus*, illi autem fierent ex ipso *hæredes quidem Dei, cohæredes autem sui.* Atque hæc est illa pacificatio, quam Dominus noster Passione suâ, & morte promerendo peregit, ejusque hæreditatem in semetipso primus, sed & propter nos, tanquam caput propter corpus, & membra, possedit. Consummaturus eam plenè, & ultimariè, etiam in nobis, quando apparuerit gloria ejus, juxta illud, quod Ioannes promittit dicens. *Nunc* (quidem) *filii Dei,* (jam) *sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.*

Matth. 27. 54. Ioan. 1. 14. Ps. 109. 3. Ioan. 1. 12. Hebr. 2. 11. Rom. 8. 29. Rom. 8. 17. 1. Ioan. 3. 2.

8. Passus est Dominus IESVS persecutionem, qualem mundus non vidit, ex quo homines esse cœperunt: passus autem est non solùm propter justitiam suam, sed etiam propter justificationem nostram. Interea tamen Regnum cœlorum ejus fuit, & illi curuabatur omne genu. *Omnia enim quæ Patris ejus erant, erant etiam ipsius.* Propter quod dicebat Patri. *Pater, mea omnia tua sunt; & tua mea sunt.* At enim

Ioan. 16. 15.

supra

supra de hoc aliquid etiam quia dictum est, nunc plura hîc addere nihil attinet.

Admiremur & congratulemur admirandam adeò disparatarum rerum in IESV Passo pro nobis conjunctionem. Agamus etiam gratias tam corde, quàm ore, quàm opere, eidem Domino nostro, qui nobis & exemplum dedit, quod sequentes cum ejus gratia, beatitudines veras, tam in hac, quàm in altera vita obtineamus: & insuper Passionis mortisque suæ merito, easdem nobis acquisivit, atque obtinuit. Denique simus in hoc studio infatigabiles, ut Patientis ac morientis, pro obtinenda nobis beatitudinum istarum plenitudine, Domini IESV vestigia, assiduò, & quàm maximè, quàmque proximè premamus, facientibus & suppeditantibus nobis animos robustissimos, ipsiusmet Christi IESV tum exemplis usque adeò heroicis, tum meritis supra modum copiosis & efficacibus.

MODVS LXXXIX.

OCtogesimus nonus meditandi Passionem Domini nostri Modus esse potest; scrutando exemplares, Politicas, Purgatorias, Purgati animi Christi Domini in Passione sua virtutes.

Pro Fundamento ponenda est doctrina de virtutum varietate, neq; meliùs potest hæc enarrari, quàm est à Divo Thoma explicata.

Affirmans ergo & probans Divus Thomas, convenienter Cardinales virtutes dividi in Politicas, Purgatorias, Purgati Animi, & Exemplares: ita discurrit de singulis.

Oportet quòd anima aliquid sequatur, ad hoc, ut ei possit virtus innasci, & hoc Deus est, quem si sequimur, bene vivimus. Patet igitur quòd exemplar humanæ virtutis in Deo præexsistat: sicut etiam in eo præexsistunt omnium rerum rationes. Sic igitur virtus potest considerari, vel prout est exemplariter in Deo, & sic dicuntur virtutes exẽplares, ita scilicet quòd ipsa Divina mens in Deo, dicatur Prudentia. Temperantia verò, conversio Divinæ intentionis ad se ipsum, sicut in nobis temperantia dicitur per hoc, quòd concupiscentia conformatur rationi. Fortitudo autem Dei, est ejus immutabilitas. Iustitia verò Dei, est observatio legis æternæ in suis operibus. Et quia homo secundùm suam naturam est animal Politicum, virtutes hujusmodi prout in homine exsistunt secundùm conditionem suæ naturæ, politicæ vocantur; prout scilicet homo secundùm has virtutes rectè se habet in rebus humanis gerendis. Sed quia ad hominem pertinet, ut etiam ad divina se tra-

2. 2. Q. 61. a 5.

„ se trahat quantum potest, (ut etiam Philosophus dicit in 10. Ethicorum Cap. 7.) & hoc nobis in Sacra Scriptura commendatur multipliciter, secundùm illud, Matth. 5. *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Necesse est ponere quasdam virtutes medias inter politicas, quæ sunt virtutes humanæ, & inter exemplares, quæ sunt virtutes Divinæ. Quæ quidem virtutes distingvuntur secundùm diversitatem motûs & termini. Ita scilicet quòd quædam virtutes sunt transeuntium & in divinam similitudinem tendentium, & hæ vocantur virtutes Purgatoriæ. Ita scilicet quòd Prudentia, omnia mundana, divinorum contemplatione despiciat, omnemque Animæ cogitationem in Divina sola dirigat. Temperantia verò relinquat in quantum natura patitur, quæ corporis usus requirit.

„ Fortitudinis autem est, ut Anima non terreatur propter excessum à corpore, & accessum ad superna. Iustitiæ verò est, ut tota Anima consentiat ad hujusmodi propositi viam.

„ Quædam verò sunt virtutes jam assequentium Divinam similitudinem, quæ vocantur virtutes jam Purgati Animi: ita scilicet: quòd Prudentia sola divina intueatur. Temperantia terrenas cupiditates nesciat. Fortitudo passiones ignoret. Iustitia cum Divina mente perpetuo fœdere societur, eam scilicet imitando: quas quidem virtutes esse dicimus Beatorum, vel aliquorum in hac vita perfectissimorum. Hæc Divus Thomas.

Quibus ita explicatis considerari jam potest quomodo in Christi Domini Passione, atque etiam vita ejus universa eluxerunt istæ virtutes.

Et Exemplares quidem non est dubium in Christo Domino exstitisse, non solùm in quantum Devs verus fuit, verùm etiam in quantum Devs Homo exstitit. Etenim ipsa mens Christi, fuit in eo Prudentia, quâ voluntatem Dei, & salutē nostram operatus est, secundùm omnes rationes æternas atque Divinas, quas in Deo præexsistentes clarè intuebatur, ab instanti suæ Incarnationis, & totâ vitâ, iisdem regulatus, easdem exsequebatur, usque ad instans mortis, propter quod dicebat: *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Potrò Temperantia exemplaris fuit in Christo, quatenus ejus Theandrica Mens, & omnis intentio conversa fuit semper ad se ipsam, eamque in omnibus intuebatur, omnemque actionem suam suis mensuris admetiebatur. Fortitudo Christi in eo eluxit exemplaris, quòd immutabiliter se in omnibus habuerit, nequaquam consilium propositumve Animi ejus ulla

crea-

creatura immutare potuerit. Sic etsi hostes ejus sæpius ejus mortem attentaverint: nunquam tamen facere quidquam potuerunt. *Quia nec dum venerat hora ejus.* Sic etiam descensum de Cruce frustra sva- *Ioan. 7.*
debant, pollicentes fidem in eum, quia non in descendentem de Cru- *30.*
ce, sed in Resurgentem è sepulchro, redivivumque à morte creden-
dum esse, salvandis à se, statuerat. Iustitia Christi in hoc eluxit, quia
legem suam æternam, tùm per vitæ totius in terris cursum; tùm in Pas-
sione sua potissimùm rigorosissimè in semetipso adimplevit, adeò ut
de illo dictum sit, *quòd factus sit nobis Iustitia à Deo.* *1. Cor. 1.*

De Politicis virtutibus, quòd in Christo, & quidem perfectissimè *30.*
exstiterint, manifestum est, vitam ejus Passionemque omnem intuenti.
Perfectissimè enim se habuit semper in rebus humanis agendis, ita ut
dicere potuerit hostibus suis in faciem. *Quis ex vobis arguet me de pec-* *Ioan. 8.*
cato. Vixit fere perpetuò inter observatores actionum suarum, inter *46.*
captatores sermonum suorum, inter scandalum patientes malitiosè ex
operibus suis: neque tamen quidquam unquam deprehenderunt quod
justè accusarent. Imò aut fateri coacti sunt. *Bene omnia fecit.* aut
confusi & responso destituti abire. Et in Passionis tempore Pilatus
alioqui judex iniquitatis, tamen repetitò testimonium ejus innocen-
tiæ dedit, atque latronum concrucifixorum ipsi unus contra omnes
principes & populos non dubitavit pronuntiare de eo. *Nos quidem* *Luca 23.*
justè (patimur) *nam digna factis recipimus. Hic autem nihil mali gessit.* *41.*
Denique quod semel Dominus in alapa illa indignissimè sibi inflicta
respondit. *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem* *Ioan. 18.*
bene, quid me cædis. Hoc ipsum ad singulas pœnas suas, per omnia *23.*
momenta Passionis repetere potuit. Atque ut particulariùs aliquid at-
tingamus de hisce virtutibus.

Politica virtus fuit in Christo. Adire ad Ioannem Baptismi gratiâ. Nuptias suâ præsentiâ cohonestare, & vinum in eas largiri. Solvere didrachma, ne scandalisarentur ejus exactores: decernere, ut redderentur quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Misereri super turbam, & eam pascere in deserto. Usum naviculæ Simonis, ad docendas turbas ex ea, persolvere capturâ piscium copiosâ.

Politica virtus fuit, triumphaliter, simulque humiliter ingredi Regiam Civitatem: defendere Magdalenam à reprehendentibus ob effusum super caput ejus unguentum. Mortem amici Lazari deflere. Lavare pedes discipulorum. Obviam procedere inimicis. Proditorem amicè compellare. Osculo dignari. Invasorem suum à vulnere sanare.

sanare. Inter contumelias, probra, injurias, calumnias, vulnera, fortiter, patienter, mansvetè durare, pro inimicis orare, in parentem pietatem exercere. Spiritum Deo commendare ac tradere. Pro justitia & charitate mori, pro salute & incolumitate publica omnium, omni discrimini, jacturæ, periculo, & morti sese offerre, & impendere.

Virtutes Purgatorias quatenus iis tenditur & transitur in Divinam similitudinem, & aliquid adhuc involvunt imperfectum: in Christo non fuisse dubium non est. Siquidem ab instanti conceptionis habitavit in eo, tam Divinitatis, quàm omnium virtutum perfectionumque plenitudo. Nisi fortè cui placeat dicere ita in Christo fuisse profectum virtutum, sicut in Evangelio dicitur, *IESVS profeciſſe, Sapientiâ & ætate, & gratiâ, apud Deum, & apud homines.* Non quòd Dominus Iesvs non fuerit semper ab ipso ortu suo plenus sapientiâ & gratiâ, & perinde omni virtute, & veritate, & perfectione, sed quia (ut ait Bernardus) aliquid in eo novum accidere videbatur, quando volebat ipse ut videretur:] interim autem semper erat sapiens, & sapientissimus, & sapientia ipsa: perfectus quoque, & perfectissimus, & perfectio ipsa.

At verò virtutes Purgati Animi, quatenus eæ non supponunt ullam, quæ debuisset purgari, impuritatem: (quod præmitto ne quis ludat ludaturve in verbo) fuerunt per omnia consummatæ in Domino Iesv. Sinè dubio enim ille nihil penitus nisi sola Divina intuebatur, quod fuit Prudentiæ, terrenas etiam cupiditates prorsus nesciebat. quod fuit Temperantiæ. Passiones etiam ignorabat, imò nec habebat (sed solùm ut loquitur Hieronymus propassiones) quod erat Fortitudinis, denique cum Divina sua mente, perpetuo fœdere sociabatur, eamque perfectissimo, ac planè Theandrico modo imitabatur, quod erat Iustitiæ. Atque hæc etsi in tota vita Domini, at speciatim quâdam ratione, inter Passionis ardua, & acerba, & indigna, & funesta collucebant. ubi enim Christus magis sola intuebatur Divina? ubi passionum nescius magis? ubi terrenorum studiorum oblitus & negligens ampliùs? ubi arctiori fœdere Dei voluntati atque menti adstrictus? quàm in Passione, & Morte, in qua ne perderet obedientiam, perdidit vitam.

Ergo Christus Dominus & Rex virtutum: ergo plenus gratiâ & veritate, ergo Sanctus Sanctorum, ergo Iustus & Iustitia, Perfectus Perfectioque ipsa fuit. Nobis in omnibus relinquens exemplum, ut sequamur vestigia virtutum ejus. Et quidem non exemplarium: quia hæ creaturæ cuivis impossibiles sunt, sed in Politicis, in Purgatoriis, potissimùm

simùm autem in iis quæ Purgati Animi & exemplaribus vicinæ præ omnibus aliis sunt. Ut impleatur per Gratiam Dei à nobis in nobis, illud Domini nostri dictum. *Et vos ergo estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* quod utique fiet, si sola quæ Dei sunt intuebimur, si terrenas cupiditates ne quidem sciverimus, si Passiones ignoraverimus, si cum Divina mente perenni fœdere consociabimur eamq; imitabimur.

MODVS XC.

NOnagesimus Modus meditandi Passionem Domini esse potest. Comparando Creationem mundi cum Incarnatione atque Passione, tum etiam Resurrectione Christi Domini. Paucis carpam hanc comparationem, fusiùs tractatam ab aliis scriptoribus.

Primò igitur Moyses describit Mundi Creationem his verbis. *In Principio creavit Deus cœlum & terram.* Et potest quidem vox *In Principio*, ita intelligi: primò omnium, & ante omnia: potest nihilominus etiam intelligi, prout passim intelligitur, id est, in Filio, seu in VERBO, dicente alibi scripturâ. *Verbo Domini cœli firmati sunt.* ut respondeat initium veteris legis seu Testamenti, initio legis novæ & librorum ejus. *In Principio erat verbum.* & mox. *Omnia per ipsum facta sunt, & sinè ipso factum est nihil, quod factum est. in ipso vita erat.* Quæ Evangelii verba videntur veluti esse explicatio, in quonam Principio Deus creavit cœlum & terram: adstipulante etiam Apostolo ad Hæbreos, ubi dicit, *Deum per Filium fecisse sæcula.* adducitque Davidis testimonium dicentis de Filio. *Tu in principio Domine terram fundâsti, & opera manuum tuarum sunt cœli.* Quodsi de hisce visibilibus mundi partibus verum est in Verbo, & à Verbo conditas esse, verùm erit & multò quidem magis, alium etiam mundum cum partibus suis, hoc, ab initio creato, multò nobiliorem, digniorem, admirabiliorem, & propter hæc omnia etiam longè majorem, ab eodem, & in eodem, imò verò, & ex eodem verbo Filioque conditum esse. Antiqui vocabant Hominem parvum mundum, at Nazianzeno placuit eundem vocare magnum mundum, quod nomen justissimo jure justius tribui debet Deo-Homini Domino nostro, IESV Christo: qui semetipsum in sua Persona VERBI ex Homine-Deo hypostaticè conflans, revera *In Principio creavit cælum & terram*: hoc est in VERBO & Filio DEO uniens Animam & Corpus. Anima enim Cælum revera fuit, & quia Spiritus immortalis, & quia jam tunc ab exordio creationis suæ Hypostasi Divinæ

vinæ adhærens, & simul etiam visione Dei beatificâ perfruens; Corpus verò terra, quia terrenum fuit, & de terra Virgine sumptum formatumque est.

Adhuc autem Anima Christi Domini Cælum fuit, quoniam in ea *habitavit plenitudo Divinitatis* (ut ait Apostolus) *corporaliter*; in ea etiam omnes thesauri Sapientiæ, & Scientiæ, Iustitiæ quoque, & Misericordiæ, Charitatis etiam, & Bonitatis, reconditi erant. Corpus autem ejus terra fuit: terra nova, terra viventium, terra maledictionis omnis expers, terra in qua plantavit Dominus Paradysum voluptatis.

Præterea fuit Anima Christi Cœlum, quod à celando dictum est, quia omnia celat, & tegit omnia, sic enim etiam Anima Christi celabat intra se omne Divinitatis consilium, omnemque VERBI Divinitatem. Corpus verò Domini terra fuit, quia quemadmodum terra foditur, aratur, colitur ut fructificet; ita & Corpus Christi araverunt peccatores, & prolongaverunt sulcos suos. Sicut terra est Fundamentum omnia sustinens; ita & Corpus Christi omnes nos in sua membra admittit. Sicut terra omnes res alit, & esca omnium in ea; ita & Caro Christi verè est cibus, & Sanguis Christi verè est potus, quo nisi alãtur Animæ nostræ, vitam Spiritûs, & gratiæ, & gloriæ habere in sese non possunt.

Denique Anima Christi Domini Cœlum erat, quoniam beata, & gloriâ atque fruitione Divinitatis beatificâ plena erat. Corpus autem terra erat, quia beatitudine suâ necdum fuit dotata, sed terrenorum corporum instar passibile, mortale, ærumnis & necessitatibus subjectum erat. unde quod Moyses dixit de terra initio condita, *quòd esset inanis & vacua*, hoc Corpori Christi Domini optimè quadrat. Erat enim Corpus illud Sacratissimum inane & vacuum gloriâ & beatitudine sibi connaturaliter ob unionem cum Anima jam beata, itemque ob unionem Hypostaticam cum VERBO debita, sed per miraculum, atque propter misericordiam super nos in corpore patibili præstandam suspensa, & veluti exclusa: donec nimirum terra ista Corporis Sacrosancti fuisset omni genere ærumnarum culta, & fructibus omnigenæ salutis nostræ præparata, quin etiam gloriæ, ac beatificationi suæ meritorio jure idonea facta. Quod attestatus est postmodum suo tempore Dominus, quando dixit. *Hæc oportuit Christum pati: & ita intrare in gloriam suam.* Corpori scilicet suo inferioríque portioni sensuali debitam ex Animæ Beatæ VERBIque Divini consortio, uti supra dictum est.

Huic

Huic eidem Corpori Christi Domini optimè servit id, quod Moyses narrat de terra, eam nimirum fuisse immensis aquarum abyssis obrutam, insuperque tenebris occupatam. Humanitas siquidem Christi quoad Inferiorem sensitivam Corporeamque suam portionem, cooperta fuit à primâ conceptione sua, & deinceps per omnem vitam, maximè in Passione & Morte sua, abyssо patibilitatis, & omnis generis ærumnarum, ex patibili mortalique statu in se redundantium: magis verò ex aquis passionum tam interiorum, quàm exteriorum, plus quàm immensè dolorosarum. Maximè porrò ex tenebris mortis, quando Anima à Corpore soluta, ipsa quidem ad inferos victrix cum potestate triumphali descendit, at verò Corpus inane, vacuum, tenebris mortis obvolutum in sepulchro mansit.

Quis cogitabit & pervadet animo abyssos, quibus Christi Humanitas cooperta fuit in illa lucta in horto, ubi Iesvs cœpit pavere, tœdere, contristari, mœstus esse, orare, sudare sanguine, agonisare, usque ad mortem? Quis horrorem illum potestatis tenebrarum, in Christum totis viribus, effusisque cataractis inferni erumpentium comprehendet? Quis (ne longus per singula eundo videar) quis inquam Congregationes dolorum, omnisq; generis calamitatum maria, super Animam Corpusque Christi superinfusa permetietur. Sinè exaggeratione atque Hyperbole tunc Dominus noster vocem illam usurpavit Propheticam. *Circumdederunt me aquæ, usque ad Animam. abyssus valavit me, pelagus operuit caput meum.* Ionæ 2. 6.

Interea tamen Spiritus Domini ferebatur super aquas istas, & tenebras illas discutiebat, Verbvm scilicet Hypostaticam unionem conservans, cũ mortuo Corpore, nec dans Sanctũ suũ videre corruptionẽ, donec veniret hora resurrectionis, in qua instaurata est Humanitas Christi tota, & gloriâ atque honore beatitudinis etiam in corpore gloriosissimo coronata. Vel etiam Spiritus Domini ferebatur super aquas, quia super scelus inimicorum & interfectorum Christi, elevabatur consiliũ admirabile Trinitatis, quo, & nolebat hominem contra propositum suum perire, & scelere interfectionis Filii Dei, uti volebat, reque ipsâ utebatur ad exsecutionem Sapientiâ, Omnipotentiâ, Iustitiâ, Misericordiâ, & Charitate plenissimi consilii. Fecit enim ut manus impiorum, quas in se admittebat Filius Dei, famularentur Redemptori, & Humani generis redemptioni.

Interea quoque dixit Deus, fiat lux: & facta est lux: quia quando *VERBVM Caro factum est, & habitavit in nobis*, tunc etiam *in ipso vita erat*, Ioan. 1.

ta erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt, neque enim in propria venientem receperunt. Sed potiùs videntes eum, dixerunt. *hic est hæres, venite occidamus eum, & hæreditas nostra erit.* Sed *mentita est iniquitas sibi.* Filius enim Dei & vivens in terris, lux fuit mundi, & in Cruce patiens atque moriens noctem peccatorum damnationisque æternæ depulit, atque discussit: vivificans & *illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*: juxta quod dixerat ipse. *Oportet exaltari filium hominis.* Et. *Ego si exaltatus fuero omnia traham ad me ipsum. Nisi enim granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.*

Divisit quoque lucem à tenebris Passione & Cruce, atque Morte suâ Dominus; tum quia *non Angelos sed Semen Abrahæ apprehendit*, pendensque medius latronum, unum eorum, qui figuram gessit Adami, seu generis Humani, paradyso donavit; alterum qui typus fuit diaboli in damnatione dereliquit; tum quia Ecclesiam suam à Synagoga separavit; tum etiam quia Electos à reprobis, credentes ab infidelibus, amatores ab odientibus discrevit, in extremo suo judicio Agnos ab hædis æternùm separaturus est, quando Oves, id est, Iusti ibunt in vitam æternam; hædi autem, id est impii; in combustionem æternam.

Tunc etiam fecit Deus firmamentum ex aquis, in medio aquarum, divisitque aquas ab aquis. Passio enim, & Crux, atque Mors, & omnis Infirmitas Salvatoris nostri in Homine quem susceptit, facta est Firmamentum infirmitatis nostræ, sanitas omnis ægritudinis nostræ, sublevatio omnis ruinæ nostræ, solidatio omnis confractionis nostræ, Eruditio omnis imperitiæ nostræ, Consolatio omnis tribulationis nostræ, Abundantia omnis egestatis nostræ: denique vita omnis mortalitatis & Mortis nostræ. Dominus namque noster ostendit, imò & contulit nobis in sua Cruce gloriam, in sua stultitia sapientiam, in suis probris laudem, in sua egestate & nuditate divitias, in suis doloribus delicias, in sua afflictione dulcedinem, in suis tribulationibus consolationem, in sua tentatione gaudium, in sua infirmitate robur, in sua obedientia libertatem, in sua patientia pacem, in sua humilitate exaltationem, in sua mortificatione conservationem, in sua morte vitam, in sua fide scientiam, in sua spe possessionem, in sua charitate beatitudinem: videlicet aquarum ab aquis separationem. Quanquam sunt etiam aquæ iniquitatis, & aquæ Iustitiæ; sunt aquæ Culpæ, & aquæ veniæ; sunt aquæ mortis, & sunt aquæ vitæ; sunt aquæ peccati, & sunt aquæ Gratiæ; sunt

aquæ

aquæ Sapientiæ hujus mundi, & sunt aquæ salutares Sapientiæ Dei; sunt aquæ tribulationum, & sunt aquæ consolationum; sunt aquæ temporaneæ, & sunt aquæ æternitatis, denique sunt aquæ damnationis & inferni: & sunt etiam aquæ beatitudinis & cæli. Atque hæ omnes ab invicem Crucis Mortisque separantur firmamento.

Et ne longus sim. Dixit præterea Deus *Congregentur aquæ in unum locum, & appareat arida, & factum est ita.* Quod quid est aliud, quàm in Christum Deum-Hominem congregatas & coactas esse omnis generis gratias, & dona, & prærogativas, beneficentiæ Dei, ejusque meritorum intuitu Aridam apparuisse, hoc est, Humanam nostram naturam à Deo adamatam, & exaltatam tantopere: usque nimirum ad fruitionem Dei, aut usque ad Consortium unionis VERBI. Vel certè. Congregatæ sunt aquæ omnes peccatorum nostrorum, seu suppliciorum peccatis nostris debitorum, in unum Dominum nostrum, *posuit enim in eo* (juxta dictum Propheticum) *Pater, iniquitatem omnium nostrûm, & ipse factus est Agnus, qui tollit peccatum mundi*: ipse *peccata nostra pertulit super lignum.* Interea verò *nos ejus livore sanati sumus*, nos sumus reconciliati Patri per ipsum. Nos apparuimus tanquam Arida, immunis & innocens. Et qui *ante fuimus procul, facti sumus propè: qui fuimus non populus, & absque misericordia; facti sumus populus, & misericordiam consecuti.* denique qui fuimus *terra deserta* & invia, ecce facti sumus terra proferens *herbam virentem, & faciens* Semen juxta genus suum, *lignumq; faciens fructum suum*, fructum nimirum Fidei, Spei, Charitatis, Iustitiæ, bonorum operum. Laudis, & gratiarum actionis, & omnis virtutis, adeòque etiam beatitudinis, per merita & gratiam Domini Nostri IESV Christi, qui est Deus Benedictus in sæcula.

Gen. 1. 9.

Isaiæ 53. 5. 6.

Ioan. 1. 29.

Isaiæ 53. 5.

1. Petri 2. 10.

Gen. 1. 12.

MODVS XCI.

NOnagesimus Primus Passionem Domini meditandi Modus potest esse; Comparando statum Redemptionis, qui nobis per Passionem Domini obvenit, cum statu Innocentiæ, quem nobis DEVS in prima Creatione contulerat: & advertendo plus nobis in Redemptione à Passione collatum esse, quàm in Creatione ab Innocentia collatum fuerat.

Desumo hunc Modum à Patre Ludovico de Ponte: qui Gratiam Incarnationis Divinæ propter nos, passionisque pro nobis, cum Gratia, quæ Adamo ejusque posteris in statu Innocentiæ præstita, conferens, illamque huic præferens ejusmodi discursum instituit.

Parte 6. Meditat. 35.

Initio creavit DEVS Adamum in gratia & originali Iustitia, tan-

„ quam Caput totius Humani generis cum tali pacto, ut si ipse in ejus ser-
„ vitio perseveraret, omnes ejus posteri cum eadem gratia nascerentur,
„ in qua facilè possent totâ suâ vitâ perseverare. Abstulit enim Deus illis
„ tria impedimenta perseverandi, quæ nos modò sustinemus. 1. Rebel-
„ lionem Carnis contra Spiritum, & Passionum contra rationem. 2.
„ Mortalis Corporis miserias, quæ Pauperem Animam gravant. 3. Per-
„ secutiones & contradictiones exemplaque malorum, qui bonos infi-
„ ciunt & perturbant. Si enim aliquis tunc fuisset malus, mox illum
„ Deus à cæteris separâsset. Licèt verò tentatorem diabolum illis reli-
„ quit: poterant tamen eum facilè superare: quia illius tentatio tunc
„ non potuit esse illis tam vehemens, sicut nobis modò est. Cùm in eis
„ non potuerit Diabolus commovere humores, concitare inordinatas
„ Passiones, repræsentare imaginationes, prout nunc nobis facit, sed tan-
„ tùm ei licebat exteriùs proponere, per quod decipere volebat: quas
„ ejus deceptiones facilè fuisset tunc hominibus cognoscere per scientiã,
„ atque gratiam infusam à Deo, si eâ uti voluissent. Ex quo apparet,
„ quàm Deus voluerit homines in illo statu Innocentiæ perseverare, cæ-
„ lumque obtinere.

„ At quia Primus Homo peccando dissolvit Providentiæ Dei dispositiones, circa suam suorumque posterorum salutem, in illo Innocentiæ
„ statu: per quod commeritus erat cum suis omnibus à Deo abjici, atque
„ deseri in damnatione mortis, etiam æternæ. Nequaquam tamen ita
„ fecit Deus, sed illico aliam Providentiæ in disponenda salute humana
„ rationem assumpsit, quâ hominibus remedium adhiberet, & quidem
„ sublimiori longè quàm prior fuerat Providentia.

„ Etenim in eum finem, ex multis quæ assumere potuit mediis, ex
„ sua infinita charitate elegit glorioſissimum, quale & sapientia ejus ex-
„ cogitare, & omnipotentia exsequi, & bonitas velle potuit: ita rem di-
„ sponens, ut ex ipsis Adami posteris nasceretur Homo, qui simul esset
„ DEVS: propter cujus merita, peccatum Adami remitteretur, damnaq;
„ illius repararentur. Itaque ipsemet in Persona sua Deus exsecutor esse
„ voluit hujus suæ Providentiæ, faciens se ineffabili modo Hominem pro-
„ pter Homines; & sese caput eorum visibile; (aliâs enim erat tantùm
„ invisibile) instituens per naturæ Humanæ ad suam Divinam Personã
„ conjunctionem. Infinities majorem hac ratione honorem adhibens
„ Hominibus, quàm ante culpam habuissent. *O felix culpa, quæ talem ac*
„ *tantum meruit habere Redemptorem*! O felix fractura quæ adeò admi-
„ randâ providentiâ est reparata! O felix miseria, quæ adeò infinitis mi-
„ sericordiæ remediis est persanata? Si-

Sicut enim iſte ſecundus Adam, nimirum Chriſtus, infinitè excellit primum; ſic bona quæ per ſecundum nobis proveniunt, excedunt incomparabiliter illa, quæ per Primum adveniſſent, ſi ille non peccâſſet.

Nam Primò, etſi Filii Prioris Adami nati fuiſſent in gratia, ii tamē qui à Chriſto generantur per Baptiſmum, majorem nunc recipiunt gratiam: illis enim Deus dediſſet gratiam tantùm ex ſua libertate: at verò iſtis dat eandem etiam propter infinita merita Chriſti, qui Paſſione & morte ſuâ eam ipſis comparavit.

Deinde quamvis Filii Adami, in illo ſtatu Innocentiæ non habuiſſent pugnam Paſſionum, quam nunc Filii Chriſti ſuſtinent: hoc tamen ita diſpoſuit Divina Providentia, ut eò victoria eſſet illuſtrior, quò pugna acrior: eſſentque illorum opera magis meritoria, quò majores vincerent difficultates: ſuffragantibus meritis Paſſionis & Mortis Redemptoris, & gratiâ ejus copioſâ filiis ejus debilioribus.

Tertiò licèt Filii Adami mortem non obiiſſent, neque alias corporis miſerias experti fuiſſent, quas Filii Chriſti Domini experiuntur & ſuſtinent, ipſe tamen Chriſtus, ita illas honoravit, cùm in ſe ipſo illas ſuſcepit, ut felicitatis atque honoris potiùs ſit eas à nobis ſubiri: eò quòd omnes Dominus ipſe convertat in materiam, & exercitationem Heroicarum virtutum: quarum excellentes actus in illo ſtatu non fuiſſent. Defuiſſent enim occaſiones Paupertatis, Patientiæ, Martyrii, dilectionis inimicorum, reſignationis in re præſertim adeò chara, qualis eſt ſalus & vita, quæ tamen omnia in noſtro ſtatu dulcia ſunt, propter eum, qui prior dilexit nos, & tradidit ſe ipſum, ad hæc omnia propter nos.

Denique Miſericordiæ ejus Magnitudo, infinitè vincit miſeriæ noſtræ magnitudinem ab Adami culpa inflictam. Non enim tantam vim habuit *delictum*, ſicut habet *donum*. Nec tantum nobis potuit damnū Adamus inferre, ut eò majus bonum non potuerit nobis Chriſtus conferre, condonando ſcilicet peccatum, quod hæreditate ab Adamo acceperamus, & omne præterea aliud, quod ipſi commiſeramus. Proſequendo etiam nos tot tantiſque favoribus, poſt omnem licèt noſtram ingratitudinem, bonorumque ſuorum contemptum: adeò, ut qui in illo ſtatu fuiſſent, potuiſſent nobis jam nunc plurimas veluti invidere excellentes prærogativas, quales ſunt Communio cum VERBO Incarnato, Sacramenta, (præſertim) Euchariſtiæ. Item Sacrificium, atque Sacerdotium illi reſpondens. Influxus meritorum Chriſti in opera noſtra, quo ea dignificantur longè illuſtriùs, quàm in puræ innocentiæ *Rom.* 5. 15.

„ statu quæ omnia in hoc statu habemus nos propter merita Redemptoris nostri.

„ O Redemptor dulcissime: gratias tibi agimus quantas possumus, „ pro paterna tua erga nos Providentia: quâ felicitatem statûs Innocentiæ „ supples nobis abundantiâ copiosæ Redemptionis atque Gratiæ Tuæ Divinæ, quam nobis communicas. Meliùs est Domine tecum vivere in „ statu certaminis, quàm sinè te in statu pacis. Pax enim sinè te, uno in „ die periit: certamen autem cui Tu assistis tuâ gratiâ, obtinebit pacem „ sempiternam.

Hactenus ex Ludovico de Ponte. Quibus addo pauca, pariter ex optimo scriptore ad idem propositum.

Neremb. in Theopol. Parte 1. lib. 1. Cap. 9.

Quæ major Dei gloria, quàm authoritas misericordiæ stupendæ, & autentica illa demonstratio bonitatis suæ, quæ inimicis non solùm pepercerit, sed propter illos proprio non pepercit Filio? quæ major honorificentia nostri generis, quàm congenerē habere Deum, & collegam laborum? Omnia hæc feliciora sunt quàm antea. Ingemunt multi nostræ conditionis miseriam, clamant, accusant Adamum, propè est ut maledicant, cupidi alterius statûs. Nescio an hoc „ sit aliqua Christi oblivio. Ego valde lætor, & exulto cum Iesv meo, „ cum hoc statu miseriæ, sed gratiæ. Si eligendi alterutrum mihi præstaretur optio, hunc tristem (excepto peccato) non aspernarer quia „ felicissimum cum fraternitate Iesv, cum Gratia ejus cum necessitatibus, cum miseriis. Has exosculor, has odoro, has præfero felicitati antiquæ. Nam has sanctificavit Iesvs, has prætulit, quia pertulit. Iam Sanctas illas video. Hæ me similem Deo facient, hæ me „ exstimulant, & agitant, ut Iesvm cum illis, & in illis inveniam. Locus iste Sanctus est, & porta cœli.

„ Non est cur jam defleamus miserias istas, & exoptemus impatientibus votis, felicitatem aliam fortasse periculosam. Malo debere salutem Iesv meo, quàm Adamo. Nam debeo certiorem, fortasse majorem. Gratulor, gratulor mihi gratiam Iesv, venerandam etiam „ Angelis, & propè invidendam. Gratulor mihi vulnera unigeniti „ Dei, gratulor sanguinem Christi, gratulor patientiam potentissimi, „ gratulor tot passiones impassibilis, gratulor & meas. Multa sunt quæ „ me lætificent, si conferam utrumque statum. In illo non deessent „ peccata, quid juvaret si deessent miseriæ? In hoc non deerit Gratia: „ qu id impedit quòd abundent necessitates. &c. &c.

MO-

MODVS XCII.

NOnagesimus secundus meditandi Passionem Domini nostri Modus esse potest, tanquam quiddam Christo Deo Glorioſissimum atque omnino digniſſimum, idque in ipsa sua indignitate & enormitate. Novimus ab Apostolo Paulo notatum esse triplex Iudicium de Christi Passione, Cruce, & Morte. nempe quòd *Iudæis* quidem sit *scandalum, Gentibus* seu infidelibus gentilibus *stultitia, Electis* autem & credentibus, *Dei virtus atque Sapientia;* assignatq; rationem, non minùs veram, quàm miram, dicens: *quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.*

Expendit hoc argumentum præclarâ & oratione, & pietate citatus proximè Ioannes Eusebius Nerembergius, propterea ejusdem verbis hunc meditandi Modum hic exponam, abbreviatis tamen, vitandæ longitudinis causâ. *Euſ. Neremb. in Theopol. Parte 1. lib. 2. Cap. 27.*

Quod Gentibus stultitia est, visum Iudæis scandalum: Deum-Hominem mortuum fuisse, laboribus saginatum, & per totius Patientiæ pericula commendatum, hoc summa sapientia est, & decentissimum Deo. Cyrillus Jerosolymitanus non solam gloriosam dixit Crucem Christo JESV, sed gloriationem gloriationum. Inprimis allego privilegiariam Amoris legem, per quam nihil vilescit, quidquid amore fit, etiam vilissimum: commendare charitate omnem humilitatem, juvat addere christianam Balduini sententiam. Judas vel Judæus Christum morti tradidit, & hoc ex malignitate; tradidit Pater Filiũ, & Filius se ipsum, & hoc ex charitate. Nec traditionis est rea Charitas, sed innocens est etiam in morte Christi. Solienim charitati licet, quidquid libet, & impune: sola Deum cogere potest, quasi imperiosa. Hæc de cœlo Deum deposuit, hæc in Cruce posuit, hæc tàm innocenter quàm salubriter sanguinem Christi fudit in remissionem peccatorum.] Ergo si amare dignum est Deo, nihil indignum erit quod amatorio impetu fecerit: quantò magis pati, quod ipsum Amorem maxim è commendat. Tam abest, ut Patientia majestate IESV indigna sit, ut non solùm eam suus Amor commendet, qui commendat etiam vilia, & abjecta, sed ipsa commendet Amorem omnia commendantem.

Satis jam Actiones Divinæ fidem Amoris præstiterunt. Oportebat per omne periculum explorari, scilicet per Passiones. *Quia nos videlicet* (verba sunt Gregorii) *minùs amaret, nisi & vulnera nostra susci-*

„ *susciperet: nec vim nobis suæ dilectionis ostenderet, nisi hoc quod à nobis*
„ *tolleret, ad tempus ipse sustineret. Passibiles quippe mortalesq; nos repe-*
„ *rit, & qui nos exsistere fecit ex nihilo, revocare videli. et etiam sinè sua*
„ *morte posset à Passione.* Nos itaque quia amati à Deo vulneravimus
„ eum, ideo ut vulnera sui Amoris per vulnera sui Corporis significa-
„ ret ipse Iesvs dulcissimè affatur Animam: *vulnerâsti cor meum So-*
„ *ror mea sponsa, vulnerâsti cor meum.*

„ Deinde non indigna est Divinitate tolerantia. allego sensum na-
„ turæ, & ipsorum Ethnicorum suffragium. qui cùm filium aliquem
„ Dei suum Herculem ad exemplar virtutis proposuissent, laboribus
„ etiam exornârunt, & omni consecrârunt patientiâ. Hujus gloriam
„ lego ab Ethnicis commendatam, & per ignominiam Crucis. de qua
„ Lucius Florus, Reguli mortem narrans sic loquitur. *Nec ultimo sive*
„ *carceris, sive Crucis supplicio deformata majestas, imò his omnibus admi-*
„ *rabilior, quid aliud quàm victus de victoribus, quia Carthago non cesse-*
„ *rat, de fortuna triumphavit?* Hæc Ethnicus de Patientia Hominis;
„ quantùm gloriabitur Christianus de Patientia Dei? dicam cum Am-
Ambr. Ser. 6. brosio. *Decora facies quæ non erubescit authorem: quæ non confundi-*
Tertul. l. de Carne Christi. C. 5. *tur Redemptore.* Dicam cum Tertulliano. *Quodcunque Deo indi-*
gnum est, mihi expedit, salvus sum, si non confundar de Domino meo. Qui
me (inquit) *confusus fuerit, confundar & ego eum. Alias non invenio*
materias confusionis, quæ me per contemptum ruboris probent bene impu-
dentem & feliciter stultum. Natus est Dei Filius: non pudet, quia puden-
„ *dum est. Et mortuus est Dei filius: prorsus credibile quia ineptum est: &*
„ *sepultus resurrexit, certum est, quia impossibile est.* Dicam denique cum
„ eodem, humilitates & passiones Iesv, *necessarium decus fidei.*

„ Cæterum & fidem Majestatis tanta humilitas præstat. Non habet
„ Deus suum honorem leviter sibi adhærentem ut facilè excidat: innata
„ est illi Majestas, secura periclitari se potest, & tuta, & tota, & ma-
„ gnificè demittere. Ille enim qui non duxit rapinam æqualitatem Pa-
„ tris (etenim re verâ & legitimâ, & naturali hæreditate æqualis erat)
„ securè potuit semetipsum exinanire. Non enim rapuerat gloriam
„ (ait Theophylactus) ut timeret de illa excidere: & propterea non de-
„ dignatur humile quidquam facere: qui generosi non sunt, quod glo-
„ riam rapiant, nolunt ullo modo humiliari, ut non perdant quod ra-
„ puerunt. At omnium Rex erat Christus & Dei Filius. *Hæc summa*
„ *magnitudinis servitus est, non posse fieri minorem.* dixit Seneca.

„ Decebat etiam Magnum illum Dominum Majestatis exhiberi mi-
„ nimum,

simum, & sapientis præceptum adhuc amplecti. *Quantò magnus es humiliare in omnibus.* Elegantissimè Balduinus. *Secundum Magnitudinem dignitatis, æquâ sit mensura humilitatis, humilitas in honore, honor est ipsius Honoris, & Dignitas Dignitatis. Omnis Dignitas ipso nomine Dignitatis indigna est, si humilia dedignetur. Humilitas autem sinè honore, ipsa sibi sufficit ad honorem. Honor verò sinè humilitate sese perdidit ad confusionem.* Adjice, nullam ignominiam Patientiæ injustam esse, imò gloriosissimum est indignè pati. Quantò turpius est ob peccata meteri supplicium, tantò gloriosius sine peccato ferre: quid erit si non sit peccatum, maximè si nec alienum. Hic totus est Pudor Crucis Christi, scilicet Gloria est.

Præterea, Opera Dei imperfecta non sunt, depressit se ad Humilitatem nostram, ad exemplum; ad redemptionem, exactè debuit facere quidquid fecit: Voluit pati: debuit exactè pati: id est, nor minus quàm ullus, id est, plus omnibus. Voluit mori; debuit exactè mori, morte (ut sic dicam) mortalissimâ. Voluit humiliari: debuit exactè humiliari, debuit magnanimiter, debuit ad extremam lineam: voluit egere: debuit exactè egere, id est nihil habere. Propterea tanto voluit contemptui haberi, & execrandus judicari, *ut* (quemadmodum Anselmus ait) *nec mori dignus haberetur intra aliquam hominum habitationem, neque inter homines, nisi inter exectabiles. Neque sub tecto aliquo, nisi sub cœlo, de quo ejici non potuit, ut secundùm Prophetam opprobrium hominum & abjectio plebis æstimaretur.* Epist. 137. Denique si decens Deo fuit, Deum fieri hominem, decuit sic fieri hominem, ut minùs homine videretur. Sunt enim Divina opera eximia, & in humilibus etiam magnifica, & quodam infinitatis odore illimitata.

Multæ aliæ causæ fuerunt, quæ sic IESVM meum exigebant: Consolatio nostræ miseriæ. Exemplum virtutum ipsius. Demonstratio gravitatis peccati. Commendatio Divinæ gloriæ. Necessitas humilitatis nostræ. Et denique Doctrina vitæ. Doctrina mortis. Omnia gravia vitæ, consortio JESV patientis dulcescunt, non minùs quàm aquæ amaræ per lignum.

Plurimum quoque juvant Passio & Exempla IESV, nostro corpori excutiendo, & animi sterilitati fœcundandæ.

Porrò ad omnium malorum durissimam mortem tolerandum, quanta consolatio est exemplum Christi mortalissimè morientis, *cùm Passus sit pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus.* 1. Petri 2. Devotè & sublimiter Balduinus exclamat. *O rem mirandam & stupen-*

„ *pendam! inde obligamur usque ad mortem obnoxii, unde per mortem di-*
„ *mittimur à morte liberi: inde mortis debitum contrahitur, unde mortis*
„ *debitum absolvitur.* Iam ergo ex nova causa mortis debitores sumus,
„ quamvis ex veteri culpa, nihilominus ex nova gratia. Sed mors pec-
„ catorum pessima: debitæ pœnæ est quædam exsolutio: sic tamen ut
„ ingratitudinis nulla sequatur absolutio: pretiosa verò Mors Sancto-
„ rum quæ per mortem Christi, est quædam gratiarum actio & vicissi-
„ tudinis nonnulla similitudo. Hæc autem est similitudo, obedientia
„ usque ad mortem.

„ Vbi autem fœcundiori fructu Charitas, quàm ad præsentiam tan-
„ tæ charitatis IESV, tot laboribus, humiliationibus, passionibus, & mor-
„ te ipsâ, authenticæ, & probatissimæ? velut enim palmæ, & non-
„ nullæ arbores ad præsentiam alterius fœcundantur, & inclinantur ad
„ sociam: sic nostrum Amorem trahit Charitas IESV ex arbore Crucis.
„ Ipse dixit. *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.*

„ Quid dicam, quantùm compendio deliciarum, strangulationi (ut
„ sic dicam) elationis, & in summa, correctioni pravarum omnium
„ affectionum faciant dolores IESV, & humilitates, quarum memoriâ
„ faciliùs toleramus adversa, adversamur superbiæ?

„ Quid dignius Deo quàm dispendium peccatorum, quàm emolu-
„ mentum virtutum. utrumque artificium est Passio & Humilitas IE-
„ SV. Christus Hostia fuit pro delicto, cujus sanguis per gyrum cordis
„ nostri, (quod altare divinum est) fusus in ejus Passionis memoriam
„ dedicat & sanctificat affectus nostros.

„ Atqui formidinem peccati quid magis commendare potuit, quàm
„ ita pro alieno affligi innocentissimum Dei Filium, & Dominum Ma-
„ jestatis? Idem dico de magnitudine gloriæ, quam nobis tanto emit
„ ejus Dominus. Majestas divinarum perfectionum, & attributorum,
„ ubi dignius patefacta? ubi Misericordia? ubi Iustitia augustiùs ma-
„ nifestatæ? Namque ut nostri misereretur Filius Dei, suæ vitæ non
„ pepercit: & Pater ne derogaret Iustitiæ suæ, non pepercit Charissimi
„ Filii vitæ. Vbi Sapientia emicuit altior quàm in hoc fœdere miseri-
„ cordiæ & Iustitiæ? Vbi Patientia Dei fortior, quàm per infirmita-
„ tem omnipotens. Optimè dixit Augustinus, ejus infirmitatem ex
„ potestate esse. Vbi major Doctrina vitæ, quàm ex morte ipsius vitæ
„ per omnium rerum contemptum, & penuriam?

„ Immensum esset gloriam Humilitatis IESV & fructus Passionis ipsi-
„ us enumerare. Patet omnibus convenientia tanti Sacramenti Deo

ind

indigniſſimi. Experientia jam probavit glorioſiſſimum, cùm Paſſioni Iesv cultus & notitia Dei debeatur. Chriſti Crux ſuper Imperatorum capita, ad Majeſtatis ſignum geſtatur. Super omnem mundi gloriam hoc ſignum exaltatum eſt, ut verè juxta Iſaiæ dictum. *Super montem caliginoſum ſignum levatum ſit.*

Hucuſque Euſebius: dignè ſatis de Dignitate Dominicæ Paſſionis.

MODVS XCIII.

NOnageſimus tertius Modus meditandi Paſſionem Domini eſt; ſecundùm fines, atque uſus, & fructus, ex eadem Paſſione meditando, ac deinde utendo decerpendos; ita verò decerpendos, ut ipſe homo totus quàm maximè in Chriſtum Paſſum vivaciter transformetur, corde, affectu, vitâ, moribus, animo, ſenſuque omni. Enumerabo, & enarrabo hos fines, uſus, affectuſque verbis Seraphici Doctoris, tali ſiquidem linguâ opus eſt, ad iſta ſecreta, & ſcrutanda, & narranda.

Circa Paſſionem Domini Jesv, ſic poteſt ſe homo habere, ut conſideret eam. Primò ad imitandum. Secundò, ad compatiendum. Tertiò, ad admirandum. Quartò, ad exultandum. Quintò, ad reſolvendum. Sextò, ad quieſcendum. *Bonav. in ſtimulo Amoris Parte 1. C. 4.*

Primò igitur eam conſideret *ad imitandum*. Hæc enim eſt ſumma & perfectiſſima Chriſti imitatio: hæc eſt ſumma & perfectiſſima vita: hæc eſt ſumma & perfecta Religio, & Religioſa Perfectio: hæc eſt regula & exemplar omnis vitæ, perfectionis, & virtutis, ſcilicet Chriſtum imitari in Paſſione, & morte. Sit ergo regula noſtra vivendi, Paſſio Salvatoris; & tantò amplius in hoc conſolemur, quantò amplius Chriſto Paſſo conformamur: & tantò amplius deſolemur, quantò ab hoc exemplari & regula ampliùs elongamur. Semper ergo quantum in nobis eſt velimus ab omnibus conculcari, dejici, vilipendi, illudi, perſecutionem pati, flagellari, & in Divinis obſequiis ab omnibus exprobrari. Simus nudi cum eo nudo, & nihil penitus cupiamus habere; imò aliquid habere, ſit nobis graviſſima pœna, & dolor immenſus, nihil autem habere plena exultatio. Abhorreamus dulcia & delectabilia deguſtare, & potiùs velimus vilibus & amaris cibari & deſideremus, ut quælibet cibaria felleum nobis potiùs quàm melleum afferant ſaporem, quia ipſe Chriſtus felle & aceto fuit potatus. Et ut breviter dicam: Conſideremus quæ pro nobis ſuſtinuit,

„ qualiter in Passionibus se habuit, & pro modulo nostro, conformemus nos eidem.

„ Secundò Debet Passionem Domini Homo considerare *ad compatiendum*. Debemus enim considerare ipsius flagella, illusiones, & opprobria, & in corde nostro ruminare, & imaginari quanta ibi fuit dejectio & contemptus erga Dominum nostrum IESVM Christum. quantus dolor, quantaue afflictio in corde, & corpore, & ratione Passionis, & compassionis pro peccatis nostris fuit. Consideremus ergo quantâ tunc amaritudine repletus erat, qui Angelorum dulcedo erat, quantumque gravabat eum, non tantùm pœnæ illatio, & nostra ingratitudo, sed & Matris assistentis afflictio, quam sic diligebat, & quasi deficere præ compassionis dolore videbat. Ibi Filius crucifigebatur cum Matre, & propter mutuam, & intensam dilectionem, ex compassione mutua, erat nimia affectio utriusque, & maximè cùm pro invicem paterentur. Sciebat Mater quòd Filius patiebatur pro ipsa, sicut pro reliquis redimendis; sciebat Filius, & certissimè scrutabatur, quòd suus gladius ex compassione, Matris Animam pertransibat. Unde Passio filii, erat Passio Matris. Eja ergo Christiane, hæc verte, & converte in corde tuo; & totum cor reple convitiis illis, & pœnis, videns Dominum tuum, & sponsum tuum, pro te talia sustinere. Si enim per Amorem ei benè unitus fueris, tunc compatieris eidem: si autem non sentis dolorem Capitis, quomodo es unum cum ipso? Et si plus est compatiendum Capiti, quàm cæteris membris; sic magis sinè comparatione ipsi compati debemus plùs, quàm quantumcunque dilecto Filio, vel amico, imò plus quàm tibi ipsi, si omnia prædicta patereris. Nunc ergo charissimi, felle, & absynthio, atque myrrhâ inebriemur: & solùm ejus vulnera sentiamus, transfigant cordis nostri intima, ejus convitia, flagella, vulnera, nec in nobis sit, quod non perfundatur compassionis dolore, & affligatur intensè.

„ Tertiò. Consideremus Domini Passionem *ad admirandum*. Si enim consideremus, Quis? Quæ? Pro quibus? Passus est, multùm mirari debemus. Quis? Scilicet Dei Filius verus, summè potens, sapiens, & bonus. Et simpliciter, quidquid ei nobilitatis attribueris, nihil est adhuc respectu magnitudinis suæ. Omnia quantumcunque bona sint, & magna, sunt sicut quædam favilla, imò quædam vanitas in comparatione ipsius. Sed, Quæ Passus est? Peregrinationem, fugas, sitim, famem, calorem, frigus, tentationem, horrores, persecutiones, observationes, sputa, opprobria, vincula, flagella, illusiones, dolo-

dolores, & plagas, & vulnera. Conſpuitur enim Gloria, condemnatur Iuſtitia Iudex judicatur. Crimine carens inculpatur, Innocens infamatur, Deus blaſphematur, Chriſtus conculcatur, occiditur vita, obſcuratur Sol, Luna denigratur, Sidera diſperguntur, & hæc omnia tolerat patienter, ut agnus, cùm ſolo nutu poſſet demergere omnem creaturam, in profundum inferni. Sed pro quibus hæc patitur? pro nequiſſimis mancipiis, pro ſceleratiſſimis inimicis, imò pro diabolicis viris, & per imitationem diaboli filiis: pro contemptoribus Divinæ Majeſtatis, & Divinæ Bonitatis ingratis. Ergo talis, ac tantus, talia, & tanta, pro tam viliſſimis, & abjectiſſimis Paſſus eſt. Sed à Quibus? A ſpecialiter dilectis, & aliis prælectis, quibus omnem benignitatem oſtendit: à viliſſimis Maximus: à ſtultis Sapientiſſimus, quia Dei virtus & ſapientia: ab impiis ſummè Pius: à ſanie fœdiſſima ſplendor æternus. In his ergo omnibus in Divinæ benignitatis & largitatis admirationem elevemur.

Quartò. Conſideremus Paſſionem Domini *ad Exultandum*. Exultare in ea debemus de Redemptione humana, reſtauratione Angelicâ, & clementiâ Divinâ. De Redemptione humana ſinè dubio nimis exultare debemus, facta per Chriſti Paſſionem & mortem. Quis quæſo non exultet, cùm cernit ſe ipſum per hanc beatiſsimam Paſsionem liberatum, à damnatione æterna, à culpæ ignominia, à poteſtate diabolica. Sed quis non exultet in immenſum, dum cernit Deum, in tantùm ipſum diligere, ut tantæ vilitati, & pœnalitati ſe ſubjecerit pro ipſo? Non quòd gaudeat de ejus vilitate, & Paſsione, dico: ſed de ejus effectu, & affectu, & amoris manifeſtatione. Quis Princeps cernens tantùm ſe à Rege ſuo diligi, ut paratus eſſet mori pro ipſo, non exultaret? quantò magis nos viliſſimi homines, & nefandiſsimi peccatores, & ſervi exultare debemus, cùm videmus Regem Regum, & Dominum Dominantium, & Creatorem noſtrum Iesvm Chriſtum, nos ita continuè diligere, ut immolaverit ſeipſum pro nobis, in tam turpi & viliſsima morte? Plùs enim ſinè comparatione me diligit, quàm noſmet ipſi, noſmet ipſos.

Gaudeamus etiam & exultemus: quòd per Chriſti Paſsionem reſtaurata eſt Angelica ruina. Magna jucunditas debet eſſe nobis, cùm videmus per Chriſti mortem tam nobile Collegium reparari de nobis, ut fiat unum ovile, & unus Paſtor, & ſimus unum in uno. In hoc enim debet tota cæleſtis curia, & etiam militans Eccleſia gratulari. O certè amabilis & venerabilis Paſsio Salvatoris, quæ ſic diſjuncta con-

„ jungis, & tam sequestrata conglutinas, & unis firmissimè insimul,
„ stringisque vinculo consummati amoris & felicitati gaudii sempiterni
„ Præcipuè autem gaudere & exultare debemus, cernentes in supra dictis omnibus summam clementiam Domini, Deique nostri IESV Christi. Hæc puto, summam esse gloriam bonorum, tam hominum, quàm etiam Angelorum, quantò intimiùs & profundiùs contemplantur clementiam, & benevolentiam Dei, & immensitatem Bonitatis ejus. Et hæc debet esse cujuslibet contemplantis exultatio medullaris. Sed ubi quæso magis apparet diffusio bonitatis Divinæ, & benignissimæ clementiæ, dulcissimi & amantissimi Dei, & Domini nostri IESV Christi, quàm in Passione sua? ubi talia, tanta, tam turpia, & gravia sustinere voluit, pro inimico suo liberando, & glorificando, & pro vanitate quadam digna morte æternâ. In istud gaudium intret homo, & reficiatur magnificentiâ benignitatis Divinæ. Accedat homo ad cor altum, & in corde suo exaltetur excellentissima, & inenarrabilis Clementia Christi Passi.

„ Quintò etiam consideremus hanc beatissimam Christi Passionem *ad cordium nostrorum resolutionem, & etiam perfectam transformationem in ipsum, quod fit*, quando non solùm imitatur, compatitur, admiratur, exultat, sed etiam totus homo convertitur in Dominum nostrum IESVM Christum, Crucifixum, ut jam quasi ubique & semper Crucifixus sibi occurat. Imò tunc verè ille in ipsum resolvitur homo, quando exiens ex se, & superpositus universis, imò super se abstractus ab omnibus, totus est conversus in Dominum suum Passum: ut nihil videat aut sentiat intra se ipsum, nisi Christum Crucifixum, illusum, exprobratum, & Passum pro nobis.

„ Sextò. Consideremus eandem vilissimam Christi Passionem *ad quietem dulcoris interni*, quod fit quando resolutus homo, (ut dixi) sitibundus eandem Passionem ruminare non cessat: & intrans secundùm posse suum illum Passionis thesaurum, humiliter & devotè liquescit amore devoto, & feruidâ devotione, vel dilectione, deficit à se, & requiescit in Christo Crucifixo. Sed quantò ei plus inhæret, eumque sequitur, tantò amplius devotissimo amore in se deficit, & liquescit & quantò plus deficit à se devotione & amore, tantò plus eidem dilecto pro se mortuo inhæret & plus requiescit in eo. Et sic mutuò se augent adhæsio amoris & devotio: donec tota sponsa absorbeatur ab illo camino ignito Amoris Passionis dilecti. Sic in amplexibus sponsi amorata quiescit, qui clamat & dicit. Adiuro vos Filiæ Hierusalem,

Jusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.

Sic ergo circa Dominicam Passionem debet esse Imitatio ad Purgationem mentis, & dilectionem. Compassio ad unionem & amorem. Admiratio ad mentis elevationem. Gaudium & Exultatio ad Cordis dilatationem. Resolutio ad perfectam Conformationem. Quies & Pausatio ad Devotionis compositionem.] Hæc Seraphicus Doctor cujus sex considerationibus addere libet, ex Divo Augustino septimam, quâ ille devotissimè contemplatus est, insignem atque adeò principalem Passionis atque Incarnationis Dominicæ & effectum, & fructum. Nimirum considerandum esse Passionem Domini nostri, ipsumque Passum DEVM & Hominem, ad fruendum DEO, & ad assurgendum ad hoc opus per depressionem tumoris nostri, sub infirma Divinitate, quæ assurgens nos prostratos sublevet. Verba Augustini dulciùs & pleniùs sensum explicabunt, quæ appono. Sic igitur ille.

Aug. lib. 7. Confess. C. 18.

Quærebam viam comparandi roboris, quod esset idoneum ad fruendum te, Deus meus: nec inveniebam donec amplecterer mediatorem Dei & Hominũ, Hominem Christum Jesvm (qui est super omnia Deus benedictus in sæcula) vocantem, & dicentem. Ego sum via, veritas, & vita. Et cibum cui capiendo invalidus eram, miscentem carni: quoniam VERBVM Caro factum est: ut infantiæ nostræ lactescerat sapientia tua, per quam creasti omnia. Non enim tenebam Dominum meum Jesvm Christum humilis humilem, neque cujus rei magistra esset ejus infirmitas, noveram. Verbum enim tuum Æterna veritas, superioribus creaturæ tuæ partibus superveniens, subditos erigit ad se ipsam: in inferioribus autem ædificavit sibi humilem domum de limo nostro, per quam subdendos deprimeret à se ipsis, & ad se traiiceret, sanans tumorem, & nutriens amorem: ne fiduciâ suî progrederentur longiùs, sed potius infirmarentur, videntes ante pedes suos infirmam Divinitatem; ex participatione tunicæ pelliceæ nostræ, & lassi prosternerentur in eam, illa autem surgens levaret eos.] Et revera sic factum est, sic fit, sic fiet, usque ad sæculi finem, cum credentibus in Christum, & agnoscentibus humilitatem ejus in Incarnatione, in vita, seu conversatione, in Passione, atque morte, quâ mortuus est propter peccata nostra, resurrexit autem propter Justificationem nostram; & sic surgens levavit nos: quia Christo resurgente consurgimus cum ipso, & jam quæ sursum sunt quærimus, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens: quæ sursum sunt sapimus, non quæ super terram.

Ita

Aug. Cõc. 1. in Psal. 33.

Ita ergo Dominus noster, viam fecit nobis per humilitatem, qui recesseramus à Deo per superbiam, & redire ad eum, nisi per humilitatem non poteramus, quem autem nobis præponeremus ad imitandũ non habebamus. Omnis enim mortalitas hominum superbiâ tumuerat, & si fortè exsisteret aliquis vir in Spiritu humilis (sicut erant Prophetæ & Patriarchæ) dedignabatur genus humanum imitari homines humiles. Ne ergo dedignaretur homo imitari hominem humilem, quem imitando reverti posset ad DEVM, DEVS factus est humilis, ut vel sic superbia generis humani non dedignaretur sequi vestigia humilis Dei.

Cæterum discursus hic de Dominica Passione, erudire potest imò & debet, unumquemque Christi fidelem imitatorem, ut in studio imitationis & in cultu virtutum, non per infima serpat, sed quantum cum Dei auxilio prævalet, ad summa in omnibus exercitiis suis conetur: & glorioſus in illis coram cælo & Deo apparere ac eminere satagat. Humilis quis esse vult; in vera, & interna humilitate, per insignes humiliationes atque vilificationes ad summam & ipsi cælo mirandam evadere atque sedem figere studeat. Patiens quis esse cupit, per omnem patientiæ messem innocenter, patienter, pacatè, hilariter, delectabiliter, cum fame & siti amplius ampliusque pro Deo, & Christo ejus patiendi, usque ad consortium Crucis Dominicæ enitatur. Mundi contemptor, ac rerum egens esse sitit: ad eum gradũ evolet, in quo Christum constitisse novit: ut non habeat in terra, quantum in ipso & ejus statu situm est, ubi caput reclinet suum: sitque illi summa & plena egestas ac nuditas cum Christo: præ omnibus universi Mundi opibus & commodis.

MODVS XCIV.

NOnagesimus quartus Passionem Domini meditandi Modus esse potest, apprehendendo sive per Jmaginationem, sive per Jntellectum, atque etiam voluntatem, Passiones Christi, earumque merita, & eadem applicando ad Animas nostras, easque iisdem Domini meritis quàm copiosissimè locupletando. Desumam, & exponam Modum hunc, ex quodam Tractatu meo Spirituali.

[Docuit nos Modum hunc Passionem Domini, ejusque merita tractandi, ac nostris Animabus applicandi, illasque opibus Christi Passi ditandi, ipsemet Spiritus Sanctus in scripturis suis, & quidem satis frequenter. Jsaias Propheta concinit promittendo, ac simul provocãdo. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Jdem loquitur Zacha-

Zacharias. *In die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatoris, & menstruatæ.* Qui namque sunt isti fontes Salvatoris patentes ad ablutionem, aut quæ aliæ aquæ, nisi Passiones & vulnera, nisi sanguinis & mortis merita JESV Christi? quæ in Sacramentis ejus depositæ, inde hauriuntur ab Animabus nostris, partim ministerio Ecclesiæ, partim devotione cujusque fidelis: sive is sit peccator pœnitens, sive etiam Iustus proficiens, atque Perfectus in via & Lege Domini. *Zach. 13. 1.*

Hanc ipsam de Sanguine ac Meritis Passionis Christi Meditationem seu Imaginationem, usurpat sæpius Beatus Joannes in sua Apocalypsi, partim cùm ait: *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni:* partim cùm dicit: *Beati qui lavant stolas suas in sanguine Agni, ut sit potestas eorum in ligno vitæ.* &c. Qui idem Apostolus alio loco vocat, nomine pretii redemptionis nostræ sanguinem atque Passionem JESV Christi: quando ait: *Redemisti nos Deo in sanguine tuo*: consonè ad illam Davidis cantilenam. *Copiosa apud Deum redemptio, & ipse redemit Israël, ex omnibus iniquitatibus ejus*: tum & phrasi Apostolicæ: *scientes quòd non corruptibilibus: auro, vel argento, redempti estis, de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine, quasi Agni immaculati, & incontaminati.* *Apoc. 7. 14. Apoc. 22. 14. Apoc. 5. 9. Ps. 129. 7. 1. Petri 1. 18.*

Hæc num ita sint licebit consimili ratione nobis Passionem, Mortem, vulnera, sanguinem, Meritaque Christi Domini meditari, & apprehendere, & usurpare, inque Profectum nostrum spiritualem, & Animarum nostrarum coram Deo ditationem, ornatumque convertere. v. g.

Cogitans & Animo meo statuens Christum cum suæ Passionis meritis esse Fontem limpidissimum, & simul largifluentissimum, instar Paradysiaci, manantis aquas salutis & sanctitatis, & beatæ vitæ, & omnis gratiæ, virtutis, atque Perfectionis, seu Participationis Divinæ, totâ capacitate Animæ, imò universæ substantiæ meæ, ejusdemque, tot faucibus, quot partibus, imò atomis, per omnia instantia temporis ac vitæ meæ bibam, hauriam, derivabo, & deducam aquas meritorum in Christo contentorum, in cor, mentem, voluntatem, Animam, substantiamque meam, & iis replebo totam entitativam capacitatem meam.

Pari ratione cogitans Christum esse vitem unam speciosissimam & fœcundissimam, faciam me totum, quantusquantus sum in omnibus

particulis atque atomis meis, in omnibus quoque actionibus & passionibus, seu mutationibus meis, veluti multiplicem palmitem, atque etiam botris quarumlibet actionum mearũ obsitum; sicque ex Christo, & ex ejus meritis humorem omnigenæ sanctitatis, perfectionis, & gratiæ traham, & botros operum fœcundos, turgidosque pretioso Christi sanguinis vino faciam, ac tales gustui, mensæ, cellis vinariis Sanctissimæ Trinitatis, & Christi, & totius cœlestis curiæ adferam, inferam, offeram, & propinabo, in omnemque æternitatem recondam, seu reservabo.

Simili modo cogitans Christum esse Balneum quoddam, seu Thermas salubritatem omnem scaturientes, quarum efficacitate, & à sordibus abluamur, & morbositatem omnem depellamus, & omni puritate ac decore ornemur, & omnia opera nostra tum purificentur, tum sublimentur quotidie, sæpiusque in die, quin & in singulis (quoad huic vitæ fragili fas) spirationibus, & commotionibus, ac momentis. Totum me, totamque substantiam, & entitatem meam, actionumque mearum, Jniiciam in balneum hoc sacratissimum, & in eo me, meaq; omnia abluam, purificabo, emundabo, sublimabo, & ornabo. Nunquam penitus ex hoc pretioso dolorum, vulnerum, sanguinis, meritorumque Christi balneo egrediens, nunquam me ab eo deficcans, sed semper in eo ad instar pisciculi in mari innatans.

Cogitans item Christum ejusque Passionem esse immensam quandam inexhaustamque aurifodinam, pretioso & incorruptibili auro refertissimam, & quemadmodum omnibus, ita & mihi pauperculo expositam, atque ad eruendum omnimodas auri cœlestis opes liberaliter concessam: ponam ædificiolum meum in hac fodina, & omnia scriniola, omnes sarcinas substantiæ meæ, mearumque virium, potentiarum, articulorum, actionum, & alterationum, volitionum, desideriorum, necessitatum, capacitatum, & possibilitatum perpetuò implebo, cumulabo, infarciam, iterum iterumque. Indubitatum est enim: totũ Christum, omnes ejus particulas, omnes potentias, omnes actiones, omnes passiones, omnes atomos ejus, fodinas esse, omnes itẽ ejus vitæ minutissimas minutias, omnes dolorum, passionumque indivisibilitates, esse abyssos divitiarũ salutarium, cælestium, divinarumque. Omnis enim plenitudo latet & scatet in eo, ita ut ex una Christi Passionum (v. g.) atomo, liceat abyssos thesaurorum eruere, & promere, gratiarum virtutum, perfectionum, donorum, meritorum, sanctitatum, beatitudinum. Dummodo (mi homo) in quo haurias habeas.

habes

habes autem si te ipsum habes. Si inquam te ipsum in Christi ubi dati & donati, & in possessionem omnimodam traditi, usum, fruitionem, possessionemque convertere noscis, & noscendo ad realem usum minimè pigrescis.

Eâdem ratione cogitare licet Dominum Jesvm Christum Passum, ejusque Passionem, ac Passionis merita, esse velut universitatem officinarum rebus ad usum humanum necessariis refertissimarum. Hîc Armamentarium, hîc Apotheca, hîc Vestiarium, hîc Bibliotheca, hîc Gazophylacium, hîc cellæ penuariæ, atque vinariæ, hîc omnium artificiorum collegia, hîc arsenale navibus in portum æternitatis beatæ advecturis redundans, hîc denique promptuaria eructantia ex hoc in illud, nec non omne bonorum genus coacervatum, repositumque, ac simul omnibus, uti, capereque in rem suam volentibus, expositum. Solus ergo restat hauriendi, & in usum derivandi, utendique labor. Qui ipse labor, sinè labore est, cùm in sola voluntate libera, in solo desiderio, in sola intentione, atque cupiditate nostra propemodum, principaliter certè consistat: adeò ut quantum desideras, quantum desideria, intentiones, cupiditates, votaque tua dilatas, tantum capias, & adhuc infinities infinita supersint, quæ si velis, si velle velis, eo ipso capias. Itaque hîc mihi tantum licet, quantum libet. Hîc non duplicibus, sed millecuplicibus quotidie mutatoriis vestiri, induique possum: desumendo mihi vestimenta Christi meritorum, virtutum, gratiarum. Idem dico de omni armatura fortium, quæ in Christo omnis est, pendentibus ex eo non mille clypeis, sed mille millibus clypeorum. Idem dico de medicinali Apotheca: quæ hîc ad omnes morbos sanandos, ad omnes sanitates tuendas abundat, & patet assiduò. Idem dico de Gazophylacio, in quo omnes thesauri, non uni tantùm homini, sed universo generi humano ditando superabundantissimè sufficientes. Dico item de promptuariis cellis refertissimis omni omnino alimoniæ, deliciositatisque spiritualis, atque cælestis genere, quoniam usque ad delicias, usque ad beatitudines amamur. Sed horum in enarrando finis nullus esset: utinam usûs ipsius, atque fruitionis, nullus quoque finis, nullus modus, nullus terminus, sit apud nostras Animas, Mentes, Corda, voluntates.

Vt igitur paucis multa complectar, satis habebo recensere catalogum eorum, quæ in Christo Domino, potissimùm Passo, habemus bonorum, nobis non minùs necessariorum, quàm in eo ad usum nostrum paratissimorum.

Itaque Christus est mihi DEVS Creator, ego illius indigentissima creatura. Christus mihi Rex: ego per omnia subditus. Christus meus Dominus supremus, absolutus; ego ejus servus, mancipium, jumentum. Christus Caput meum, ego membrum ejus. Christus vitis, ego Palmes, Christus Fons, ego rivulus. Christus Cor ego vena. Christus Artifex, ego instrumentū. Christus Idea, ego opus. Christus Prototypum, ego ad instar. Christus Nutrix, ego lactens. Christus Spiritus, ego corpus. Christus vita, ego vivens. Christus Hortulanus, ego areola. Christus nubes rorida, ego terra sitiens. Christus Cultor, ego vinea. Christus Agricola, ego agellus. Christus Pastor, ego ovicula. Christus Doctor, ego discipulus. Christus Medicus, ego infirmus. Christus Imperator, ego tyro militiæ. Christus Musicus, ego organum. Christus Anima, ego cadaver. Christus Architectus, ego materia. Christus Fundamentum, ego superstructio. Christus Sol, ego aër illunis. Christus Figulus, ego lutum, & figmentum. Christus Dives, ego pauper. Denique Christus totum meum & omnis sufficientia mea: Ego sinè illo nihil sum, nihil possum, nihil mereor boni. Ægritudo æterna, miseria infinita, indigentia inexpleta, merum, & purum, imò & malum nihil

Hæc omnia Homini Christus, hæc item homo Christo. Gaudeat Homo de se tali qualis est, & de seeo, qui est. Non quia is, & talis est. (hæc enim non gaudii, sed mœroris seges est) sed quia is, & talis cùm sit, talem sibi habet Christum: ad omnia infinities diuitem, infinities paratum, infinities desiderantem, danda, elargienda, profundenda, in omnem, & per omnem æternitatem.

MODVS XCV.

NOnagesimus quintus meditandi Passionem Domini Modus esse potest: eam cum Scala Jacob comparare, sive in ea scalam Jacobo præmonstratam invenire, & per illam post Christum usque ad DEVM ascendere.

In Scala Jacob etsi plura possint considerari: aliqua tamen solùm hic attendere sufficiet.

Igitur scala illa uno extremo sui tangebat terram, altero Cælum.

Latera habebat hinc inde duo. Gradibus fuit distincta: Angeli per eos descendebant & ascendebant. DEVS in supremo scalæ innitebatur.

Hæc scala per allegoriam designat nobis Incarnationem Verbi, & presi-

pressius etiam Crucem, atque Passionem Domini nostri, per quam velut per scalam & ipse ascendit in cælum, testante ipso: *Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.* & omnis Christianus post ipsum eodem ascendere debet. juxta Domini quoque dictum: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat Crucem suam & sequatur me.*

Christus igitur Dominus, & Crux, atque Passio, & tota Incarnatio, atque illius Oeconomia, Scala est.

Ejus unum extremum terram, alterum verò Cælum tangit, tum quia Christus Homo, Devsque simul est, tum quia ita Verbum descendit in terram, inque Virginis uterum, ut tamen apud Patrem in sinu manserit in Cælo. juxta illud Domini dictum. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius Hominis qui est in cælo.* quod Dominus dixit manens in terra de semetipso, nihilominus, & existente etiam in Cælo. Cui consonat & illud: *Vnigenitus qui est in sinu Patris: ipse narravit.* Existens & vivens in terris inter homines, ipse enarravit hominibus Legem vitæ, manens tamen in sinu Patris tanquam Vnigenitus ejus. Adhuc etiam Scala hæc terram & cælum tangit: quia Christus Incarnatione ac Passione suâ, Devm mundo reconciliat, hominibus in terra manentibus cælum reserat, & *errantes in desertis oviculas, bonus Pastor in Montana super humeros suos assumens defert.*

Latera Scalæ hujus nostræ duo sunt, inconcussæ ac simul altissimæ firmitatis. Divina scilicet Misericordia atque ejusdem Iustitia. Istæ enim duæ Dei nostri perfectiones, atque tanquam Patris Cælestis Filiæ, apud Patrem totam scalæ Machinam, totum (inquam) Incarnationis opus molitæ, atque architectatæ sunt: tanto Sapientiæ atque Potentiæ arcano artificioque, ut in summa Misericordia locus esset summæ Iustitiæ: & in summa Iustitia esset quoque locus suus, summæ Misericordiæ. quando, ita humano generi universo, per omnia calamitate perditioneque involuto, remissio peccatorum, & gratiæ, gloriæ, vitæque æternæ condonatio piissimâ miseratione, Vnigenitique Dei merito indulta est, ut tamen Majestatis Dignitatisque Divinæ, ab hominibus læsæ, jus debitumq; summo & exaggerato Iustitiæ rigore, ejusdem Vnigeniti Dei sanguine, Cruce, & Morte, ad omnem integritatem sarciretur. His ergo duobus fulta lateribus Scala ista constitit, & adhuc consistit. *Quoniam Misericordia & veritas obviaverunt sibi: Iustitia & Pax osculatæ sunt.*

Gradus Scalæ hujus Mysticæ variè distingui, assignarique possunt,

Primò quidem secundùm totum Incarnationis, deinde secundùm solius Passionis opus.

Totius Incarnationis gradus hi assignari possunt. 1. Prædestinatio & Electio Christi. 2. Promissio illius Patribus. 3. Ejusdē Præfiguratio in figuris, & sacrificiis, aliisque ritibus, ac rebus. ut Tabernaculo, Arca, Templo, Altari. 4. Prædictio per Prophetas. 5. Incarnatio ipsa & adventus. 6. Nativitas, & tota vita occulta, privataque. 7. Baptismus apud Joannem, & Manifestatio Domini per vocem, & Columbæ descensum super eum. 8. Mora in deserto, jejunium, & tentatio. 9. Prædicatio, conversatio, Miracula. 10. Ingressus in Jerusalem super Asellum triumphalis simul & lachrymabilis. 11. Agni Paschalis esus, & lotio pedum. 12. Institutio Sacrificii & Sacramenti Eucharistiæ, Sacerdotiiq; Novæ Legis. 13. Passio universa. 14. Crux & Mors. 15. Sepultura, & descensus ad inferos. 16. Resurrectio, & Ordinatio, Confirmatioque discipulorum & Ecclesiæ. 17. Ascensio, & sessio ad dexteram Patris. 18. Regimen Ecclesiæ, & Missio Spiritûs Sancti in eam. 19. Adventus ad judiciū extremum, ipsumque judicium. 20. Regnum cum Deo Patre & sanctis æternum. Isti sunt gradus scalæ Incarnationis, totiusque Operis illius.

Jam verò soliùs Passionis Dominicæ gradus sive partes & progressus hi assignari possunt, quibus Dominus noster veluti per Scalam ad summitatem dolorum & Mortis suæ, obedientiæ autem Paternæ, & Redemptionis nostræ ascendit. Gradus 1. Lotio pedum. 2. Institutio Eucharistiæ. 3. Cygnea ante Passionem cantatio, simulque ad Mortem, seu Morti par Tristitia. 4. Oratio repetita. 5. Agonia & sudor sanguineus. 6. Obviatio venienti proditori, & hostibus, eorumque excæcatio, prostratio, sublevatio. 7. Captivitas, & ligatio. 8. Examen apud Annam. 9 Judicium, injuriæ, damnatio apud Caipham. 10. Repetita mane damnatiō. 11. Ad Pilatum deductio, & calumniosa accusatio. 12. Deductio ad Herodem: ibi spretio, & illusio. 13. Reductio ad Pilatum, Examen, Flagellatio. 14. Corona spinea, purpura, arundo, illusio, Ecce Homo. 15. Evictio damnationis, & damnatio ad Crucem. 16. Egressus cum Cruce inter iniquos ad locum Mortis. 17. Crucifixio. 18. Injuriæ, & blasphemiæ in Cruce. 19. Trium horarum Oratio & Agonia in Cruce. 20. Mors, & Anima in Manus Patris tradita, & sepultura.

Per istos gradus Dominus scalā passionis suæ pertransivit: per eosdem

dem Anima fidelis illum sequi studeat fideliter, constanter, fortiter, gaudenter, sitibundè, usque dum ad absolutam consummationem operis sui perveniens, etiam ipsa in Manus Æterni Patris suscipiatur. sequetur verò Dominum per affectus, & effectus Cordis, Oris, Operis, vel hos quos subjungo, vel quos Spiritus meliores suggesserit.

Primus erit, Agnitionis, seu Fidei eorum quæ Dominus gesit, ac pertulit patiendo. 2. Confessionis eorundem. 3. Admirationis. 4. Participationis seu Condolentiæ. 5. Conjectionis causæ in sua peccata. 6. Doloris, Odii, Execrationis eorum, ut causæ tanti laboris sumptusque Dominici. 7. Deprecationis. 8. Propositi fugiendi, & expiandi peccata. 9. Expiationis actualis eorum, in Balneo sanguinis & Meritorum Domini. 10. In Imitatione humilitatis Domini. 11. Obedientiæ. 12. Patientiæ. 13. Mansvetudinis. 14. Charitatis Dei. 15. Dilectionis proximorum etiam inimicorum. 16. Conformationis plenæ cum voluntate Dei. 17. Zeli Gloriæ Divinæ, & salutis proximorum. 18. Desiderii, & studii vitæ æternæ. 19. Amoris Jesv Christi. 20. Constantiæ & perseverantiæ in his omnibus, usque ad mortem, propter Devm. Hi sunt gradus per quos fidelis Anima post Jesvm passum ascendere debet, si ad summitatem Scalæ ejus cupit pervenire.

D. Basilius pressiùs hosce gradus Animæ numerat, quos proderit cognoscere, & magis etiam decurrere. [Scala (inquit ille) est ascensus ad Perfectionem; culmen est Charitas; Gradus, sunt gradus decem Abrenuntiationis. Primus est, Abdicare terrena, ut cum Apostolis dicat. *Ecce nos reliquimus omnia.* 2. Eadem obliviscì. *Audi filia &c. & obliviscere populum tuum.* 3. Eadem ut stercora odisse & aversari. 4. Parentum, & cognatorum amorem exuere. 5. Odisse Animam suam propter Christum. ut ne de vita quidem sua quidquam affectus sit omnino, etiamsi Mortis habeat responsum. 6. Abnegare suum Judicium, Voluntatem, (Honorem.) 7. Semper mortificare suas cupiditates, ut impleat illud Christi. *Abneget semetipsum, & tollat Crucem suam quotidie.* 8. Sequi Christum & discere ab eo, *quia mitis est, & humilis corde.* 9. Amare constanter & efficaciter proximos, etiam Inimicos. 10. In quo Dominus visus est, est adhærere Deo, eique in uno Spiritu uniri. *Basil. in t. Psal.*

Descendentes per scalam & Ascendentes Passionis Dominicæ, quantùm ad Nostrum propositum, sunt Judæi quibus Crucifixus Jesvs scandalum: & Gentes qui crediderunt in eum: & acceperunt potestatem

Filios

Filios Dei fieri. Sic etiam per Passionem Domini, Judas descendit, Latro ascendit; Diabolus descendit, Homo ascendit. *non enim Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit.* Sic quoque per scalam Passionis, Caro nostra, & sensus descendit, Spiritus autem ascendit. *Caro enim non prodest quidquam, sed spiritus est qui vivificat.* Et *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas ad omnia utilis est: promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Sic quoque ipse Spiritus descendit usque ad contemptum, usque ad odium, ad annihilationem sui per, & propter exemplum Passi Christi, ascendit autem usque ad similitudinem, usque ad consortium, usque ad unionem, & identitatem Passi quoque Christi. *qui enim adhæret Deo, unus spiritus est.* ut dicat. *Vivo autem ego, jam non ego: vivit verò in me Christus.*

Denique, *Christo Confixus sum Cruci*: & *stigmata Domini mei IESV Christi in Corpore meo porto.*

Deus scalæ Passionis Domini innixus est, quia *Deus erat in Christo sibi reconcilians Mundum.* & consummatâ omni Passione, Dominus dixit: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*: *& inclinato Capite emisit Spiritum.*

Atque hic, & huc, debet esse cursus omnis Animæ currentis post JESVM per scalam Passionis ejus. quam ille percurrit prior, dans nobis exemplum, ut quemadmodum ille fecit, & nos similiter faciamus, sequamurque cum quàm maximâ vicinitate vestigia ejus. ut tandem apprehendamus eum, teneamusque, nec dimittamus. Alioquin nihil prodest Christum sequi, si non contingat consequi.

Libet Modum hunc concludere Devotissimi Patris Bartholomæi Saluthii Inventione, quam ille de Domini Passione per modum scalæ conscripsit ad inflammandam devotionem in eandem. & sic se habet.

Passio Domini mei JESV Christi sit semper

1. Mater mea.
   Mater mea, parturias me.
2. Sponsa mea.
   Sponsa mea, amplectaris me.
3. Soror mea.
   Soror mea, orna me.
4. Amica mea.
   Amica mea, ama me.
5. Dilecta mea.
   Dilecta mea, dilige me.

6. Co-

6. Columba mea.
Columba mea, vola ad me.
7. Perfecta mea.
Perfecta mea, perfice me.
8. Unica mea.
Unica mea, posside me.
9. Filia mea.
Filia mea, honora me.
10. Fortitudo mea.
Fortitudo mea, defende me.
11. Schola mea.
Schola mea, instrue me.
12. Dulcedo mea.
Dulcedo mea, recrea me.
13. Doctrix mea.
Doctrix mea, doce me.
14. Mensa mea.
Mensa mea, ciba me.
15. Lux mea.
Lux mea, illustra me.
16. Lectio mea.
Lectio mea, erudi me.
17. Dux mea.
Dux mea, dedue me.
18. Camera mea.
Camera mea, recipe me.
19. Defensio mea.
Defensio mea, defende me.
20. Turris mea.
Turris mea, absconde me.
21. Oratio mea.
Oratio mea, trahe me.
22. Sedes mea.
Sedes mea, accipe me.
23. Columna mea.
Columna mea, sustenta me.
24 Hospes mea.
Hospes mea, hospitare me.

25. Civitas mea.
Civitas mea, recipe me.
26. Contemplatio mea.
Contemplatio mea, assume me.
27. Domus mea.
Domus mea, circumda me.
28. Refectio mea.
Refectio mea, refocillà me.
29. Meditatio mea.
Meditatio mea, incende me.
30. Socia mea.
Socia mea, associa me.
31. Nutrix mea.
Nutrix mea, nutri me.
32. Spes mea.
Spes mea, conforta me.
33. Fiducia mea.
Fiducia mea, assecura me.
34. Consolatio mea.
Consolatio mea, consolare me.
35. Sollicitudo mea.
Sollicitudo mea, vulnera me.
36. Portio mea.
Portio mea, quieta me.
37. Requies mea.
Requies mea, inebria me.
38. Beatitudo mea.
Beatitudo mea, beatifica me.
Hæc Saluthius.

MODVS XCVI.

NOnagesimus Sextus meditandi Passionem Domini Modus esse potest: scrutando & investigando simulque admirando & contemplando arcana fidei nostræ Christianæ, tanquam à Christo Domino nostro per Incarnationem, vitam, & Passionem, atque Mortem mirabiliter reserata, atque manifestata: ita ut quæ ante Christi Domini adventum fuêre valde occulta, & miris modis involuta, atque inumbrata; hæc omnia sint per Christum in luce posita, & ad notitiam omnium

omnium fidelium, etiam alioqui rudium, & simplicium deducta, in tantum, ut unus aliquis Christi fidelium, majorem notitiam lucemq; habeat in rebus & mysteriis fidei, quàm ante Christum habuerint illi, qui erant Magistri in Israel: quod à Domino Nicodemus audivit, qui ad eum venerat nocte, & quod patuit citò post Domini ascensionem, cùm unus Stephanus Levita adolescens prævaluit Spiritu, & sapientiâ, mysteriorumque divinorum cognitione, omnibus Doctoribus Judaicarum Synagogarum: de quo in Actis Apostolicis testimonium est luculentum

Ioan. 3. 10.
Act. 6. 9.

Manifestationis hujus per Dominum nostrum factæ, plurima & expressa valde habemus in sacris literis testimonia. Hujusmodi est illud, quo apud Isaiam Dominus noster dicitur *habere clavem Domûs David super humerum suum, qui aperiet, & non erit qui claudat, & claudet, & non erit qui aperiat.* quod idem testimonium de se Dominus repetit ipsemet in Apocalypsi. Deinde non aliud sibi vult sæpius repetitus à scriptura Liber intus & foris scriptus, tam apud Isaiam, quàm apud Ezechielem, præcipuè autem in Apocalypsi, ubi describitur *Liber in dextera sedentis super thronum, scriptus intus, & foris, signatus sigillis septem, & nemo poterat neque in cælo, neque in terra, neque subtus terram, aperire librum, donec Agnus qui stabat tanquam occisus venit, & accèpit de dextera sedentis in throno librum, quem & aperuit.* Ubi manifestum est, Librum hunc esse Christum Dominum, seu VERBVM Incarnatum, cujus Incarnationis mysterium septem sigillis signatũ esse ideo dicitur, quia nimirum tantis tamque sublimibus, & omnem creatum intellectum transcendentibus involucris, difficultatibus, arcanis, atque planè tenebrosis latibulis, ut ad ejus apertionem, hoc est, ad ejus cognitionem, & revelationem, nemo ex purè creatis intellectibus, in cælo, in terra, subtùs terram, suffecerit: donec Agnus (qui est idem ipse, qui & Liber signatus) tanquam occisus, & revera occisus, atque oblatus, aperuit librum, & solvit signacula ejus; evoluit scilicet mysteria, & arcana, & involucra omnia ejus: juxta illud. *Vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.*

Isaiæ 22. 22.
Apoc. 3. 7.
Isaiæ 8. 1.
Ezech. 2. 9.
Apoc. 5. 1.
Ioan. 1. 18.

Unde idem Dominus noster frequenter se vocavit, *Lucem mundi. Ostium ovium, per quod si quis introierit salvabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet.* Idcirco etiam hortatus est Judæos. *Scrutamini scripturas, quia vos putatis in illis vitam æternam habere, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis,* & adjecit dicere iisdem. *Nolite putare quod ego accusaturus*

turus sim vos apud Patrem; est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. de me enim ille scripsit.

Sed nihil potest apertius dici de hac mysteriorum Divinorum, arcanorumque, per Christum Dominum manifestatione, quàm ipsa verba Domini, sæpius hanc in se, & à se factam indicantia. *Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me* [& cũ iniquis deputatus est.] *Etenim ea quæ sunt de me, finem habent.* tum quia implentur, tum quia manifestantur. Idem planè asserit illa Dominica ad discipulos in Castellum Emmaus euntes adhortatio simul & attestatio. *O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christum & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis, in omnibus scripturis, quæ de ipso erant.* Ad idem facit illa etiam Domini nostri congratulatio discipulis facta. *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis; & aures quæ audiunt, quæ vos auditis. Amen quippe dico vobis, quòd multi Prophetæ, & Reges, & Iusti cupiverunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt; & audire, quæ vos auditis audire, & non audierunt.* Et alio loco, licèt brevius. *Iam non dicam vos servos, sed amicos; quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis.*

Sed de his satis restat videre, & ad meditandum proponere, quomodo, & quænam Divinæ circa salutem nostram Providentiæ arcana, & mysteria, per Incarnationem, vitam, Passionem, Mortemque Christi Domini reserata, & in lucem cognitionis fidei producta sunt.

Libet autem rem hanc explicare sub typo libri septem Sigillis primùm quidem signati, deinde per Agnum aperti. Ac inprimis adduco & assigno septem sigilla à Divo Bernardo assignata, quibus noster Liber nempe Christus fuit obsignatus; verba sancti sunt.

Septem quædam arbitror inveniri, quibus maximè celabatur in carne Præsentia Majestatis, ut non posset aperiri Liber, & sapientia quæ
I. latebat agnosci. Sunt autem quæ occurrunt interim. *Matris Desponsatio.* quâ partus Virginis, & conceptionis puritas, velabatur; ita
II. ut hominis fabri filius, fabricator hominis putaretur. *Infirmitas etiam Corporis.* quâ nimirum plorans, vagiens, lactens, dormiens, & cæteris subjacens necessitatibus Carnis, latebat inter hæc virtus Divi-
III. nitatis. Sic & *Circumcisionis* signum suscipiens, peccati remedium, ægritudinis medicinam, qui morbum omnem tollere venerat, & peccatum.

catum. Et item *In Ægyptum fugiens.* à facie Herodis Reguli, nec Dei IV.
filius agnosci poterat, neque Rex cæli. Quid *Trina illa tentatio inimici,* V.
in deserto, in pinnaculo, supra montem? si filius Dei es (inquit) dic
ut lapides isti panes fiant. Et item. Mitte te deorsum. Neutrum
Christus fecit. ut signaretur Liber, & falleretur astutus. Denique eo
usque seductus est, ut haberet jam pro constanti hominem esse purum,
& in tantam vesaniam superbia cæca proruperat, ut non diceret ultra,
si Filius Dei es, sed omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me? Sex-
tum est. *Signaculum Crucis.* Ubi pependit inter latrones, & cum ini- VI.
quis deputatus est Dominus Majestatis. Clausit & *Sepultura* hunc VII.
Librum: nec ullum omnino signaculum sic obstruxit, sic occultavit
magnum Pietatis Sacramentum.

Possunt autem alio quodam modo, alia quoque septem Sigilla hu-
jus Divini Libri recenseri. v. g. 1. Sigillum, Figuræ fuerunt. 2.
Prædictiones seu Prophetiæ. 3. Sacrificia. 4. Ritus ac Cerimoniæ.
5. Sacramenta. 6. Parabolæ. 7. Opera, effectusque varii, quibus
omnibus, & velabatur occultabaturque venturus Christus, & sigilla-
batur Liber Divinus, atque Mysticus: in Adventu autem, imò Advē-
tu ipso, gestisque Christi, omnia reserata sunt, cum tanta claritate,
atque plenitudine, ut (quemadmodum supra dixi) hodie minimus fi-
delium Christi peritior sit in his enucleandis & enarrandis, quàm ante
Christi Adventum integra Synagoga Judaica. Quis enim nunc fili-
orum Ecclesiæ Christi ignorat: quid sibi voluerit Isaac in Monte Mo-
ria oblatio, in ariete cornibus inter vepreta hærente consummata?
Quid omnium Gentium benedictio in semine Abrahæ? Quid Mel-
chisedech, Rex & Sacerdos, sacrificium Panis & Vini offerens? Quid
Agnus Paschalis, cujus sanguis postibus illitus salvavit primogenitos
Israelis? Quid transitus Maris rubri ex Ægypto, in quo Ægyptii
perditi, Hebræi salvati? Quid totum tabernaculum? quid manna de
cælo? quid aqua de petra? quid serpens æneus in ligno suspensus? om-
nes ad eum respicientes, à serpentum veneno sanans? Quid maledi-
ctionis hircus, peccatis populi onustus foras in desertum expulsus?
Quid Davidis cum Golia Philistæo duellum? Quid Salomon &
Templum ejus?

Cui Fidelium hodie non in manifesto est Virgo Concipiens & Pa-
riens Filiū, cui nomen Emmanuel? Quis nescit, quis ille Parvulus sit
natus & datus nobis, cujus imperium super humerum ejus, & voca-
tur Admirabilis, Consiliarius, Deus, Princeps Pacis, Pater futuri sæ-

culi? Quis ignorat Novum quod fecit Dominus super terram, quæ nimirum illa sit fœmina, quæ circumdedit virum? Cui ignota est interpretatio Madentis nunc Areæ, nunc Velleris Gedeonici? Quis nescit quis sit Mons Domus Domini elevatus in vertice montium? quæ sit Porta Orientalis clausa omnibus, soli pervia Principi? quæ sit virga Aaron, quæ absque radice floruit, fronduit, & fructum protulit? Quis sit Rubus ardens incombustus?

Quis nescit quæ sit stella orta ex Jacob. Qui sint Reges Tharsis & Insulæ munera offerentes, Aurum, & Thus deferentes? Quis sit Dux ex Bethleem egressus, qui regat Populum Israel? Quis sit ille vir dolorum, & sciens infirmitatem, quasi leprosus, & percussus à Deo, ac humiliatus? Quis sit ille quasi Ovis ad occisionem ductus, & quasi Agnus coram tondente se mutus, cujus judicium in humilitate sublatum est? Quis sit ille justus circumventus tanquam inutilis, & operibus impiorum contrarius, improperans eis peccata legis, qui filium Dei se nominavit, gravis iniquis ad videndum, turpissimâ morte condemnatus? Quod sit illud sacrificium vespertinum? quod Thymiama ex minutissimis pulveribus specierum pretiosissimarum confectum & incensum? Quid quinque Civitates refugii? Quid reditus homicidarum & maleficorum ad Patriam post mortem summi Sacerdotis? Quid ostium in Areæ Noëticæ latere? Quid Eua de Costa dormientis Adæ ædificata? Quid Noë ebrius & dormiens ac nudatus, à filio nequam irrisus & illusus?

Quis nescit Fidelium quis sit ille Mors mortis, & morsus inferni? Quis sit ille qui in fortitudine sua descendit in profundum laci, in quo non erat aqua, & populum, qui inibi sedebat in tenebris, luce magnâ perfudit, & in libertatem beatitudinis æternæ produxit? Quis nescit quis ille Catulus Leonis dormiens, & à nemine præterquam à se ipso suscitatus est? Quis Samson mediâ nocte de somno consurgens, & portas Philisteorum cum postibus effringens, & exportans? Quis nescit quæ sit illa Gloria, & quod Psalterium, atque Cythara exsurgens diluculo?

Denique (ut finem recensendi faciamus) quis ignorat fideliũ Christi hodie, viam Aquilæ in cælo? Itemq; Auxiliatorem Populi, Ascensorem Cæli? Itemque illum Ascendentem in altum, & Captivam Captivitatem ducentem? Itemque illum Regem Gloriæ, ac Dominum virtutum, fortem ac potentem in prœlio, cui jubentur aperiri portæ Justitiæ, & elevari portæ æternales? Itemq; illum, cui datæ sunt Gen-

tes

tes in hæreditatem, & termini terræ in possessionem, & reget eas in virga ferrea. Item illum Dominum, cujus dies magnus juxta est, & velox nimis? vox diei ejus amara, tribulabitur ibi fortis, dies iræ, dies illa, dies tribulationis, & angustiæ. Qui & congregabit omnes gentes, & deducet eas in vallem Josaphat, & disceptabit cum eis ibi.

Ecce ista sunt sive Sigilla, sive arcana fidei salutisque nostræ, sive Divinæ circa salutem nostram Providentiæ opera, quæ per Incarnationem, Vitam, Passionem, Mortem, Resurrectionem, Ascensionem Domini nostri JESV Christi universa patuerunt, Liberque ille, tantis, totque clausus signaculis, tantis, totque obseptus involucris, apertus est, ita ut meritò velum Templi in morte Domini scissum fuerit à summo usque deorsum; tanquam significans, omnia jam Arcana veteris Synagogæ, per Christi mortem patuisse, nec jam oppandi iis velum ultra oportere.

Enimverò præter Arcana scripturarum, præterque mysteria Divinorum circa nostram salutem decretorum & operum: patuerunt adhuc, per ejusdem Domini nostri vitam, Passionemque, alia quædam Sigilla altissimarum, & ab omnibus retrò ante Christum sæculis, nec auditarum, nec visarum, sed neque cogitatarum virtutum, atque Perfectionum, quæ meritò propter sui excellentiam sublimitatemq; quasi sub signaculo ante Christum fuerunt, in vita autem & Passione Christi luculentissimè patuerunt; neque patuerunt tantùm, sed etiam operabiles imitabilesque factæ sunt, omnibus volentibus, quarum admirandam, tum celsitudinem, tum arcanitatem, tum etiam honestatem, Dominus ostendere, & exprimere volens eas Beatitudines vocavit, & non præcepta sed consilia esse voluit.

Quis quæso ante Christum evulgavit. *Beati Pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum.* Et. *Si vis perfectus esse: vade, vende omnia quæ habes, & da Pauperibus, & veni sequere me, & habebis thesaurum in cœlo.* Et. *Vos qui reliquistis omnia & secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius Hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes judicantes duodecim tribus Israel. Et omnis qui reliquerit domum vel fratres, aut sorores, aut Patrem aut Matrem, aut Vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit?* Quis ante Christum enuntiavit. *Nisi efficiamini sicut parvuli non intrabitis in Regnum cælorum.* Et. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde?* Quis ante Christum in abnegatione sui, in abjectione honorum, in novissimi loci consessûsque ambitione, in eâ nuditate,

nuditate, & paupertate, ut nec locum capiti, reclinando reliquum habeas, beatitudinem esse ostendit? Absconsa hæc fuêre à sapientibus & prudentibus: revelata autem parvulis, revelata autem per vitam, & Passionem, Exemplaque ac Mores Jesv Christi: revelata autem cum adeò efficaci svavitate, svaviqúe efficacitate, ut mox imitatores exsecutoresque haberent.

Quis ante Christum Mansvetudini nesciæ lædi, & irasci, & ulcisci, inesse beatitudinem, & terræ possessionem revelavit, aut sensit? Cùm sensu vulgari, Mansvetudo vel maximè injuriis, rapinis, deprædationibus, & vexationibus exposita sit, ignaviaque ac stupor reputetur? Atqui alius est Christi sensus, alia Doctrina, alia exempla. *Diligite inimicos vestros, bene facite his qui oderunt vos. benedicite maledicentibus vobis: & orate pro calumniantibus vos.* Et. *qui te percutit in maxillam, præbe ei & alteram. Et ab eo qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere. Omni autem petenti te tribue, & qui aufert quæ tua sunt, ne repetas.*

Quid apud Homines jucundius risu, lætitiis, & lautitiis, atque consolationibus, & opulentiâ, ac prosperitate? quid contra miserabilius luctu, ploratu, gemitibus, & fletu? At Christus verbo & opere suo contrarium revelavit. *Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram. Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.* E contrario autem. *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Christum risisse, nunquam legimus: flevisse sæpius: adeò ut ipsam Passionem suam, Oratione, lachrymis, & clamore valido concluisse testetur Apostolus.

In siti & fame Justitiæ, beatitudinem sitam Christi sensus & doctrina est. Doctrina autem non minus verbo, quàm opere, non minus sermone, quàm Passione propter Justitiam sancita & tradita. Hæc est illa sitis Christi in Cruce, cui & immortuus est. Hæc illa est fames, cui nonnisi ab impletione voluntatis paternæ, levamen satietatis fecit. Ergo Beati qui esuriunt & sitiunt Justitiam Dei: qui eligunt perdere vitam, ne perdant obedientiam. Quibus cibus & potus, & omnis sustentatio atque substantia est obedire Deo, ejusque mandata servare, & in ejus dilectione manere. Quibus gaudium & epulatio lauta est saginare Animas suas Divinâ voluntate, bonâ, & beneplacente, & etiam perfectâ: exuendo & exinaniendo proprias voluntates, perdendo animas suas, propter Deum, ut in vitam æternam inveniant & custodiant illas.

illas *Verè Beati qui nunc esuritis: quia saturabimini.* Justitia siquidem & Dei voluntas cibus est, non tantum tunc quando impletur, verum etiam quando esuritur: adeò ut ipsa esuries ejus, sit cibatio ejus, sit fagmatio ejus: cui nihilominus offertur & exhibetur Beatitudo æterna, tanquam expletio ejus.

Misericordiam super proximos quoscunque Beatitudinem esse, certissimamque ad misericordiæ consecutionem methodum, nemo unquam plenius Christo declaravit, ac reseravit, tam verbo, quàm opere, atque Passione, & Morte; ad quam una solaque Charitatis suæ Misericordia super nos, Christum perduxit. Vult Dominus misericordiam nostram extendi, tam ad corporales, quàm ad spirituales proximorum necessitates, vult extendi eandem non tantùm ad notos, & amicos nostros, verùm etiam ad ignotos, etiam ad eos, qui non habent retribuere nobis; alioqui misericordia nostra gentilem non superabit. Vult quoque extendi nostram misericordiã Dominus etiam ad inimicos, ad malefacientes nobis, ad ingratos, ad maledicentes, ad convitiantes, ad malum pro bono reddentes: ut maledicentibus benedicamus, convitiantes honoremus, malefacientibus bene faciamus, detractores laudemus, inimicos & osores amemus. injuriantibus bonum pro malo reddamus, & malum in bono vincamus. Vult Dominus misericordiam nostram extendi usque ad ipsummet Dominum: ita nimirum eam exhibendo quibuslibet proximis, quasi illi non essent illi, sed in eis esset Christus, sed quasi quilibet eorũ esset ipse Christus. Denique extendit extendique vult Dominus misericordiam nostram usque ad æmulationem, tum misericordiæ, tum perfectionis, tũ naturæ, seu Filiationis Divinæ. Omnem enim misericordiam nostrã esse vult, *ut* (inquit) *sitis Filii Patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum facit oriri super bonos & malos. & pluit super justos & injustos, & benignus est, super ingratos & malos. Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester misericors est Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Quis autem ignorat talem per omnia fuisse misericordiam Christi ipsius, imò & multò majorem, atque altiorem: qui solem & imbrem salutis redemptionisque suæ profudit super nos, *per hoc commendans charitatem suam in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores & inimici essemus* imò & cùm deinceps futuri essemus, *pro nobis mortuus est.*

Cordis munditiem beatitudinem esse reseravit Christus, & ei visionem divinam promisit. Quam perfectionem etsi non ignotam habuit

antiquitas: Orabat enim David Deum, *Cor mundum crea in me*: eam tamen cordis munditiem, quam Christus verbo & exemplo docuit ac ostendit: nec per somnium (ut ajunt) quis cogitavit unquam veterum. Mundities enim cordis à Christo laudata, ad ò esse excelsa & superheroica debet, (adjuta præsertim religione voti) ut non tantùm excludat à corde omnia opera, verba, cogitationes, imaginationes, sensuumque externorum omnes illecebras, quovis modo etiam alioqui licito, nitorem oblædentes puritatis, & nidorem adflantes integritati: verùm etiam Corpus ipsum ita castificet in obsequium cordis, ut in carne non secundùm carnem militetur, ut instar cælestiũ incolarum, neque nubant, neque nubantur, sed sint sicut Angeli Dei, casti corpore & spiritu, mundi carne & mente, munditie, non ita quidem sicut Angeli felice, sed quàm Angeli fortiore. tali munditie, quæ non tantùm pro futura in cælis, at etiam pro præsenti in terris vitâ, oculos ad videndum Deum purificet, nomenque melius à filiis & filiabus conferat, demum merito incorruptionis Deo simillimum reddat. Deo inquàm non tantùm Virgini ex Virgine Incarnato, sed etiam Deo Trinitati, quoniam Prima Virgo Trinitas est.

Iam verò quid in Pacis amore, studio, custodia, & institutione sublimitatis lateat, nemo unquam cognovit satis ante Christum. Primus omnium Christus beatos pacificos dixit, primus Filios Dei, dignos tanto Patre pronuntiavit: primus etiam Pacificatoris munus in suos humeros, tanto utique muneri solos pares assumpsit, & perfecit. Quis enim hominum aut Angelorum idoneus fuit ad reconciliandum Deum mundo, & ad pacificandum dissidium mundi, à Deo? Ecce autem Princeps Pacis, & Salomon Pacificus *Christus pro nobis omnibus mortuus est, & ipse est Pax nostra: qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ* (iræ Dei, & offensæ mundi) *Solvens inimicitias in carne sua, ut duos condat in semetipso in unum hominem faciens pacem, & reconciliet ambos in uno corpore, Deo per Crucem: interficiens inimicitias in semetipso.* Unde etiam præparavit nobis Evangelium pacis, instituens unum Pastorem se, unumque ovile nos, oves suas; unum caput se, nos verò unum corpus, & membra in uno corpore: edicens nobis: quia in hoc cognoscent omnes, quòd discipuli ejus sumus, si dilectionem ad invicem habuerimus. Atque hoc munus, imò hanc beatitudinem pacificationis, non tantùm commendavit, sed etiam imposuit nobis, ut *cum omni humilitate, & mansvetudine, & patientia supportemus invicem, in charitate, soliciti servare unitatem Spiritûs in vinculo pacis.*

vis. ut omnes unum simus, sicut Pater in Christo, & Christus in Patre; ut & nos in nobis unum simus. Nostra ergo pacificatio, nostra pacificationis beatitudo, nostra Dei Filiatio, in hoc sita est, ut ante omnia quidem, pacem dilectionis & subjectionis habeamus & servemus cum Deo; deinde pacem & unionem charitatis custodiamus cum omni proximo. *Hoc enim mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum*: adhuc autem & proximos nostros omnes, quod in nobis est, laboremus habere pacem cum Deo, tanquam ipso *exhortante per nos, Reconciliamini Deo.* Insuperque ut studio nostro, ipsi quoque proximi nostri, inter sese propter Deum pacem habeant in nomine Domini, *charitatem & humilitatem invicem insinuantes.* alterque alterius onera portantes, & nemini quidquam debentes, nisi ut invicem diligant, & sic legem Christi adimpleant, quoniam *qui diligit proximum legem implevit.* Atque hæc est Pacificorum regula: cujus regulæ summum exemplar Christus, cujus beatitudo, est illa, quia filii Dei erunt, & vocabuntur, & Christi fraternitatem sortientur.

Super omnia verò quæ Dominus noster Iesvs Christus, mysteria & enarravit, & evulgavit, illud est: *Beati qui persecutionem patiuntur propter Iustitiam, quoniam ipsorum est Regnum cælorum. Beati estis cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversùm vos, mentientes propter me, gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Admirabilitatem, altitudinem, abstrusionem doctrinæ, virtutis, perfectionisque hujus exaggerare multis nihil attinet: satis sit dicere. Id genus sapientiæ, nunquam ulli in mentem venturum fuisse, nisi Unigenitus Dei, qui est in sinu Patris, illud enarrâsset, enarrâsset verò magis factis, quàm dictis, magis ipsâ inauditarum omnis generis calamitatum stupendâ perpessione, quàm exaggeratâ verborum affirmatione. Quâ docendi methodo per exemplar Passionis suæ, tantum quidem profecit Dominus, Magisterque noster: ut exemplo ejus instructi, non dubitemus gloriari in tribulationibus, gaudere, atque etiam omne gaudium existimare, cùm in varias tentationes, tribulationes, persecutiones inciderimus, ut majorem felicitatem reputemus Crucem pro Christo, quàm vitam cum Christo. Ut major sit nobis fames patiendi, quàm beatè vivendi, ut doleamus in patiendo pro Christo æternitatem non esse, sicut in gaudendo cum Christo scimus esse. Denique gloriatio nostra hæc est una, à qua absit omnis alia, gloriari in Cruce Domini nostri, Christo crucifigi in Cruce. Ita ut ibi sit animarum nostrarum possessio. Nam *in patientia*

vestra (ait Dominus nobis) *possidebitis animas vestras.* Ibi quoque perfectio virtutis nostræ: Nam *virtus in infirmitate perficitur.* Ibi potestas & potentia nostra: nam *cùm infirmor, tunc potens sum.* Vsque adeò Dominus IESVS omni genere bonorum atque beatitudinum adimplevit patientiam suam, hoc est, Crucem suam; quam ille pro nobis, gaudio sibi proposito; & confusione, quam furiosissima malitia, malitiosissimusque furor adinvenire, & inferre potuit, penitus contemptâ, sustinuit, & instar unius perjucundi calicis, poculique gratiosi exhausit.

Sunt adhuc complura ejusmodi arcanissima perfectionum & virtutum ornamenta, à Christo nobis patefacta atque resignata, in suæ vitæ Passionisq; libro. Vt est Filiatio Dei, & cohæreditatio cum ipso Christo. nam *dedit nobis potestatem filios Dei fieri.* Item *ut simus hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Est etiam tale illud: quia *ille est vitis, nos palmites,* & sinè eo nihil possumus facere. Tale quoque illud. *Cùm omnia feceritis quæ præcepta sunt vobis, dicite servi inutiles sumus,* quod debuimus facere fecimus. Tale illud. *Nolite gaudere in hoc quia dæmonia subjiciuntur vobis,* sed *in hoc gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælo.* Tale illud. *Nescitis cujus spiritus estis. filius enim hominis non venit animas perdere, sed salvare.* Tale illud. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, post hæc autem non habent quid faciant. Timete eum, qui postquam occiderit corpus, habet potestatem mittere animam in gehennam.* Tale illud. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Tale est illud. *Misericordiam volo & non Sacrificium.* Tale est etiam illud. *Si pes tuus, aut manus tua, aut oculus tuus scandalisat te, abscinde, & erue illum, & projice abs te, bonum est tibi claudum, mancum, cæcum intrare in vitam æternam, quàm duos oculos, aut manus, aut pedes habentem mitti in gehennam.* Tale illud. *Contendite intrare per angustam portam,* quàm angusta est porta, *& arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam.*

Tale est illud. *Facilius est camelum ingredi per foramen acûs, quàm divitem intrare in regnum cælorum.* Tale illud quoque. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.* Tale illud. *Omnis qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est,*

Sed enim finienda est aliquando hæc enumeratio admirandarum perfe-

perfectionum Christianarum, quas nobis Christus, quâ verbo, quâ exemplo, in admirabili vitæ Passioniſque ſuæ libro reſeravit, & ſtylo hominis ſcripta legendaque, operibus autem noſtris, à nobis exprimenda & exaranda propoſuit.

Quia verò Dominus Jesvs, profitetur ſæpius, ſe veniendo in mundum, & vivendo in eo, manifeſtâſſe nomen Patris, hoc eſt Divinitatis ejus, & perfectionum arcana evulgâſſe, ac nota feciſſe hominibus: unamque & ſolam ejus gloriam quæſiviſſe; tum etiam voluntatis ejus executione tanquam ſubſtantioſo & vitali cibo vixiſſe. Proderit etiã hunc catologum Divinarum magnitudinum ſaltem perſtringendo recenſere.

Ergo ex libro vitæ Paſſioniſque Jesv Chriſti ſcimus. 1. Quia Deus noſter eſt Trinus & unus, Pater & Filius & Spiritus Sanctus, in cujus nomine, & bapt ſari atque renaſci nos oportet ut ſalvi fiamus. Scimus 2. Quia Pater & Filius unum ſunt, & omnia quæ habet Pater Filii ſunt, & omnia quæ Filii ſunt, Patris quoque ſunt. Scimus 3. Quia ſic Deus Pater dilexit mundum ut Filium ſuum Unigenitum daret, ut mundus ſalvetur per ipſum. Scimus 4. Quia Pater omne judicium dedit Filio: quia Filius hominis eſt. Scimus 5. Quia qui fecerit & ſervaverit ſermones Domini Jesv: Pater cæleſtis diligit eum, & ad eum venient Pater, & Filius, ſimulque Spiritus Sanctus, & manſionem apud eum facient. Scimus 6. Providentiam Dei infinitam circa nos, adeò ut neque paſſerculi ſint in oblivione coram ipſo, ut etiam capilli capitis noſtri numerati ſint, apud Deum, omneſque greſſus noſtros, non tantùm corporis, verùm etiam animæ dinumeratos habeat. Scimus 7. Altiorem aliam Dei Providentiam (complectendo nomine Providentiæ, Sapientiam, Miſericordiam, Veritatem, Iuſtitiam, Charitatem, Liberalitatem, Suſtinentiam, & omnem penitus Bonitatem divinam) circa ſalutem noſtram: quam tota Sanctiſſima Trinitas operata eſt, & uſque modò operatur. Pater quidem Vnigenitum Filium ſuum in mundum mittendo. Filius in mundum veniendo, & carnem noſtram ex puriſſima Virgine ſumendo, Spiritus Sanctus Incarnationem Verbi in Virgine, ex Virgine, & cum Virgine operando. Pater propter ſcelus populi ſui Filium tradendo, atque diris ſuppliciis percutiendo. Filius ſemetipſum, ſponte ad perpeſſionem omnis humanæ calamitatis, demumque ſupplicii Crucis & mortis offerendo, ſicq; pro ſalute noſtra ſeſe hoſtiam & holocauſtum Patri faciendo. Spiritus Sanctus ad ſalutem noſtram conſummandam deſcendendo, in nobis

bis tanquam in templis manendo, nosque sanctificando, & sanctificationem hanc fovendo, augendo, totumque Ecclesiæ Christi Corpus gubernando, vivificando, consecrando, gratias omnibus fidelibus, ad operandam salutem suam elargiendo. Scimus 8. Ex Deo nos habere peccatorum remissionem, quin imò & eorundem aliis remittendorum retinendorumque potestatem. Scimus 9. Habere nos præsentem nobiscum realiter etsi invisibiliter Dominum nostrum JESVM Christum: dicente ipso. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* quæ mansio non est tantùm per gratiam sanctificantem, sed etiam per Sacramentalem præsentiam in Eucharistiæ Sacramento, in quo Deus noster non solùm nobiscum, & inter nos, sed etiam in nobis manet, dans nobis carnem suam in cibum, & sanguinem in potum, quo alamur, vegetemur, roboremur, saginemur in vitam æternam, cujus pignus, unâ cum resurrectione futura, est idem ipsum Sacramentum. Scimus 10. Habere nos sacrificium admirabile & ineffabile, unà cum Sacerdotio ad illius oblationem destinato, in quo offerimus ipsummet Unigenitum Filium Dei: modo per omnia stupendo, innovantes & repræsentantes incruentè, cruentum Christi sacrificium, in Cruce pro nobis ab ipso peractum. Quo Sacrificio unico quidem, sed omnia alia sacrificia evincente, & explente, placamus Deum, redimimus peccata, sanctificamus animas nostras, purgatorii pœnas sublevamus: totum humanum genus protegimus, Ecclesiam ditamus, & adjuvamus, Deum & sanctos omnes ejus, honoramus, lætificamusque.

Scimus 11. Christum Iudicem venturum ad Iudicium in consummatione sæculi, cum virtute & majestate magna & potestate: Iudicaturum omnes vivos & mortuos, & dicturū his, qui à dextris ejus erunt, justis. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* illis verò qui à sinistris ejus erunt impiis: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus: & ibunt hi in combustionem æternam, Iusti autem ibunt in vitam æternam.* Scimus denique 12. Deum esse & fore beatificatorem nostrum, atq; adeò beatitudinem ipsam æternam, cum quo regnabimus, & simul regnum ejus erimus: cujus regni non erit finis, in quo regno laudabimus, & amabimus, & superexaltabimus Deum nostrum in sæculorum sæcula, & ultra.

Atque hæc nobis Unigenitus qui est in sinu Patris, qui Incarnatus & Passus est pro nobis, Sacramenta & arcana revelavit.

Parce

Parce benigne Lector, quod hoc loco metas meas fortè excesserim, & calamo nonnihil indulserim: servire pietati tuæ indulgereq; volui, quanquam si materiæ tractatæ ubertatem, dignitatemque dispexeris, justius forsitan copiam explicandi desiderabis, quàm fastidies.

MODVS XCVII.

NOnagesimus septimus Modus Passionem Dominicã meditandi est, de variis & salutaribus Modis Passionem Domini compensandi ipsi Christo.

Fundamentum hujus usûs ac simul meditationis, est notitia Passionis Domini nostri, quæ non tantùm complecti debet cognitionem historicam eorum quæ Passus Dominus, verùm etiam conditionum & circumstantiarum inter hæc intervenientium: v. g. Dignitatis, Innocentiæ, Iustitiæ, Misericordiæ, Beneficentiæ, Sanctitatis, Potestatis, ejus, qui Passus est: è contra Malitiæ, Vilitatis, Odii, Invidiæ, Virulentiæ, Ingratitudinis horum, à quibus passus est. De quibus conditionibus, aliisque pluribus, sicuti & de causis Passionis, in superioribus satis actum est.

Notitiam hanc fides comitari & perficere debet, Fides inquam Divina & supernaturalis, ut nempe credamus hæc quæ Passus est Dominus noster omnia, & credamus eum Passum esse Deum-Hominem, ex amore Patris Æterni atque obedientia, ex amore quoque nostrî propter Patrem Æternum; ex amore inquam salutis & Redemptionis nostræ, à morte peccati, à morte corporis, demumque à morte æternæ damnationis; propter eximendos nos à diabolica potestate, propter conciliandos nos Deo, & pro acquirendo nobis Beatitudinis æternæ Regno. Nullo nostro merito apud Deum, imò inter multa demerita nostra. Nullo fructu Christi neque necessitate; sed solius charitatis & miserationis ejus super nos; inductione. Tum etiam adimplendæ veritatis figurarum, promissionum, prædictionumque gratiâ: Quæ omnia credenda sunt propter revelationem à prima veritate factam: Ecclesiâ Dei proponente.

Fidem sequi debet æstimatio & appretiatio eorum, quæ Dominus noster Passus est. Tantus nimirum, & tanta, & pro tantillis, & pro tantis nostris bonis atque commodis: & quibus nulla possit assignari ne quidem in minima proportione æstimatio, ne dum compensatio. Hæc æstimatio, & appretiatio Passionis & eorum quæ Passus est Dominus, quantò erit major & vivacior, & condigniot (nulla autem esse

unquam

unquam poteſt, poteritue adæquatè condigna, ne quidem ab omnibus Creaturis) tantò noſtra, ad, & circa, Paſſionem Domini, ipſumque Paſſum Dominum, occupatio, & affectio, erit, & Deo Chriſtoque gratior, atque glorioſior, & nobis ſalubrior, utilior, meritique & virtute Paſſionis ipſius gravidior.

Hanc æſtimationem & appretiationem Paſſionis Domini comitari, & velut fermentare, perficere ac vegetare debet, Amor reciprocus Paſſi tanta, propter nos tales, tanti Domini, atque Dei noſtri. Amavit nos viliores ipsâ vilitate vermiculos, amavit inquam nos Charitas, amavit Immenſitas, & amavit tam ardenter, tam potenter, tam profusè, atque prodigè: ſaltem ergo rependamus vicem cum menſura, cum menſura, cum menſura, tamen ſemper pleniori, ſemper ardentiori, ſemper ſuperffluentiori.

Amori porrò & æſtimationi, ne fortè ſit ſterilis, adjungatur recompẽſationis cura, atq; recompenſatio ipſa, quæ remordebat Davidem cùm dicebat. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi*: non tantùm dando mihi beneficia ſua, ſed faciendo etiam beneficiũ meum ſemetipſum: & faciendo per Amaram, per Infamem, per Indignam, per Enormem, per Parricidalem, per Ingratiſſimam, per Exceſſivam, per Infinitis modis exaggeratam, tam ex parte Charitatis Dei & Chriſti, quàm ex parte indignitatis noſtræ, quàm ex parte virulentiæ furoriſque inimicorum, quàm ex parte ſummorum omnemque æſtimationem infinities evincentium fructuum ſuorum, Paſſionem. Ejus recompenſationis modum unum præcipuum, ac tum ſibi gratiſsimum, tum nobis ſaluberrimum deſignavit atque demandavit nobis ipſe Dominus dicens. *Hoc facite in meam commemorationem.* Significans oblationem Sanctiſsimi Sacrificii ex pane, & vino, in quo repræſentetur, atque etiam repetatur univerſa Paſsio & Mors ſua, ſacrificiumque cruentum à ſe in Cruce perfectum, eſſe, & fore ſibi convenientiſsimũ, glorioſiſsimum, gratioſiſsimumque modum, quo ei Paſsio ſua univerſa cum morte poterit, ac debebit à nobis uſque ad conſummationem ſæculi recompenſari.

Huic modo vicinus, imò conjunctus, atque pars ejus eſt Sanctiſsimi Euchariſtiæ Sacramenti devota, famelica, ardens, nec infrequens, ſemper autem Charitate atque Humilitate ſublimatior, atque perfectior ſumptio, & manducatio.

Tertius modus recompenſationis eſt. Meditatio atque recogitatio jugis, & quàm fieri poteſt perennis Dominicæ Paſsionis. Ad hoc eſt enim

enim institutum Iuge sacrificium Missæ in Ecclesia sua ab ipso Christo, ut nulla dies esset in tota Ecclesia Christi, quâ in hoc Sacrificio non repræsentaretur à Sacerdotibus, & non recoleretur à fidelibus Passio & Mors Domini Salvatorisque nostri. Hoc etiam vult sibi monitum illud Apostolicum. *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus, adversum semetipsum contradictionem.* Sicuti & illud aliud, Divinum pariter. *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus ac noctibus.* Ad quod meditationis ejusque materiæ genus aspirabat vehementer Beatus Iob. dum ità anhelabat. *Quis mihi tribuat auditorem: ut desiderium meum audiat omnipotens, ut librum scribat ipse quijudicat. Vt in humero meo portem illum, & circumdem illum, quasi coronam mihi. Per singulos gradus meos pronuntiabo illum; & quasi Principi offeram eum.* Quibus votis suis Beatus Patriarcha, non solùm vota sua ad meditandam Redemptoris sui Passionem exaggerat, verùm etiam modum, etiam affectum, etiam effectum, & fructum, quo meditaturus sit, eximiè denuntiat: in quo toto negotio æquissimũ est, ut eum nos quoque imitemur: non solùm memoriam aut mentẽ meditatione Passionis Christi occupando, verùm etiam humerorum robore, manuumque labore, sinè lassitudine, & requie, dignas Christo Crucifixo operationes, imò verò & Passiones suscipiendo, & sustinendo: cum ea mentis corporisque etiam hilaritate, & promptitudine, ut planè *absit nobis gloriari in ullo alio, nisi in Cruce Domini nostri IESV Christi.* Sed ipse sit nobis Corona Capitis, ipse merces laboris, ipse præmium sufferentiæ propter ipsum: proficiendo semper in hoc studio: & gradus atque ascensiones in ejus decursu faciendo, superando, transcendendo, ut sic quàm maximè Princeps Crucifixorum *formetur Christus in nobis* ipseque sit sibi veluti munus, ac præmium, & pignus suum in nobis, à nobis.

Præter hos modos Compensationis Passionis Dominicæ, est Gratitudo atque Actio gratiarum: actio inquam, talis scilicet, quæ non solùm animo & memoriâ gratias cogitante, nec solùm ore gratias fundente, sed multò magis operatione assiduâ, singulari, exquisitè devotâ & liberali, gratias pro Passione (quæ gratia gratiarum, & omnium fons gratiarum est) exhibente perficiatur. Hoc enim genus, & hic modus gratiarum actionis, tum perfectissimus, tum Christo Domino debitissimus juxta ac gratissimus est. Opera gratiarum actionis præstare, atque (ut nuper dicebam) in humero Passum JESVM, & Passionem circumferre, animo & spiritu gratitudinis indesinentis, nec un-

quam sibi satisfacientis plenissimo, & ditissimo. Et possunt quidem in censum operum gratiarum actionis venire omnia vitæ nostræ opera, etiam ex se indifferentia (tantùmmodò non ex se, modove agendi mala & depravata) bonitate intentionis idoneæ imbuta, & sublimata: nihilominùs præcipuum hîc locum, primamque gratiam obtinent opera tum Pœnitentiæ emendationisque morum: tum exercitationis virtutum & perfectionis, tum Patientiæ, sive voluntarie susceptarum afflictionum corporis aut animæ, sive etiam aliunde, (à Deo puta, aut à Creaturis, permittente Deo) oblatarum, atq; in fortunas, in corpus, in animam, in Spiritum, in honorem, in libertatem nostram, vel eorum qui nostri sunt, incidentiũ adversitatum, ærumnarumque. Quarum toleratio cum Christiana magnanimitate, (scilicet modestè, mansvetè, humiliter, hilariter, libenter, avidè, & cum gustu, constantia, ampliorumque desiderio, eorum quoq; qui authores fortè sint, amãte, ac omne malum in bono vincente animo) susceptæ & perfectæ, atq; Christi Passionis amore & imitatione conditæ, ipsiusque Christi gustui exhibitæ: superat omne, quidquid præsens vita gratum, pretiosumque Divinæ offerre prævalet Majestati.

Quintus Modus Recompensationis Passionem suam Domino Iesv Christo, est ille Apostolicus, sive ille quem Paulus Apostolus, neque is solus, sed pariter cum omnibus Apostolis, & cum his omnes Apostolico officio, animo, laboribusque præditi, & exerciti, jam inde à nata Christi Ecclesia, usque huc tenuerunt, & ad finem sæculi tenebunt. Graphicè illum Apostolus Paulus denarrat, cùm ait. *Nunc gaudeo in Passionibus pro vobis, &* (seu, quoniam) *adimpleo ea quæ desunt Passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Laborare circa conversionem animarum ad Deum, & circa salutem perfectionemque conversarum jam, atque credentium in Christum, desudare, eoque nomine persecutiones, tribulationes, cruces, verbera, vulnera, mortes, vel exilia, proscriptiones, maledicta, calumnias, censuras, detractiones, irrisiones, oppugnationes, impedimenta, falsa testimonia, & interpretationes, labores, sudores, fatigationes, libenter & infatigabiliter devorare, atque cum Apostolo, filios, iterum iterumq; Christo parturire, donec Christus in eis formetur, & crescat in viros perfectos, in mensuram ætatis plenitudinis virtutum suarum. Id verè est compensare Passionem suam Christo: imò id verè est supplere & adimplere ea quæ desunt Passionibus, & Cruci, atque morti Christi, desunt autem ad hoc, ut Passio, & Crux, & Mors Christi ex sese licèt per

omnia

omnia satisfactioni pro toto mundo, quin & pro infinitis mundis superexcessivè sufficientissima, tamen quantùm ad suum effectum, & effectûs propagationem, applicetur hominibus re ipsâ, & in Ecclesiam, quæ est Corpus Christi, itemque in Ecclesiæ filios, qui sunt membra corporis, cujus caput est Christus, derivetur; quæ applicatio Passionis & Mortis Christi, atque ejus derivatio in Ecclesiam, & filios Ecclesiæ, non est facta actualiter ab ipso Christo, qui *resurgens ex mortuis, jam ultra non moritur*, neque patitur in semetipso suaque persona: sed faciendum dispositi, & commisit Apostolis, & eorum Successoribus in Apostolatûs munere, & opere, per omnes gentes, per omnia tempora, quibus annuntiandum fuit, & est, Evangelium simulque Passiones, & Mors, atque Crux Christi, ejusq; efficacia applicanda, & derivanda in omnes Ecclesiæ partes, & filios, usque ad sæculi consummationem. Quæ annuntiatio Evangelii atque mortis Christi, applicatioque, & communicatio virtutis & efficaciæ ejus, quia non poterat, neq; debebat esse absq; laboribus, & tribulationibus, & persecutionibus, & passionibus, cædibusque, tam Apostolorum, quàm Apostolicorum Successorum, uti & Christus prædixerat promiseratque, & re ipsâ eventus docuit, & in hanc usque diem docet, ac porrò ad finem mundi docebit, ideo Paulus consors & particeps factus laborum tribulationumq; pro nomine IESV Christi, proque conversione gentium, & pro conversis jam ad Christum, nec non pro congregatis ad Ecclesiam Christi, fidenter affirmat de se. *Nunc gaudeo in Passionibus pro vobis, quoniam adimpleo ea, quæ desunt Passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Passus est Christus redundantissimè ad satisfactionem reconciliationemque totius mundi. Passus est Apostolus, omnesque Apostoli, & omnes Apostolorum asseclæ passi sunt, habentque necesse pati, ut ipsa Passionis Christi satisfactio, & efficacitatis ejus communicatio, fiat pervadatque in homines, in gentes, in Ecclesiam, in ejus filios, in membra corporis Christi, cujus Caput est Christus. Et omnes quicunque aliquando, & alicubi, annuntiaverint Christum, propterea persecutionem patientur, propterea adimplebunt in carne sua, & in personis suis, ea quæ desunt Passionum Christi, pro corpore ejus, quod est Ecclesia. Christus enim, sicut salutem hominum nonnisi per humiliationem, & exinanitionem sui, non nisi per Passionem Crucis & mortem, non nisi per charitatem, quâ animam suam posuit pro nobis adhuc inimicis, peragere voluit, ac re ipsâ peregit: ita hujus ipsius salutis humanæ per se peractæ, in homines derivationem, atque communicatio-

Rom. 6. 9.

Coloss. 1. 24.

nem non aliter peragi voluit, & ad usque finem mundi vult, nisi per humiliationes & contemptus, per tribulationes, & persecutionum passiones, per dilectionem ipsâ morte fortiorem, eorum *qui pro Christo fungerentur & fungentur legatione ad homines, tanquam Deo exhortante per eos: Reconciliamini Deo.*

Quisquis ergo ex Amatoribus Christi, vel pro conversione infidelium quorumcunque ad Christum, vel pro conversione peccatorum ad pœnitentiam melioremque vitam, vel pro conservatione aut promotione bonorum & justorum ad sanctitatem vitæ perfectionemque virtutum, vel pro persvasione amplectendorum consiliorum Christi, vitæque mundo contemptæ, & simul mundum contemnentis, atq; Crucem Christi amplectentis, & jugiter in corpore suo circumferentis, vel quoquis modo in salutem æternam proximorum suorum, docendo, prædicando, confessiones audiendo, rudimenta fidei Christianæ, rudibus tradendo, hæreses & errores confutando, vitæ Sanctæ exempla præbendo, virtutum opera ad ædificationem aliorum faciendo, Dei gloriam promovendo, offensas Dei, legisque ejus Sanctissimæ violationes tollendo, aut impedimento, denique sobriè, justè, & piè vivendo, sicque perseverando, propter Christum Crucifixum constanter & ardenter satagit & laborat: is indubitatè adimplet ea, quæ desunt Passionũ Christi in carne sua, pro corpore ejus, quod est Ecclesia. *Omnes enim qui pie vivere volunt in Christo, persecutionem patientur*, quod si hi, qui solùm ipsos se piè vivere in Christo curant, ista sors manet, quantò magis omnes eos, qui non solùm semetipsos, sed & quàm plurimos alios contendunt insatiabiliter adducere ad fidem, spem, dilectionem, mortificationem, obedientiam, patientiam, imitationemque Christi Crucifixi, privilegium, (sed & præmium) tolerantiæ persecutionum, nec non gratiâ atque gloriâ adimpletionis in carne sua Christi passionum, eadem conditio exspectat.

His ergo modis potest à quolibet devoto Passionis Christi Meditatore compensari salubriter Passio Christi, ipsâ Passione Christi, seu Passione pro Christo, ad quod enixè constanterque præstandum excitare cujusvis animum melius sufficientiùsque nihil ex parte nostra potest, ac debet, quàm ipsa fervens, devota, & frequentata Passionis meditatio.

MODVS

MODVS XCVIII.

NOnagesimus octavus Passionem Domini meditandi Modus esse potest: Meditando dediscere ex ea Spiritum hujus mundi, persvasionesque amatoribus mundi usitatas: addiscere autem Spiritum Christi verum, & proprium, ut ad normam ejus tum sapiamus, tum vitam præsentem vivamus. Frequens est hæc meditandi Passionem Domini ratio apud Patres, & absolutè breviterque loquar, in hunc fere potissimùm finem, suas de Dominica Passione cogitationes, tractationesque destinare consveverunt. Neque sinè justa ratione.

Primò namque certum & indubitatum est, tam ex evidentia rationis & naturæ Dei atque creaturæ; quàm ex assertione Sacrarum literarum, alium & disparem esse Spiritum, sapientiam, sensumq; Dei, à judicio, & sensu, Spirituque hominum, & mundi. *Non enim cogitationes meæ* (ait per Isaiam Deus) *cogitationes vestræ: neque viæ vestræ, viæ meæ. Quia sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris.*

Deinde certum est, utrumq; hunc spiritum, Divinum nempe & Humanum, non tantùm dispares, & diversos, sed etiam adversos, & planè repugnantes esse, sibi mutuò: ita ut quod Spiritui Divino rectum, hoc humano obliquum: quod spiritui humano justũ, hoc Divino iniquũ: quod Spiritui Divino sapiens, id humano spiritui stultum ac insipiens videatur.

Ita porrò hi Spiritus atque sensus sibi ad invicem repugnantes sunt, ut non alternent in sensu suo, quasi contingat alterum eorum nunc rectè, nunc prave sentire, & contra, alium ubi prior rectè, hunc pravè, hunc sanè & rectè statuere: sed ita sibi invicem repugnant, ut Divinus Spiritus sensusque, semper & infallibiliter sit sanus, rectus, justus, Sanctus: neque omnino possibile sit aliter se habere. Mundanus autem, ac humanus semper sit fallibilis & fallax, erroneus, perversus, vanus, insipiens, atque insipientia ipsa, & quem, non sit possibile, rectum esse, nisi consentiat subjectusque sit Spiritui Divino.

Quo fit ut secundùm hominem (& idem est, secundùm carnem, secundùm mundum, secundumque diabolum) sapere, sit non sapere, sed desipere, sed errare, sed falli, sed pravum, & iniquum, & impium, injustumque esse. propter nimirum regulam sapiendi pravam, & iniquam. E contra autem sit exinde, ut secundùm Deum sapere, sit verè sapere, sit verè justum, rectum, prudentem, sapientem, sanctumque esse. Scilicet propter regulam sentiendi verè regulam, & regularum primam.

Inde Sapientia & Spiritus Dei, est Prima Ratio, est Prima veritas, est lux & lex, est Iustitia, est Sanctitas, est Vita. Contra, sapientia hujus mundi, sapientia & spiritus hominis seu carnis, est mendacium, est vanitas, est tenebræ, est nox, est mors, est peccatum, est perditio, est stultitia, & insipientia.

Inde illa Sacræ Scripturæ enuntiata frequentissima. *Sapientia hujus mundi, stultitia est apud Deum.* Et. *Dominus scit cogitationes hominũ.* (Sapientium, habet Paulus) *quoniam vanæ sunt.* Et Christus Petro. *Vade retro Sathana, scandalum es mihi: non sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* Et aliàs discipulis. *Nescitis inquit cujus Spiritûs estis*: tum etiam iisdem disceptantibus, quis eorum esset major, ait: *Reges gentiũ dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic, sed qui major est in vobis, fiat sicut minor.*

Quia verò sapientiam & Spiritum Dei inter homines reperire usque adeò rarum, adeò parcum, adeò prope nùspiam licebat: dicente & inquirente scripturâ. *Sapientia verò ubi invenitur? & quis est locus intelligentiæ. Nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terrâ suaviter viventium. Abyssus dicit non est in me: & mare loquitur non est mecum* &c. Et rursum alibi. *Non est qui possit scire vias Sapientiæ, neque qui exquirat semitas ejus. Sed qui scit universa: novit eam.* E contra autem toto ferè mundo diffusa dominabatur sapientia carnis, & spiritus hominum, & mundi prudentia, cum suo Principe diabolo; nec erat modus, aut ratio, consequenter neque spes salutis aut vitæ: sed omnia occupabant tenebræ, & mors, & perditio, & insipientia, & cæcitas, & mendacium, & iniquitas. Ideo tandem *tempora & sæcula hujus ignorantiæ despiciens*, ac miserans Deus, non ampliùs, sicut *in præteritis generationibus, dimisit omnes gentes ingredi vias suas, sed misit* Filium suum IESVM in terras, & cum eo Spiritum suum, rectum, sanctum, principalem, Spiritum Filii, Spiritum reconciliationis, & simul Spiritum Sapientiæ, Intellectûs, & Scientiæ: Spiritum Consilii, Fortitudinis, Pietatis, & Timoris Dei. Spiritum quem mundus non potest recipere, neque novit eum, neque scit eum. *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius ad eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo*: testimonium perhibente illi Patre suo de cælis ac dicente. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. ipsum audite.*

Iste itaque Filius Dei, veniens in mundum hunc, & VERBVM Caro factum, tanquam Magister à Deo, & lux vera illuminans omnem hominem

minem venientem in hunc mundum, factus est via, veritas, & vita: via quidem in exemplo, veritas in verbo, vita in præmio; omnem doctrinam, per omnia mundi, & Carnis, & sensûs, & hominû doctrinæ contrariam, tradidit nobis, in omni quidem vita sua, omnibusque operibus vitæ suæ, at super omnia, in extrema clausula, hoc est, in tempore Passionis & mortis suæ.

De qua re tanquã supra modum manifesta, & nota in lege Christiana, non libet mea interponere plura verba: libet tamen Augustini præclara apponere sensa. Sic ergo Sanctus Doctor, cùm dixisset, quòd Deus *nullo modo* beneficentiùs consuluit generi humano, quàm cùm ipsa Dei Sapientia, id est, Unicus Filius, Consubstantialis Patri, & Coæternus, totum hominem suscipere dignatus est, & *VERBVM Caro factum est, & habitavit in nobis.* Ita enim demonstravit carnalibus, & non valentibus mente intueri veritatem, corporeisque sensibus deditis, quàm excelsum locum inter creaturas haberet Humana natura, per hoc quod hominibus in vero Homine apparuit: siquidem ipsa natura suscipienda erat, quæ liberanda. Miraculis conciliavit fidem Deo qui erat, passione Homini quem gerebat. post alia enarrat quomodo hic ipse Deus Homo, contrariam per omnia spiritui Carnis, atque mundi viam adinvenit, iniitque ipse, & nobis tradidit, tam in vivendo, sive agendo, quàm in patiendo, atque moriendo. Satellites inquit voluptatum divitias, perniciosè populi appetebant: Pauper esse voluit. Honoribus & imperiis inhiabant: Rex esse noluit. Carnales suos filios magnum bonum putabant: tale conjugium prolemque contempsit. Contumelias superbissimè horrebant: omne genus contumeliarũ sustinuit. Injurias intolerabiles esse arbitrabantur; quæ major injuria, quàm justũ, innocentemque damnari? Dolores corporis execrabantur: Flagellatus atque Cruciatus est. Mori metuebant: Morte mulctatus est. Ignominiosissimũ mortis genus Crucem putabant: Crucifixus est. Omnia, quæ habere cupientes non rectè vivebamus, carendo vilia fecit. Omnia, quæ vitare cupientes à studio deviabamus veritatis, perpetiendo dejecit. Non enim ullum peccatum committi potest, nisi dum appetuntur ea, quæ ille contempsit; aut fugiuntur ea, quæ ille sustinuit. Tota itaque vita ejus in terris per hominem, quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit.

August. Tomo 1. lib. de vera Relig. Cap. 16. Ioan. 1. 14.

Quam disciplinam nisi Homines à Christo Incarnato, Passo, Crucifixo, Mortuo redempti, in Christo renati, Christumque induti quàm plenissimè, quamq; tenacissimè tenuerint, impossibile est eos ad optatam

tam salutem, beatitudinemque pervenire. Si enim Christus Redemptor est sapientia? desipit quisquis cum eo non sapit. Si Christus est via? errat qui aliâ progreditur. Si Christus est veritas? ignorans est qui illi non credit. Si Christus est vita? periit quisquis ad eum non pervenit. Si Christus est lux? in tenebris est, qui cum eo non est. Si Christus est Iustitia? iniquus est, qui illum non tenet. Si Christus est Pastor? ad lupum pertinet, qui de ovibus ejus non est. Si Christus est Magister? de Schola diaboli est, qui non est discipulus ejus. Denique si Christus Caput est? non est de corpore ejus, qui non est membrum ejus, quod si non est membrum ejus, non etiam vegetatur de spiritu ejus. *Qui autem Spiritū Christi non habet, hic non est ejus. Hic Sapientia est, & hic est sensus, qui habet Sapientiam.*

MODVS XCIX.

NOnagesimus nonus meditandi Passionē Domini nostri Modus esse poterit; Comparando Passionem Christi, quatuor temporibus anni communis: nempe Veri, Æstati, Autumno, Hyemi. Non est enim insolens apud Sanctos Patres atque interpretes, totam Redemptionis nostræ seriem, atque adeò historiā contemplari in Cosmopœia: itemq; Incarnati VERBI mysterium opusque universum, agnoscere inumbratum conditione visibilis & naturalis mundi: ipsa quoque temporum in hoc universo discrimina, in salutis nostræ Authore, operibusque illius cognoscere. Particulam ergo hujusce contemplationis rudiusculè & pro captu nostro sectando, licebit meditando vestigare quatuor ista vulgaris Anni tempora, per similitudinem mysticam, tam in vita, quàm præcipuè specialiterque in Passione Domini.

Ac Primò nihil vetat Exordiis vitæ Christi Hyemem attribuere: cùm constet revera hyemē mundi, fuisse Natali Domini nostri in mundum destinatam, Christumque de facto hyemali tempore in mundum hunc nascendo prodiisse. Erat verò tunc simul hyems altera rigidior longè, atque immitior, quando nimirum toto terrarum orbe, universum humanum genus in rigidissimum Idololatriæ & Ignorantiæ Dei gelu concreverat, tota filiorum Adæ progenies, in sævissimam simul ac sterilissimam brumam, vitiosissimæ ac profligantissimæ universim vitæ abierat. Omnes declinaverant, omnes inutiles facti erant. Non erat qui faceret bonum, non erat usque ad unum. Ipsa quin etiam Iudæa gens, in qua sola notus utcunque Deus, & manifestatio legis ac judiciorum, voluntatumque ejus remanebat, vix exiguis, issque multùm

depravatis partibus, veræ pietatis ac religionis tenorem residuum habebat. Quàm pigrum frigus tenuerit illum ipsum Dei licèt populum, hinc satis constat, quia & appropinquantis Messiæ adventûs, à Prophetis sibi prænuntiatum tempus custodire neglexit, & jam venientem, atque adeò natum eundem, quem Orientalibus Magis, pænè digito in Bethleem ostendebant, ipsi tamen cognoscere, adire, venerari neglexerunt. Talis & illa hyems in Populo Iudaico fuit, quæ primos Martyrum flores, tanquam in medio frigore infidelitatis exortos, velut primas erumpentes Ecclesiæ gemmas, persequentibus cum Herode assecclis ejus, Animamque Nati Pueri Salvatoris ac sui Regis quærentibus, vecorde pruinâ decoxit. Ipsum verò Christum eadem crudelitatis velut hyemis asperitas, in exilium Ægyptiacum, mediâ nocte compulit. Postquam rediens Angelus, reditumque in terram Israel indicens, ait. *Vade in terram Israel: defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri.* quod fuit dicere. *Iam hyems transiit, imber abiit, & recessit.* Denique vita ad Annum trigesimum usque Domini abscondita, quid aliud nisi veluti hyemali frigore arctata, & occulta fuit?

Vitam Domini nostri ab anno trigesimo, tempori Verno assimilare libet. Tunc enim Dominus noster exiit tanquam qui seminat seminare semen suum: tunc exiit conducere operarios in vineam suam, tunc (inquam) cœpit circuire Vicos, Castella, Civitates, & prædicare illis Evangelium Regni cælestis, promulgare populis leger. vitæ, atque disciplinæ salutaris, & non solvere legem, sed adimplere. Tunc pertransiit ad pœnitentiam adhortando, ab inolitis vitiis dehortando, ad novitatem vitæ vocando, viam Dei in veritate, & mansvetudine docendo, & simul benefaciendo, sanando etiam omnes languores, omnesq; oppressos à diabolo, usque dum aliquanti flores apparerent in terra, usque dum regiones albescere jam inciperent ad messem, usque dum partim Apostolorum, partim discipulorum, partim cæterorum fidelium, aliquantulus exstaret numerus, obstrepente invidiâ: *Ecce mundus totus post eum abiit.*

Passionem Domini Nostri: Æstivum tempus cogitemus. In Passione enim sua Christus, Iustitiæ ac Misericordiæ Charitatisque suæ, ad summum usque intendit æstum, & in Auge planè solem suum evexit, super bonos & malos, super Iustos & Injustos. An non æstas fuit, omnique æstivo æstu major æstus ille, quo Dominus Desiderio desideravit Pascha manducare cum discipulis antequam pateretur? Non æstas erat, quando Dominus cùm dilexisset suos qui erant in mundo, usque

in finem dilexit eos? Non erat æstas & æstus, quando Dominus à mensa consurgens, vestimenta deposuit tanquam calore exundans, & aquâ in pelvim effusâ, lavit pedes discipulorum ad eos abjectus, & veluti ab humo humilive loco refrigerium captans? Non æstas erat in corde Boni Jesv, quando instituto Sacrificio atq; Sacramento mirabili, Corporis & Sanguinis, quidquid potuit, quidquid in omni substantia sua habuit, totum cogente charitate profudit pro dilectione? Non æstas, aut non æstus ardorque fuit, quando longissimum ideoque svavissimum illum Charitatis, sermonem? an ardorem? eructavit ipsa illa, quæ ex Deo est, Christi, seu potiùs, Christus Charitas? Fuitne illa æstas & æstus, quando ingressus hortum, montemque myrrhæ, messuit myrrham suam, avulsus à discipulis, & prolixiùs orans, stratus super terram; ut nimirum calefaceret eam, refrigesceret autem ab ea factus in agonia, factus quoque est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram? Æstusne ille fuit, quo percitus processit obviam hostibus, & Iudam proditorem amicitiâ & osculo dignatus, prostratosque hostes verbo suo, mox erexit, & ad sua vincula admisit? Pergat hunc in modum anima devota per totum Passionis Iesv tractum, & æstum æstatemque charitatis ejus in singulis passibus periodisque contempletur, admiretur, veneretur, bibat, eoque deebrietur. Inveniet enim per singula momenta Charitatem Iesv, æstuantiorem magis magisque fuisse, & de Iesv victo victoque suo impotentiùs triumphâsse, usque dum in vertice Calvario, supra trabem Crucis elevatum, & undique dilectionis notis spectandum, ejusdemque clavis Cruci affixum, toti cælo, totique terræ conspiciendum dedit, quosque, & quantos agere de Iesv amatore triumphos sibi licuisset, & exultabunda, atque gloriabunda non tantùm non verecundaretur, verum etiam superbiret, & trophæa statueret, spoliaque detraheret, ac dispertiret: dicens. *Hæc est præda charitatis David; accipite de benedictionibus ejus.* Pater quidem Æternus Animam, Ioannes Matrem, Latro Paradysum, Crucifixores Veniam, Centurio Fidem, Spectatores Pœnitentiam, Milites vestimenta, Mortui vitam, Arimathæus Corpus, Cælum Pacem, Mundus Restaurationem, Genus Humanum salutem, Captivi Patrum Spiritûs Libertatem, & simul Aternæ Beatitudinis Possessionem.

Vbicunque steterunt pedes Jesv, ubique Charitas ejus reliquit signa ardoris sui, æstûs sui, violentiæ atque victoriæ suæ. Vbicunque comparuit Amator Jesvs, ibi messuit Myrrham primam, ibi botros racemavit, ibi torcularia redundantia vino calcavit, ibi opobalsamum sudavit,

davit, ibi ascendit in Palmam & fructus ejus apprehendit, ibi Rex Pacificus, magnificatus est vehementer, & apparuit diademate coronatus, ut in die desponsationis & lætitiæ cordis sui, propter filias Hierusalem.

Unde sive cogites, aut contempleris Agoniam & sanguinei sudoris balneas, sive vincula & catenas & verbera, sive furiosas raptationes, sive alapas, colaphos, vulsiones, consputationes; percussiones, sive adjuramenta, falsa testimonia, contumelias, calumnias, opprobria, mendacia, insultationes; sive illusiones, sive Barabbas, sive calumnias, sive flagellationis araturas, sive spinarum aculeos, sive coronas & purpuras, & adorationes, & arundinea sceptra, sive universorum populorum plena ad Crucis mortem suffragia, atque nonnisi pernicie Christi explenda quieturaque odiorum studia, sive damnationis decreta, sive patibuli gestationem, sive fel & acetum, sive nuditatem & verecundiam, sive clavos & vulnera, & sanguinem & Crucem: sive cum iniquis deputationem, & inter eos mediantem principatum, sive postrema linguarum jacula, venenata, & blasphemales injurias cruentificis plagis sævitores, sive sitim atque derelictionem, sive hostium tanquam votis suis abundè potitorum pœnisque suis exsaturatorum victricem lætitiam, sive postremam omniū mortem atque sepulturam. Quidquid horum cogites nonnisi messem æstivam, æstuantis Charitate Jesv cogites: quā ille demessuit usque ad novissimam spicam, usq; ad minutissimum granum, ad unicum acinum, atque uvam. Donec omnia horreis divinis illata, & in officinis Redemptionis condita, & famelicâ sitibundâque charitatis ingluvie satiatâ atque saginatâ: ipsa demū, sciens quia consummata sunt omnia, & nihilominùs sitim suam testata, acetoque gustato solata, *Consummatum est*, proclamavit & denuntiavit.

Resurrectio Domini & quæ eam consecuta est multiplex apparitio, ac deinceps in cælos Ascensio, quin & Spiritûs Sancti ad Ecclesiam missio, sessio ad Patris dexteram, & quà mundi, quà specialiter Ecclesiæ ad finem mundi duratura gubernatio, deputetur Autumno ejusque similitudini comparetur. Omnia enim illa quæ Resurgens ex mortuis Dominus egit, & agit, & acturus est, non tantùm ad hujus sæculi finem, sed etiam toto illo futuro sæculo, quod nullum habebit finem, fructus sunt, & collectiones fructuum sunt, quos terra nostra sanguineis laboribus Christi nostri culta, arata, seminata, plantata, rigata, fœcundata, ad incrementum & maturitatem provecta, dedit, & dat, & dabit Agricolæ cælesti juxta illud. *Omnia poma, nova & vetera servavi tibi, Dilecte mi.* Omnia sunt vel fructus, vel merces, laborum, meritorumque

rumque Christi, omnia sunt vel opera, vel propagines operum Christi, *donec veniat* ille absque fine *finis: cùm tradiderit Christus Regnum Deo & Patri, cùm evacuaverit omnem principatum, & potestatem, & virtutem: quando & positos habebit inimicos suos sub pedibus suis: ut sit Deus omnia in omnibus.*

Potest autè hæc ipsa Passionis Dominicæ comparatio ac meditatio, aliter paulo instituì, secundùm eadem Anni tempora: ut Passio in Horto, sit veri similis: quæ apud Annam & Caipham, & totâ nocte gesta sunt, Æstatem referant; quæ apud Herodem & Pilatum, Autumni similia sint. Quæ demum in Cruce & Morte, Hyems quædam sint Passionis.

Ea quæ in Horto Passus est, ver quoddam erant. Præludia enim (estò acerbissima, & usque ad mortem, usque ad sangvinem) præludia tamen & initia tantùm dolorum fuerunt, omnia illa quibus Hortus Humanitatis Christi, cum suis arbusculis, atque floribus præambulè arabatur, colebatur, seminabatur, rigabatur, ligabatur, circumfodiebatur, transferebatur. Quæ ante horam illam latebant in sola præscientia Domini omnium quæ ventura erant super eum: concluſa tanquam in necdum aperta ad germinandum humo; tunc pullulare cœperunt omnia, tunc enim cœpit Dominus Jesvs pavere, tœdere, contristari, & mœstus esse, tunc pavor mortis irruit super Animam Iusti nostri: tunc Oratio, tunc Calix inebrians, tunc Agonia, tunc Sudor sanguineus, tunc perfidiæ oscula, tunc Captivitas & vincula venerunt super nostrum Samson. Tunc etiam ignita licèt, abdita tamen aliquomodo Charitas Christi effloreſcere, & veluti vernare manifestiùs, & efficaciùs incipiebat, atque primos suos fructus Cælesti Patri offerendo libabat.

Ea quæ Dominus Passus est in Annæ & Caiphæ domibus, Examina, Testimonia, Adjurationes, Judicia, Damnationes, Mortis decreta, Conspirationes, Consputationes, Velationes oculorum & faciei, Tunsiones, Vellicationes, Alapæ, Colaphi, Palmæ, omnesque injuriæ noctis, inter fæces satellitum rabidorum, totusque ille nocturnus æstus potestatis tenebrarum, & furoris bullientis, odiique fervor, omnium, at præcipuè Principum, & Sacerdotum. Quo ita æstuabant, atque in tantam agebantur præcipitabanturque festinationem, condemnandi quàm primum, atque ex vivis tollendi Christum, ut neque cœnandi, neque quiescendi sibimet spatium darent, sed eâdem unâque noctis parte, traditus, captus, adductus, accusatus, examinatus, judicatus, condemna-

damnatus; & ninimirum tormentis (juxta illud, *contumeliis & tormento interrogemus eum*) quæstionibusque subjectus, illudendus, & affligendus totam per residuam noctem relictus est. Summo deinde mane coacto iterum Concilio, iterum ab universo damnatus, raptim Pilato Præsidi oblatus, traditus, summariò accusatus, calumniis obrutus, odijs fatigatus, ad mortem Crucis omni iniquitatis conatu & studio postulatus, demumque adductus est. Revera Domine Jesv *æstuaverunt homines* illi *impii, æstu magno & blasphemaverunt nomen tuum: neque egerunt pœnitentiam, ut darent tibi gloriam.* Sed & tu Domine Jesv toto cordis tui desiderio æstuabas in patiendum, pro nostra salute, proque Patris tui Obedientia & Amore: ita ut ad ardores æstusq; tuos odia inimicorum tuorum, tarda, & torpentia frigidaque prorsus essent, ut pœnè assiduò malitiæ hostili, repetieris illud tuum. *Quod facis, fac citius.* *Sa. 19.* *Apoc. 16. 9.* *Ioan. 13. 27.*

Ea quæ exinde apud Pilatum, apudque Herodem, & rursùs apud Pilatum, in ejusque Prætorio perpessus est Dominus, quendam Autumnũ videntur referre. Ex tunc enim cunctantiùs & quasi maturiùs acta videntur omnia. Expendit Præses Pilatus objecta, invenit, & testatus est nulla, ac soli tantummodo invidiæ & odio servientia: reddidit testimonium innocentiæ, recusavit cognitionem iniquæ causæ, demum remisit ad forum dominumque suum, Galilæum Civem, ad Galilæum Regem. Ubi ita auditæ accusationes in Christum, ut tamen durius nihil statueretur in ejus sangvinem, & supplicium. Deinde gradatim supplicia processêre, Barabbæ primùm compositus, ac postpositus est, postea correptus flagellis, quasi pœnè dimittendus: tum actorea pars ad mitiorem partem trahi visa, vitam & sangvinẽ ne peteret. Nihil omissum cunctationis ab Iudice, quo minùs ad sententiam feralem accederet. Nihil non maturè, sedatè, absque æstu, & rabie, denique lotis manibus ad ultimum decretum accessum est. Et inter hæc bonus quoq; Jesvs, tanquam vitis fructifera, & botris onusta vinoque redundans apparuit, vindemiam fecit, torcular calcavit solus, mustum sangvinis per flagella, & verbera expressit. Spinis etiam confixus & punctus, tanquam ad uberiorem, dulcioremque gustui fructum & saporem, & medicinam. Postremò per omnia perfectus vir & Rex dolorum apparuit purpuratus, & coronatus, dolore, & ignominiâ, donec ad desideratissimum regni thronum duceretur.

Hyems Passionis Domini Nostri fuit, gestorum & toleratorum circa crucem, & in cruce, usque ad mortem series: tanquam in hyeme delapsa excussaque sunt ex Arbore Christo, ipsa etiam folia, etiam vesti-

limenta. Ipsi quoque noti & amici recesserunt, & foras fugerunt: consolator quæsitus, nec inventus. Pater ipse Æternus inter derelictores esse voluit, deseruitque Filium uteri sui. Obscuratus est Sol. Luna non dedit lumen suũ, Angeli pacis amarè flebant; terra mota, petræ scissæ, monumenta aperta, Sancta Sanctorum scisso velo patuerunt. Ad extremum horror hyemis, & gelu mortis invasit Dominum, inclinato Capite tradere coëgit Spiritum, & rigentem gelidumque inclusit sepulchro, & insuper obruit grandi lapide advoluto. Et quænã hyems rigidior hyeme mortis, hyeme sepulchri?

O utinam in nobis Christianis efflorescant tandem tandem flores bonarum mentium, atque voluntatum, Sanctorum, & Deo placitorũ desideriorum.

Utinam æstuemus verâ & germanâ in Deum ejusque voluntatem, & gloriam, charitate; ut Christo in carne Passo, & nos eãdem cogitatione armati, indicamus implacabile bellum Carni, & Sangvini, Mundo & pompis ejus, diabolo & desideriis ejus.

Utinam Crucem Domini amplectamur, & portemus post JESVM, unicam gloriam reputantes, configi Cruci ejus, & stigmata ejus in corpore & anima portare.

Utinam denique moriatur in nobis omne quod inimicum est Deo, ejusque repugnans voluntati. Et fiat *vita nostra abscondita cum Christo in Deo, ut cùm ille apparuerit vita nostra, tunc & nos appareamus cum ipso in Gloria.*

MODVS C.

CEntesimus meditandi Passionem Domini nostri Modus esse potest: recogitando quomodo Dominus noster in sua Passione atque Morte, tam per Malitiam odiumque Inimicorum suorum; quàm per Charitatem suam erga Patris Æterni honorem, & erga nostram salutem, annihilatus, exinanitus, mortuusque est totus. Libet hoc declarare aliquatenus in gratiam pii meditatoris.

Quod ergo attinet ad Inimicorum Christi erga ipsum Malitiã atque Odium: Manifestum est consideranti studia eorum, hanc fuisse primariam & plenariam ejus proprietatẽ efficere, ut Christus neque Deus, neque Homo, neque quidquam aliud esset, sed ut nullo modo in rerũ natura exstaret; ut annihilaretur, seu ut in nihilum omnino redigeretur. Quod & effecerunt omnino facto ipso, quantum quidem in ipsis erat.

Ad quod

Ad quod plenius considerandum, videamus studia, & proposita voluntates eorum, odiis omnibus inflammatissimæ. quæ quidem ipse Dominus noster apud Ieremiam sibi ostensa & cognita fuisse testatur, dum ait ad Patrem suum Æternum. *Tu Domine demonstrasti mihi & cognovi: tunc ostendisti mihi studia eorum.* Quæ verò fuerint illa studia, quæque proposita, & quo demum exitu terminanda, effectuque satanda ex ipsorum voto, mox in consequentibus denuntiat, & prædicit, per eundem Prophetam subdens. *Et ego quasi Agnus mansuetus, qui portatur ad victimam: & non cognovi, quia cogitaverunt super me consilia, dicentes. Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium: & nomen ejus non memoretur amplius.* In quibus verbis, manifestè, & expressè, Inimici Dei, & Salvatoris nostri, exprimunt virulentiam studiorum suorum ad nocendum, esse & fuisse tantam, ut contenti non essent quantàcunque Domini afflictione, sed eam talem esse optarent, quæ inprimis esset ignominiæ pariter & cruciatûs plenissima. Crucis nimirum, quam expressérunt illâ phrasi. *Mittamus lignum in panem ejus.* quasi dicerent, affigamus eum Cruci, suspendamusque in ligno corpus ejus, quod panem vocant, velut præsagientes (quanquam non ex suo spiritu maligno, sed ex Divino oraculo) Corpus Domini Jesv, futurum *panem missum, & datum, à Patre de cælo, verum, qui dat vitã mundo*: nisi velimus dicere, Corpus Domini nostri, vel ipsummet Dominum nostrum Panem ab eis dici, quòd ejus excarnificatione, atque cruciamentis, præsertim in ligno Crucis, essent odia sua, & furores, ita exsaturaturi, quomodo famelici, & fame rabidi lupi, aut canes, aut quicunque alii exsaturantur cibo, vel pane, quomodo alicubi Dominus dicit de suis iisdem persecutionibus. *Satiati sunt pœnis meis.* ac si pœnæ suæ, panis eorum fuerint, quibus usque ad ingluviẽ, & obesitatem saginati, & farti fuerint. Pergunt autem impii furorem pectorum ac studiorum suorum contra Christum explicatiùs enarrare cùm dicunt. *Et eradamus eum de terra viventium*: quasi dicant. Parùm est nobis, Crucifigi à nobis Christum: ampliùs desiderant odia nostra: non quietura, neque sopienda, nisi penitus eraserimus eum de terra communi: ut vestigium ejus supersit inter homines nullum, nulla fibra radicis ejus, nulla vel umbra illius. Ipsa quin & memoria nominis ejus, ex hominum mentibus tollatur & aboleatur, ut nomen ejus non memoretur ampliùs, sed fiat, quasi nunquam eum, aut natura rerum, aut oculus hominis vidisset exsistentem.

Simillima hostiũ Christi in Christũ studia, sive potiùs odia, ipsimet

hostes

hostes deprædicant apud Salomonem, cùm dicunt. *Circum veniamus justum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Promittit se scientiam Dei habere, & Filium Dei se nominat. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum. Gravis est nobis etiam ad videndum: quoniam dissimilis est aliis vita ejus, & immutatæ sunt viæ ejus. Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, & abstinet se à viis nostris, tanquam ab immunditiis, & præfert novissima justorum, & gloriatur Patrem se habere Deum. Videamus ergo si sermones illius veri sint, & tentemus quæ ventura sunt illi, & sciemus quæ erunt novissima illius. Si enim est verus Filius Dei, suscipiet illum, & liberabit eum de manibus contrariorum. Contumeliâ & tormento interrogemus eum, ut sciamus reverentiã ejus, & probemus patientiam illius. Morte turpissimâ condemnemus eum: erit enim ei respectus ex sermonibus illius. Hæc cogitaverunt* impii: & hæc postmodum tam opere, quàm sermone præstiterunt, adeò pænè ad ungvem, ut dici posset ex Evangeliis hæc assumpsisse, quæ ante Evangelistas omnes tantò ante prolocuti sunt.

Hanc eandem plùs quàm furiosam exitialemque inimicorum Christi enormitatem, ejusque usque ad exterminium affligendi cupiditatẽ, Beatus Iob expressit. cùm inter alia in Christi Persona de ejusdem doloribus prolocutus est. *Oppressit me dolor meus, & in nihilum redacti sunt artus mei.* Cujus verbis consonat etiam apud Davidem in persona sua Dominus. *Et ego* (inquiens) *ad nihilum redactus sum, & nescivi.*

Quomodo autem hæc in Scripturis Sacris de hostili in Christum odio prænuntiata, effectu ipso ab hostibus comprobata, inque actum deducta sint, ex Evangelica, narratione videamus.

Universaliter ergo in primis loquendo. Impii & Inimici Domini, quidquid in Domino fuit, totum destruxerunt. quod verò destruere non potuerunt, negaverunt: atque sic nihilominus quantum in ipsis fuit, totum Dominum destruxerunt, corruperunt, in nihilum redegerunt.

Nasciturum in mundum Dominum nemo suorum recepit, sed eum ad stabulum, atque ad bestias rejecerunt; unde & Mater sua coacta est reclinare eum in præsepio; quia non erat ei locus in diversorio.

Natum in mundum: subitò ad necem quæsiverunt atque destinârunt: quam ne evaderet nulli infantium coætaneorum pepercerunt, sed ut ipse inter illos unus perditorum occisorumque esset, inauditam post homines natos, parvulorum lanienam perfecerunt.

Ergo

Ergo in Exilio Ægyptiaco profugus, occultus, omnium egens, & inops servatus, succrevitq; donec mortui sunt omnes ii, qui quærebant animam ejus.

Reversum ab Exilio, latere ignotum, abjectum, pauperem, fabrilia opera peragentem, obsequia domestica omnia MARIÆ Matri, & Iosepho Patri impendentem; planèque occultum ad annum usque trigesimum ætatis permanere opus fuit, ut postmodum Filius fabri, & faber, & Filius Ioseph, ac MARIÆ per contemptum diceretur.

Prodiit tandem in publicũ, ut putabatur filius Ioseph: & rem communem, id est, salutem totius mundi agere cœpit: sed simul etiam eodem opere ac tempore, odiorum & persecutionum ostium ei apertum est, & adversarii multi.

Ante omnia negaverunt eum Deum esse: sed neque Dei Filium esse audire potuerunt, multòque minùs credere. Quin etiam illum neque Hominem Dei, seu Hominem à Deo esse, putarive passi sunt. Itaque quod in ipsis erat, Divinitate eum spoliaverunt, atque si Patrem suum Deum, ac se Filium Dei appellâsset, blasphemiæ, mendacii, impietatis, mortis denique reum judicaverunt, proclamaverunt, lapidibus obruere tentaverunt, demumque Crucis tandem supplicio necaverunt. Neque hic stetit iniquitas eorum: sed negantes Christum Deum, negaverunt & Incarnatum, seu VERBVM Carnem factum: quâ quidem injuriâ nihil Deo ingratius, nihil Christo injuriosius, nihil Humani generis saluti nocentius, nihil toti universo damnosius, quantum in ipsis erat, fieri potuit.

Quid enim Homine Deo, atque VERBO Carnem induto, vel Magnificentius Deitati, ejusque gloriæ atque Charitati, vel honorificentius Christo, vel salubrius generi humano, vel toti universo visibili invisibilique ornatius & pretiosius? Tolle de natura rerum Deum Hominem: sustulisti Divinæ Charitatis medullam: sustulisti læsæ Majestatis Dignitatisque Divinæ unicam medicinam, sustulisti totius generis humani salutem, sustulisti universi omne unicumque Bonum. Hoc fecit hostium Christi furor, quando in Christi Deitatem debacchatus est. *De bono* (inquit) *opere non lapidamus te, sed de blasphemia; & quia tu homo cùm sis, facis te ipsum Deum.* Et rursum. *Nos* (aiunt) *legem habemus, & secundùm legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.*

Orbârunt ergo impii & inimici Dei nostri, Deum nostrum, per impietatem suam, & Divinitatis naturali Majestate, & Incarnationis dignantissimâ charitate. Videamus an saltem eum esse per illorum

furiosissima odia licuerit integrum in Innocenti Humanitate.

Ac inprimis attendamus, an, & quam ei honestatem, civilem saltem, reliquerint? & reperiemus, nullum (ut aiunt) pilum boni, honestique hominis, ac Civis residuum fecisse. Siquidem cum Peccatorem Samaritanum, dæmoniacum, furiosum, insanum, mendacem, Pseudoprophetam, Sacrilegum, legum violatorem, Impium, Ambitiosum, Regni avidum, Seditiosum, Rebellem, Seductorem, Maledicum, & Maledictum, Execrandum, Potatorem, Voracem, Latronum Principem, & homicidis latronibusque deteriorem, vitâ indignum, Mortis reum, Blasphemum, Furciferum, neque commiseratione, neque aspectu, neque appellatione, neque unius saltem diei vitâ dignum reddiderunt. Hanc illi honestatem Christo induerunt, talem illum Civem suffragiis sujs fecerunt.

At enim fortasse doctrinam ejus cælestem sapientiamque Divinam, & viam veritatis docentem promptis, paratis, obsequentibusque animis receperunt? Constat namque quia Dominus Jesvs, populo illi scelerato, & semini nequam, præcepta vitæ, salutisque æternæ proponebat, ut pœnitentiam agerent, quoniam appropinquâsset Regnum Dei: ut ejus mandata servarent, quatenus ad vitam æternam ingredi possent, ut Deum ex toto corde, & super omnia; proximos verò sicut semetipsos diligerent; ut non irascerentur omnino, ne inimicis quidem, sed ut amarent inimicos suos, benefacerent malefactoribus, benedicerent maledicentibus, orarent pro persequentibus, ut tollerent legis suæ super se jugum svave, & onus leve. Hæc, similiaque ille Doctor Iustitiæ, de cælo datus, atque promissus populum suum edocebat. Porro Homines illi, planè ac si non hæc, sed his contraria præciperet, ita prorsus his omnia contraria egerunt, atq; in ipsummet Doctorem Iustitiæ exercuerunt. Non tantùm non egerunt pœnitentiam de peccatis, sed potiùs dilexerunt peccata sua, dilexerunt magis tenebras quàm lucem; & Christum, licèt non solùm proximum, sed etiam Benefactorem suorum tam corporum, quàm animarum, odio habuerunt gratis, benefacienti & voluerunt, & fecerunt pessimè, doctrinæ contradixerunt plùs quàm pervicaciter, maledixerunt benedicenti, insidiati sunt innocenti, optima quæque monenti, svadenti, docenti, volenti, pessima quæque, probra, odia, persecutiones, insidias, præcipitia, lapidationes, contumelias, vincula, verba, vulnera, omnia denique vitæ pericula, usque ad mortem turpissimam objecerunt.

Iam verò viventem illum numquid non sic exagitaverunt, tractaverunt,

runt, ut tamen eum salvâ vitâ, hominem esse non permiserint. Minimum est, quòd vultum ejus præ filiis hominum speciosum, decorum, & amabilem, velaverunt, conspuerunt, conspurcârunt, contuderunt insuper pugnis, alapis deformârunt, unguibus laceraverunt, genas vulserunt, labia labraque ruperunt, fauces & dentes concusserunt, formâ spoliaverunt, & exterioris speciei pellisque nihil reliquerunt. Itaque quasi absconditus vultus ejus erat: viderunt eum Prophetæ, & Amantes Animæ, sed non erat ei aspectus, desideraverunt eum, sed quasi leprosum, & ne quidem reputaverunt eum. Unde & ipse Pilatus sic deformem informemque videns, scelestæ illi multitudini produxit eum foras, dicens. Ecce Homo: quod erat dicere. Ecce jam nihil in eo est, unde dici, unde reputari possit, debeatue Homo. Nimirum caput ejus depilatum, lacerum, concussum, tumens & livens, spinis infixis circumquaque horridum, sanguinis proprii tabo cerebroque stillante infectum. Os lacerum, distortum, & inæquale, genæ tumentes, lividæque, oculi succussi, & suffusi, nares ruptæ & cruentæ, à percussionibus. Mentum lacerum, collum fractum, omnino per omnia nihil habens humanum.

Sed reliquum quoque Corpus Domini minimè humaniùs habitū: totum à planta pedis usque ad verticem, sanitate & integritate, imò & pelle atque adeò carne quoque destitutum, quia despoliatum, quia lacerum, lividum, cruentum, uulneré super vulnus concisum, usque ad ossa carne revulsâ nudatum, sanguinis rivi & glomi undique per terram fusi, pedibus conculcati, & canibus ad lingendum derelicti, partes carnis revulsæ, & hac illac per aërem, per circumstantes, per parietes, per pavimentum sparsæ. denique quasi hactenus honorificè sanguinem ejus tractâssent, omnium quo potetant loco detestatissimo eum perspersérunt vociferantes: Sangvis ejus super nos, & super filios nostros. O portentum odii? non humani, sed neque diabolici, at Iudaici, at populi Christo inimici.

Quid quòd venæ, arteriæ, musculique Corporis distracti, atque laceri, & soluti? Ossa omnia dinumerata, lingua, palatum, fauces, guttur, viscera, fame primum sitique, deinde felle & aceto pasta & potata sunt. Manus, pedes, caput, latus, cor, sauciatum, compunctum, transfixum?

Affixum Cruci, & necdum erectum, tantâ petulantiâ, in os vultumque miserabilem partim conspuerunt, partim calcibus percusserunt, ut prope enecaverint. Sublatum verò in Crucis trabe, medium

latronum, & iniquorum, tanquam latronum in quissimum & caput statuerunt, averiumque à Civitate, ne ejus oculis, & aspectu, Civitas scilicet macularetur.

Pendenti jam in Cruce improperârunt, insultârunt, exprobrârunt, blasphemaverunt, omnibusque linguæ, & oris maledicentiis, dicacitatibus, sçommatis, sarcasmis flagellaverunt, confixerunt, suos quidē animos jucundâ voluptate, Animam verò illius amarissimo dolore, saturaverunt: sceluscque suum, omni scelere sceleratius, sicut Sodoma prædicaverunt, in eoque coram oculis ejus ad invicem tripudiantes, & exultantes triumphaverunt.

Et hactenus eum vivere vitam licèt omne morte amariorem permiserunt, sed tandem, tandem, etiam in ejus vitam grassati sunt, eumque ad mortem adactum vitâ spoliatum, Animâ de corpore proturbatâ, non hominem ex homine, non Deum-Hominem, ex Deo-Homine, non exsistentem ex existente, nihil & non ens ex ente fecerunt.

Atque huc cursus, huc usque conatus, huc usque furor odiorum & invidentiæ hostium Christi nostri fuit *Maledictus furor eorum, quia pertinax; & indignatio eorum, quia dura; quia in furore suo occiderunt virum, & fecerunt in eo, quæcunque voluerunt, prolongaverunt, atque ad nihilum usque terminaverunt iniquitatem suam.* Bene, atque justè Sanctus Patriarcha maledixit ac detestatus est, furorem odiumque Filiorum & posterorum suorum, benè & justè, nos quoque detestamur eundem tanta cum rabie, rabidaque obstinatione exercitum. At quid nobis faciemus ipsi nos. Nos inquam Christiani, nos peccantes & peccatores, nos bibentes quasi aquam iniquitatem. Non exundare facientes omnem impietatem absque ullo termino: nos iterum iterumque, & milies millieſque iterum Christum crucifigentes in nobismetipsis, & eum ostentui atque contemptui habentes. Nos qui sanguine Christi, vel potiùs Sanguinis Christi pretio, animabus scilicet nostris, profunda inferni replemus: Nos quibus risus jocusque est, salutem à Christo nobis quæsitam, contemnere, negligere, perdere, atque diabolo propinare, offerre, obtrudere. Nos denique qui diabolum Christo præferimus, & cum diabolo, à diabolo infernalem æternamque damnationem, præeligimus, atque præponimus à Christo nobis partæ, acquisitæque æternæ saluti? Quid inquam faciemus nobis ipsi nos, aut quid maledictionis obventurum putamus nobis, qui tantam negligimus salutem? Non enim comparatio est malitiæ Iudaicæ in Christum, cum nostra in eundem ingratitudine, petulantia, & peccandi enormitate:

in im-

in immensum major est, magis injuriosa est, magis ingrata est, majore supplicio digna est Christiana quam Judaica in Christum malitia. Judaicum enim furorem, & furoris totum scelus, admisit Christus, & suâ charitate in obsequium suum, & in exsequendû salutis nostræ totiùsq; generis humani consilium adhibuit, adeò ut impiorum illorum manus, quando suo incumbebant sceleri, tunc simul famulabantur Redemptori. At verò Christianorû scelera, ad nihil proficiunt, serviuntve Christo: nisi ut cum peccatis peccatoribusque Christianis, devoluatur in tartara simul quoque Divinus sangvis à Christo profusus. An verò indignius sit Christum à Judæis ad breve tempus exosum, contemptum, crucifixum, occisum esse; an eundem, Salvatorem creditum, & agnitum à Christianis, cum animabus suismet, in æternam perditionem scelere voluntario devolutum esse: judicent cæli, terræ, & ipsi inferi. Vidimus quantum Malitiositati odiisque hostium in Christum licuit, qualiterque eorum acerbitate & insatiabili furore ad usque nihilum deductus sit; Iam supereſt ut videamus quid itidem in eo fecit Charitas erga Æternum Patrem, & erga nos propter Patrem.

Atque inprimis dico, quòd nihil prævaluissent ulla inimicorum Christi in Christum odia, nisi ea prior Charitas Christi acceptâsset, & admisisset, suoque consilio, & suo excessui, instrumenta esse, ministrareque fecisset. In quem sensum Dominus Jesvs Pilato potestatem vitæ & necis ejus apud se proponenti, respondit. *Non haberes potestatem adversùm me ullam; nisi tibi datum esset desuper,* à mea scilicet propria in Patrem, & in Homines propter Patrem Charitate. *Ioan. 19. 11.*

Hæc Charitas Christi, vocatur ab Evangelista Excessus, seu Excessiva; ab Apostolo Paulo, nimia; à Davide, Copiosa. à Salomone Fortis ut Mors fortiorque Morte, & dura sicut Infernus: à Ioanne in finem usque & finem non habens, ac demum ipsemet Deus: à Christo denique ipso Major omni, & quâ majorem habet nemo.

Hæc Charitas ita in Christo viguit, abundavit, excessit, ita ei dominata est, ita despoticè eum tractavit, subjectumq; habuit, ita de eo impotenter triumphavit, ut aut esse Charitatem, aut Christum esse Deum Hominem ignorâsse, vel oblita esse, vel contemptui habuisse videri, atque ex gestis suis argui possit. Subjugavit ita sibi totum, quantus-quantus erat, Christum, ut in Christo nihil reliquerit Christi, sed totum impendit sibi, hoc est suæ voluutati, potestati, violentiæ, excessui, nimietati.

Explicent hoc primû Apostolica verba, deinde ipsius Christi, ejusq;

Philip. 2. 6. Charitatis opera. Verba sunt Apostoli. *Christus, cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed exinanivit semetipsum formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo: factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.* Non egent dicta Apostoli commentario & explicatione, omnes elucidationes habet, explet, & excedit, dictum illud. *Exinanivit.* Atqui hoc videamus in Dei nostri ejusque charitatis operibus.

I. Incarnatio ejus. Exinanitio fuit. Nam quid tam exinanitum, quàm VERBVM Caro factum, Creator in creaturam formatus.

2. Nasci in stabulo, eò quòd non esset ei locus in diversorio: Exinanitio fuit. & talis quidem, ut beneficentiâ brutorum in præsepio utendo eguerit.

3. Circumcidi octavo die. Exinanitio fuit. hoc enim facto stigmate peccatoris signatus est: quod ipsum signaculum subiit quando baptismo pœnitentiæ ab Ioanne ablutus est.

4. Triginta ipsis annis in subjectione & obedientia Parentum occultus, ignotus, abjectus, contemptus vixit, etiam hoc Exinanitio fuit.

5. Quadraginta diebus jejunâsse & postea esuriisse, cum bestiis in deserto vixisse, à diabolo tentatum triplici assultu, insuper à diabolo portatum de loco in locum, inter tam propudiosas & exosas manus, nec non ad suî adorationem invitatum. Numquid non etiam hæc Exinanitio fuit?

6. At enim prædicatione Evangelii, miraculisque omnis generis, beneficiis in populos infinitis, Innocentiâ vitæ, sinè ulla omnino culpa, Admirandâ sapientiâ, stupendâ, in morbos, in mortem, in dæmones, in ventos, in marinos fluctus, & tempestates, potestate inclaruit, glorioſus visus, magnificatusque est: nimirum nusquam magis (ante Passionem) exinanitus est. Hîc ille namque per supra dicta omnia nomen acquisivit stulti, dæmonium habentis, in furorem versi, insani, peccatoris, & peccatorum meretricumque amici, Samaritani, blasphemi, seducentis turbas falsarii, & falsi Prophetæ, divinitatem arrogantis & ementientis. Hîc ille amisit Sapientiam, Veritatem, Iustitiam, Innocentiam, Pietatem, Religionem, Charitatem, Scientiam, Honestatem, denique omne boni Hominis nomen, omnemque speciem prodegit, ita præcipiente charitate.

Omittamus quòd cùm dives esset, propter nos egenus factus est: & ita quidem egenus & mendicus, ut alienâ miseratione sustentaretur, quâ ipsâ non rarò deficiente, se, suosque nonnisi fame & inediâ sustentaret,

faret, eò demum egestatis sese redegit, atque à Charitate redactus est, ut ejus respectu, atque comparatione, vulpeculæ & aviculæ suarum fovearum, suorumque nidulorum possessione eum excederent: denique neque palmum terræ, ubi pedem poneret, neque locum in quo caput reclinare posset haberet: unde & pendulo in Cruce capite mortuus est, & alieno in linteo involutus, alieno in sepulchro conditus est. Ad hanc nimirum eum omnium rerum egestatē nuditatemq; Charitas adegit.

Iam verò Ingressus ille in Ierusalem super asinam & pullum ejus: ablutio quoque pedum discipulis suis facta à Domino: quid fuit nisi triumphus Charitatis de Christo, ejusque non tantùm gloria, verùm & humilitate. Ascensorem Cæli, curru gloriæ solitum vehi super Cherubim, super asellum locare, & triumphanter in urbem Regiam ingredi facere: numquid non ludus Charitatis est? porrò ad usq; Iudæ etiam proditoris pedes lavandos, extergendos, osculandos, amplexandosque Deum-Hominem abjicere: hic major excessus exinanitionis est, quàm à diaboli manibus gestatum nuper fuisse. Nam manus etsi diaboli erant, innoxiæ tamen à Christi Sangvine erant, & gestando Dominum nulla eum injuria lædebant; at verò pedes Iudæ, pedes proditoris, pedes sangvinarii, pedes circa mercaturam vitæ Domini sui inquinati: manibus Christi contrectati, abluti, extersi, amplexu & osculo dignati sunt! O Charitas Christi! itane tibi viluit tuus Christus, ut eum subjectum & servum habere Judas proditor fuerit te Judice dignus.

Sed ecce Eucharisticâ in Sacramento atque Sacrificio dignatione, ecquæ major, monstrosior, prodigalior, exinanitivior exinanitio? Si fidei credimus: imò quia credimus: ibi Christus immolatur & sacrificatur totus, quid est autem sacrificari, nisi oblationis actione, ita annihilatoriè quodammodo immutari, ut res oblata suo modo esse desinat, in honorem & recognitionem supremi super omnia dominii ejus, cui fit oblatio, & cui offertur sacrificium? Rursum quid est Eucharisticum Convivium, nisi Christi in Eucharistia realiter contenti atque præsentis, in cibum potumque Animæ sub speciebus Panis & Vini realis sumptio. Cujusmodi actio naturaliter annihilativa est, seu sumpti in sumentem conversio: estò hic oppositò modo, sumens potiùs in id quod sumptum est, Homo scilicet in Christum consumatur & convertatur. Ad quantas porrò ad quàm varias, infinitas, incogitabiles, incogitabiliterque indignas indignitates Charitas sua Christum suum adegit, tam in hoc Sacrificio, quàm in Sacramento, ad hoc certè neq; elocutio, neque cogitatio humana sufficit, & tamen illa ad usque finē

mundi

mundi duratura est, cùm dignatio peractæ in Cruce immolationis, solummodò per tres horas duraverit: hîc verò in sacrificio Missæ atque Sacramentali Convivio, sæpe sæpius Dominus noster tantas indignitates subire necesse habeat: quarum una aliqua omnibus super Crucem oblationibus, etsi innumeræ forent, esset indignior immaniorque. Una enim Sacrilega Christi, vel in Sacrificio oblatio, vel in Sacramento sumptio, omnem in Cruce oblationem per se loquendo, indignitate, & injuriositate supergreditur. Et tamen ad hasce sacrilegales indignitates Christum Charitas sua adegit, usque ad consummationem sæculi. O Charitas quàm violenta, quàm imperiosa, quàm excessiva, quàm nimia, quàm exinanitiva es?

Quid verò de Charitate Christi deque ejus in Christum imperiositate dominatuque plùs quàm violento & excessivo in universa ejus Passione, usque ad Crucifixionem, & in Cruce mortem, dicam, vel afferam? Infinitum esse oporteret in exponendo, sicut infinita voluit esse Charitas in Dominando, & in Domino Jesv ad omnem suum nutum, omneque arbitrium versando? Multa sunt hactenus dicta in superioribus modis, & tractationibus, quæ huc valde faciunt, sufficiat nunc à me dici duo hæc, aut tria.

Primùm est. Christi Passionem non tantùm omnibus doloribus hominum hujus vitæ majorem & graviorem fuisse, verùm etiam gravem fuisse sicut dolorem inferni, & quidem cum quodam insuper excessu; unum horum indubitatum est apud Sacros authores, & Divina Scriptura significat, partim cùm per Job Dominus de se loquitur. *Vtinam appendantur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior, in statera; quasi arena maris, hæc gravior appareret.* Excessit nimirum immensitas dolorum Christi in Passione, & Cruce, omnem enormitatem gravitatemque peccatorum nostrorũ, à Christo in sese susceptorum: partim cùm per Jeremiam ita nos obtestatur dicens. *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus;* In altero quod dixi, non hoc dico quasi sentiam & affirmem Christum Dominum inferni pœnas in sua Passione sustinuisse, scio, & profiteor erroneè hoc, & blasphemè dictũ, ab aliquibus. Sed dico in Passione Domini nostri reperiri quasdã conditiones, quæ vel habent quandã cum pœnis inferni similitudinẽ, vel etiã habent aliquem super inferni pœnas excessũ, in eoque Immensã Charitatis Christi nimietatem eluxisse. Quod explico hunc in modum.

1. Communi sensu, graviùs, & intolerabiliùs, indigniùsque est Innocen-

nocentem pati, ea, quæ nocentibus sunt debita: at Christus non tantùm fuit Innocens, sed Innocentia ipsa, noxæ omnis propriæ incapax: qui tamen non solùm passus est, ea quæ nocentibus scelestisque essent patienda, sed etiam passus est de facto ea omnia, quæ erant scelestis (nempe nobis) patienda, & passus est tanquam scelestus esset ipse, tanquam omnium scelestorum (non tamen sceleratum) Caput: passus est pro omnibus scelestis, passus denique est ne scelesti pati deberent. At verò in inferno nemo patitur Innocens, sed omnes noxii & impii: gravior itaque & indignior ex hoc capite fuit Passio Christi, quàm damnatorum in Inferno.

2. Christus etsi descendit ad inferos, ibi tamen nihil passus est: imò agnitus, honoratus, cultus, & adoratus est. At in vitæ suæ extremo, passus est quasi pœnam damni & pœnam sensûs. Et pœnam quidem quasi damni: quia passus est derelictionem à Deo Patre, non quod à Deitatis hypostatico consortio, & à Beatifica gloria vivens exclusus sit, (absit hoc cogitare) sed quia à cura & protectione in malis pœnisque suis desolatus & derelictus fuit; & quia humanitate ejus dissolutâ, fuit etiam dissoluta unio Verbi, non cum Anima, neque cum corpore, sed cum ipso composito Homine-Deo: in quo etiam pro tunc cessavit Beatifica visio. Non existens enim videre Deum non potuit, estò secundùm Animam suam Deum semper intuitivè & beatificè vidit. Passus est quoque pœnam sensûs tam in Anima, quàm in corpore, & omnibus horum potentiis & partibus. Passus quoque est Dominus pœnam blasphemiarum & execrationum Dei, non quas ipse Corde vel ore suo protulerit, sed quas partim protulisse, per calumniam dictus, atque ob eas morti addictus est, partim quas in eum impiissimi hostes, impietate plenis faucibus eructârunt.

3. Passus est Dominus noster pœnas omnium singulorumque peccatorum, etiam remissorum, remittendorumque; at damnati non patiuntur pro talibus, sed solùm pro non deletis finali pœnitentiâ.

4. Passus est Christus pœnas peccatorum omnium, non tantùm ad rigorem Iustitiæ, verùm etiam ultra condignum: damnati verò nonnisi infra condignum puniuntur. Et estò damnati patiantur pœnas æternas quantùm ad durationem earum, nunquam finem habituram: Christus tamen passus est non quidem æternas, tantas tamen quæ æternis abolendis non tantùm pares, sed majores fuerint; unde per efficaciam meritorum passionumque Christi, æternæ pœnæ, pœnitentibus nobis condonantur: deinde etiam passus est quasi æternas,

quantum scilicet ad effectum atq; fructum æternaturũ, nullis inquam applicationibus (estò mille millia mundorum seu humani generis populorum essent) exhauriendum, quod sinè dubio arguit immensitatem quandam passionum Christi, quæ in pœnis damnatorum, neque est, neque esse potest. In hoc ergo sensu & ex hoc capite existimo passiones Christi suo modo, & sano intellectu fuisse quasi infernales, & infernalibus majores. Idque propter nimiam charitatem ejus, qui cum dilexisset nos, usque in finem dilexit nos.

Alterum quod de nimio, excessivo, exinanitivoque, Charitatis Christi, in Christum dominatu dicere habeo, illud est. Quòd non aliter satiari, expleriq́ue, vel potuerit, vel voluerit, quàm per omnia Christum suum exinaniendo, perdendo, annihilando: quod quidem in tota ejus vita egit, tandem verò in morte illius peregit. Etenim exinanitus est à Charitate sua Christus secundùm Deitatem. Quia enim per mortem desiit esse in rerum natura, desiit etiam esse Deus. Exinanitus est quoque secundùm Humanitatem: quia & illa per mortem dissoluta est. Exinanitus est secundùm Deum-Hominem: quoniam Deus-Homo mortuus est: & quamvis VERBVM hypostaticè unitum tam Animæ, quàm Corpori fuit, Christo tamen, seu Deo Homini unitum non fuit, quia Deus-Homo Christus in rerum natura non fuit. Exinanitus est quòque Christus secundùm Animam, non quoad vivere, sed quoad vivificare, esseque vita corporis, & Hominem Christum constituere, & opera vitæ humanæ exercere Anima illa desierit. Exinanitus est etiam Dominus quoad suum Corpus, à quo Anima discessit, & mortuum est, ac nisi specialis protectio VERBI Æterni impedîsset, in statum corruptionis transiret. Exinanitus est Christus secundùm honorem & famam bonam, quia cum iniquis & latronibus reputari, Barabbæ postponi, & per omnia infamis reddi, haberiq́ue voluit. Exinanitus est secundùm Sapientiam, Iustitiam, Sanctitatem, Religionem, Pietatem, Innocentiam, Veritatem, Potentiam, Humilitatem, Charitatem, omnemque omnino Virtutem, & apud Deum Gratiam. Voluit enim reputari stultus, & insanus, iniquus, & impius, blasphemus, malefactor, seductor, mendax, & Pseudopropheta, consortium cum dæmone habens, nullius ad se, ad aliosue juvandos potentiæ, superbus, ambitiosus, & non tantùm non Deus-Homo, sed neque à Deo homo. Exinanitus est etiam secundùm omnem exteriorem possessionem. Orbatus quippe Matre, discipulis, amicis, notis, vestimentis, terrâ, omni gente ac populo suo, soli duntaxat Cruci affixus,

xus, idque nudus, & volatilibus rapacibus in escam, & lacerationem expositus ac datus: denique non Homo, sed vermis, sed excarnificatum per omnia cadaveris frustum, opprobrium, & abjectio, atq; execratio factus omnium in sempiternum. Ergo exinanivit semetipsum, ergo exinanivit eum Charitas sua, non solùm ad formam servi à forma Dei; sed etiam à forma servi, ad formam impii, ad formam vermis, ad formam mortui, atque cadaveris. Tantum nimirum sibi Charitas ejus in eum licere putavit, tantumque etiam in eum prævaluit, quantum potuit, quantum ad satietatem satis superque esse potuit. Dico quantum satis esse potuit: & addo etiam satis esse debuit, atque omnino re ipsâ fuit: attamen Charitati quantum ad ejus excessivam nimietatem, inexplebilemque ardorem, nequaquam satis fuit. Quid enim sibi volunt illa de ejus Charitate dudum prænuntiata, & pronuntiata. *Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem, neque flumina obruent illam*: quod est dicere Charitatem Dei nostri in Æternum Patrem, & in nos propter Patrem, nullis quantiscunque excessibus, nullis nimietatibus, nullis exinanitionibus, nullis annihilationibus in Christum inductis, perque Christum exhaustis, saturari, satiari, expleri potuisse, nullisque expletam esse, quin imò omnia quæ Christus jussu Charitatis suæ sive gessit, sive pertulit, licèt usque ad exinanitionem accessit, tamen ista omnia, leviſsimæ quædam guttæ, tenuiſsimæ atque parciſsimæ aquæ, exigui cujusdam calicis, sitim ne quidem satis adspersuri ne dum exstincturi vicem speciemque habentia fuerunt. Irritabant potiùs tantùm sitim, & non explebant. Impatientem ardorem sitis excitabant, & exacuebant, non verò illam obruebant, aut exstingvebant. propter quod profundo licèt fundo exinanitionis vicinus, & jam mox in abyssum Mortis, annihilationisque, & occasûs descensurus, tanquam inchoans desideria, tanquam ferendo ardori impotens, exclamavit. *Sitio* Implebat scilicet in se Charitas Christi, illud, quod quondam de se protestata, deque ingenio suo professa fuerat, dicens. *Si dederit homo omnem substantiam domûs suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Et ita est omnino, Homo-Deus Christus in gratiam, & gustum, contentationemq; suæ charitatis, omnem substantiam domûs suæ, à summa Deitate incipiendo, & usque in opprobrio maledictoque super Crucem mortis desinendo, impendit, & exhausit; & nihilominus hanc omnem impensam, hanc totam jacturam, universam hanc prodigalitatem, & exinanitionem, bona Charitas, avara Charitas, inexpleta, & inexplenda Charitas, quasi nihilum censuit,

Cantic. 8. 7.

Cant. 8. 7.

Isaiæ 40. 17. suis, quasi nihilum despexit, *quasi nihilum & inane reputavit.*

O Charitas? ergone Christum cum omni substantia domûs suæ, tibi, & propter te, in nihilum redactum esse: tibi nihilominùs pro nihilo est, & pro inani reputatur!

Audite mortales, audite, & intelligite. Sic Deus dilexit mundum, sic amavit vos, vos quidem peccatores, vos naturâ filios iræ, atque perditionis, vos cùm adhuc inimici & exosi essetis, vos qui etiam post omnia ingrati, contemptores, & rebelles futuri eratis, & insuper etiam estis. Sic inquam Deus dilexit vos, ut omnem substantiam domûs suæ, Domûs Divinæ, Domûs Divino-Humanæ, dederit pro dilectione, pro redemptione, pro salute, pro vita, pro beatitudine vestra æterna. Et insuper hoc à se tam prodigè, tam prodigiosè factum, impensum, profusumque quasi nihilum despexit, & despicit: sed eâ lege, ut vos intelligatis, quia pro hoc nihilo salvi facti estis, à morte æterna: eâ lege, ut vos hoc nihilum, non quasi nihilum, non quasi inane, non quasi inutile, & despiciendum reputetis. Sed ut intelligatis quæ à Deo impensa sunt pro vobis, quæ à Deo donata sunt vobis, quantus Deus propter nimiam suam in vos, & in vestrum bonum charitatem, profudit semetipsum vobis. O terra, terra cordium humanorum, ne operias, ne contemnas, ne conculces, ne negligas, ne nihilum reputes harum tam abundantium gratiarum super te profusionem.

Ex pretio & sumptu, quo æstimatus es: addisce Homo pretium tui: ex Amore quo amatus es, cognosce quantùm amare debeas Amatorem tuum. Ex profusione atque exinanitione totius Dei tui, in Salvationem tui, conjice quantam admetiri debeas Deo tuo dilectionem Dei tui: quanta cum profusione par, & opus sit te impendi & superimpendi propter amorem, propter voluntatem, propter Dignitatem Dei tui, propter Gloriam & laudem & exaltationem Dei tui.

Utinam Domine Jesv amator noster profusissime atque prodigalissime, liceat, libeatque universo generi humano, omnibusque ac singulis nobis, profusos, prodigos, exinanitos, perditos, annihilatosque fieri propter te: propter amorem tuum, propter beneplacitum tuum, propter dignitatem & honorem tuum. Si non ad æqualitatem dilectionis in nos tuæ, (quæ nobis impossibilis est, & omnibus simul nobiscum creaturis) at saltem ad imitationem, ad similitudinem, ad semper majorem progressionem, ad nunquam satiabilem famem, ad nunquam fatigandam explendamue cupiditatem, aut conatum æmulandi, quàm maximè, & quàm proximè Charitatem in nos tuam.

Habes

Habes benevole Lector Centum Modos Passionem Domini Nostri Jesv Christi meditandi. Non te excito, aut provoco ad utendum eis. Satis excitamenti adhibet pietati tuæ ipsa Pretiosa Redemptoris tui Passio, tuusque per omnia devotus, certè obligatus eidem Affectus. Precor Deum ipsum pro nobis passum, ut omnes hi modi, quandocunque eos usurpare placuerit, sint Animæ tuæ, quàm maximè accõmodi, saporosi, & proficui: ut quàm maximè crescat, & adolescat in te, vivus, & efficax Passionis & amor, & fructus. Sit Deo amatori nostro, propterque Amorem nostri Passo, Crucifixo, & Mortuo, semper, & ubique, & ab omnibus Major, atque amplior gloria: Nobis autem Confusio faciei in hac vita: in altera autem salus, & beatitudo æterna; per eundem Dominum Nostrum Jesvm Christum, qui cum Patre, & Spiritu Sancto, vivit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

CORONIS seu DISSERTATIO,

De perpetua Cruce Christi Domini ab instanti Conceptionis, usque ad instans Mortis suæ.

COronidis loco, subnecto Tractatui huic, Dissertationem, seu potiùs Assertionem ejus sententiæ, quæ affirmat

Quòd Christus Dominus ac Redemptor noster, ab ipso Instanti Conceptionis Incarnationisque suæ, Passus sit per omnem usque vitam suam, usque ad instans Mortis.

Probatur hoc Primò ex Sacra Scriptura Veteris Testamenti.

Psalmo 37. 18. dicit Dominus per os David. *Quoniam ego in flagella paratus sum: & dolor meus in conspectu meo semper.* Hieronymus ex Hebræo sic vertit. *Pauper ego, & ærumnosus: ab adolescentia mea, portavi furorem tuum, & conturbatus sum.*

Psalmo 72. 14. *Et fui flagellatus totâ die, & castigatio mea in matutinis.*

Psalmo 87. 16. *Pauper sum ego, & in laboribus à juventute mea.* Legunt alii. *Et exspirans à juventute mea.* apud Augustinum.

Ibidem V. 18. *Circumdederunt me ſicut aqua tota die: circumdederunt me ſimul.*

Pſalmo 30. 11. *Quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.*

Iſaiæ. 9. 6. *Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, cujus imperium ſuper humerum ejus.*

Pſalmo 39. 7. *Sacrificium & oblationem noluiſti: aures autem perfeciſti mihi. Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti, tunc dixi: Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me: ut facerem voluntatem tuam: DEVS meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.*

Iob. 30. 16. *In memetipſo marceſcit anima mea; & poſſident me dies afflictionis.*

Ibidem V. 27. *Interiora mea efferbuerunt abſque ulla requie, prævenerunt me dies afflictionis.*

Hæc, ſimiliaque Scripturæ Sacræ oracula, additis tum Patrum, tum aliorũ interpretationibus, affirmant ſatis Animam Chriſti Domini, in perpetuis doloribus perſeverâſſe.

Probatur Secundò, ex Sacrâ Scripturâ Novi Teſtamenti.

Marci 10. 38. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibo? aut baptiſmo, quo ego baptiſor, baptiſari? Calicem quidem, quem ego bibo, bibetis: & baptiſmo, quo ego baptiſor, baptiſabimini.*

Lucæ 12. 50. *Baptiſmo habeo baptiſari: & quomodo coarctor, uſque dum perficiatur.*

Lucæ 9. 31. *Loquebantur exceſſum ejus, quem completurus erat in Ieruſalem.*

Matthæi 2. 11. *Et intrantes domum, invenerunt puerum cum MARIA Matre ejus, & procidentes adoraverunt eum, & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.*

Hebræorum 10 5. *Ingrediens in mundum* (Chriſtus) *dicit: Hoſtiam, & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi. Holocautomata pro peccato, non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me: ut faciam DEVS voluntatem tuam. In qua voluntate ſanctificati ſumus, per oblationem Corporis IESV Chriſti ſemel*

Marci 10. 32. *Erant autem in via aſcendentes Hieroſolymam, & præcedebat illos IESVS, & ſtupebant, & ſequentes timebant: & cœpit eis dicere, quæ eſſent ei eventura.*

Lucæ

Lucæ 18. 31. *Factum est dum complerentur dies assumptionis ejus, & ipse faciem suam firmavit, ut iret in Ierusalem. Et non receperunt eum: quia facies ejus erat euntis in Ierusalem.*

Lucæ 9. 23. *Dicebat autem ad omnes. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum. & tollat Crucem suam quotidie. & sequatur me.*

Matthæi 10. 38. *Qui non accipit Crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.*

Lucæ 14. 27. *Qui non bajulat Crucem suam & venit post me, non potest meus esse discipulus.*

Ex his, similibusque Domini Nostri ad Crucem à nobis quotidie ferendam exhortationibus, evidens est Christum ipsum eam quotidie tolerâsse, & portâsse, propter nostram salutem, & exemplum.

Probatur Tertiò ex Patribus.

Sanctus Hieronymus illa verba Psalmi 87. 16. *Pauper sum ego: & in laboribus à juventute mea?* explicat. *A tempore Carnis assumptæ.*

Idem Sanctus in Psalmi 37. 18. illa verba. *Quoniam ego in flagella paratus sum*: sic ait. *Præparo me ad sustinendam Crucem, lanceam, fel, acetum, ut per hanc mortem, meo sanguine, redimã populum pereuntem. Quia Christus ad hoc venit, ut Passionem sustineret.*

Sanctus Bonaventura libro de Perfectione vitæ Cap. 6. ita loquitur. *A Prima die Nativitatis suæ, usque ad ultimum diem, mortis suæ, Christus Dominus, semper fuit in Passionibus, & doloribus, sicut ipse testatur per Prophetam dicens. In laboribus à juventute mea.*

Sanctus Chrysostomus in Psalmi 37. 18. *Quoniam ego in flagella paratus sum.* Sic commentatur. *Ea enim de causa cum carne in mundum venire sustinuit: quemadmodum ipse precans dicebat. Quid dicam Pater serva me, ab hora hac: sed propterea veni ad horam hanc, & dolor meus in conspectu meo semper. Nostri scilicet commiseratio: propter quam habet perpetuò suæ Passionis memoriam.*

Sanctus Bernardus Ponderans verba Isaiæ 9. 6. *Parvulus natus est nobis, & Filius datus est nobis. Cujus imperiũ super humerum ejus. Crucem* (ait) *quam Imperii nomine significavit, nativitati statim adjungens: quia profectò à nativitatis exordio, Passio Christi exorta est.* *Serm. 3. de Passione*

Idem Sanctus alio loco ait *Volue, & revolue vitam boni IESV; & non invenies eum, nisi in Cruce; ex quo enim carnem assumpsit, semper in pœna fuit, in amaritudine, & angustia.* *Serm. de Passione*

Ejusdem Sancti notum est dictum illud. *Tota vita Christi, Crux fuit & Martyrium.* Beatus *Cap. 5.*

Beatus Laurentius Iustinianus, libro de gradibus Perfectionis. Cap. 9. sic ait. *Christus à suæ Redemptionis exordio, quoadusque in Cruce confixus Patri reddidit Spiritum : nunquam pati desiit : non sicut cæteri, sed incomparabiliter supra universos. Longè tamen efficaciùs in Anima, quàm in Corpore, perpessus est dolores maximos, actuales cruciatus, spirituales gladios.*

Probatur Quartò ex Authoribus.

Bellarminus Cardinalis interpretans Psalmum 87. 16. *Pauper sum ego, & in laboribus à juventute meâ.* Sic commentatur. Ne putarent homines Christi Passionem, trium horarum, aut unius diei tantùm fuisse, revelat hîc nobis Spiritus Sanctus, Christum in diebus carnis suæ, nunquam sinè passione vixisse. Nam propter Calicem mortis amarissimæ, quem semper ante oculos mentis habuit in omni ætate sua, in laboribus, & ærumnis fuit. Pauper inquit sum ego, & in laboribus à juventute mea: id est: cùm in forma Dei essem beatus, & dives: propter vos homines egenus factus sum, & in laboribus à juventute mea, sive à pueritia mea; quod significat vox hebraica. Poterat etiam verè dicere: ab infantia mea.

Idem Cardinalis libro 2. de Gemitu Columbæ. Cap. 3. tractans de longitudine Passionis Christi. ita loquitur. [Tota vita Christi perpetua Passio & Crucis Passio, dici potuit. Siquidem ab ipsa Conceptionis hora cognovit sibi Crucem esse paratam, eamque libentissimè acceptavit pro honore Patris, pro salute hominum : & semper eam ante oculos mentis sic habuit, ut verè dici posset, toto vitæ suæ tempore in Cruce pependisse.]

Idem Author ibidem ex creberrima Christi Domini adhortatione discipulorum, seu omnium nostrûm ad Crucem à nobis perpetuò bajulandam: rectè concludit ipsummet Christum Dominum, totâ vitâ suâ Crucem suam quoque bajulâsse propter salutem nostram.

Cornelius à Lapide ad Lucæ Cap. 12. 50. illa verba Domini. *Baptismo autem habeo baptisari : & quomodo coarctor usque dum perficiatur,* cùm præmisisset sensum ex Euthymio. *Velut anxius sum propter tarditatem.* Et ex Theophylacto. *Et quomodo constringor.* id est: *quàm solicitus & anxius sum, ac premor donec perficiatur Baptismus meus,* seu passio & mors pro salute hominũ: quo etiam modo Sanctus Ambrosius, Beda, & alii. Arabicus autem *Et ego coarctor ad perficiendum.* Sanctus Irenæus lib. 1. Cap. *18.* legit. *Et valde propero ad illud :* postea

hæc

hæc subdit. [Moral ter hîc nota, quantus fuerit in Christo zelus, quanta charitas, quanta sitis salutis nostræ: utpote quæ tantam in eo sitim Passionis, Mortis, & Crucis, licèt tam atrocis excitavit, ut cor ejus inter eam, & inter Passionis moram, quasi inter duos lapides molares in molendino positum arctaretur, & in summas angustias redigeretur, aut velut in torculari situm, angore comprimeretur, & pœne opprimeretur. Et hoc quidem non fuit in ipso Passionis tempore; jam enim tunc, & Calicem bibebat interiorum, & Baptismo baptisabatur exteriorum dolorum de facto: fuit ergo ante Passionem, fuit per totam vitam Christi, ab ipso vitæ exordio: quoniam Christus jam tunc, eâdem prorsus & charitate, & eventurorum sibi scientiâ pollebat, quâ in omni reliqua, & etiam in extrema sua vita. Unde apud Sanctũ Marcum loquitur Dominus de Calicis potu, & Baptismi baptisatione *Potestis* (ait) *bibere calicem, quem ego bibo, & baptismo, quo ego baptisor, baptisari?*

Laurentius de Aponte in Caput 2. Matth. ad V. 11. n. 60. & sequ. cùm inquirit, quare tres Magi Christo Nato, inter munera Auri & Thuris, etiam obtulerunt Myrrham. Primum verba Paschasii Rhatbodi adducit, de hoc Myrrhæ munere loquentis. [Per Myrrham, quâ mortuorum Corpora passim condiebantur, eum testati sunt, velut ex præsagio humanitùs moriturum. Ex quo, si jam tunc voce editâ loqueretur, poterat ut alibi ipse fatetur, dicere. *quod ad sepeliendum me fecit.* tum de suo subdit. Verè. Nam ex tunc, ex magnitudine amoris, ex obedientia Patris, ex ardore Spiritûs Sancti, pro nobis Crucem apprehendit, & mortem est amplexatus. Unde hoc in Spiritu David prævidens, in persona Christi Psalmo 39. 6. ait. *In Capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam. Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Qualis illa voluntas? ut in assumpta humanitate legem novam constituam, humiliter mortem pro redemptione humani generis perferam ait Incognitus. tum de suo sensu pergit author citatus. Ergo ex tunc quando Incarnatus, hoc in Dei prædestinationis libro legens, sic ardenter, sic amanter, sic efficaciter, sic continuè, hanc est amplexatus legem, ut non in angulo, non in parte, sed in medio Cordis eam haberet, quasi Cordis animam & Spiritum, quo viveret & alimentaretur Cor. Sic ut ex memoria Crucis, ex habitu Mortis viveret, ac respiraret. Moriturus: si sinè memoria mortis; defecturus, si sinè memoria Passionis; vivens & motum percipiens vitalem ex sepulturæ memoria, & affectu Passionis. Calefactus,

» & calorem suscipiens ex sangvine fundendo, ex morte patienda. Hinc
» voluit, & præordinavit, ut ex tunc jam inde vix natus, Myrrha ei offer-
» retur.

» Antonius Gaudier de Perfectionis natura & Causis: Parte quartâ,
» Sectione 12. de duodecimo instrumento Perfectionis. Parte 1. Cap. 5.
» Dubium non est (ait) quin unicum Christi sacrificium in Cruce, Deo
» abundè satisfecerit, pro toto mundo, cùm vel unica Christi actio po-
» tuisset esse satis, ob infinitam Personæ satisfacientis dignitatem: nisi
» & Deus, & Christus voluisset esse copiosam nostram redemptionem.
» Verùm si actus internos Christi spectemus: non unius tantùm mortis,
» vel sacrificii, ad tres horas in Cruce, peracti, terminis contineri potuit
» copiosissimæ redemptionis voluntas (saltem conditionata) in Chri-
» sto, quin & pati sæpius pro nobis, & plura perferre ardentissimè de-
» sideraret, si vel Deus voluisset, vel opus fuisset. Hoc desiderium habuis-
» se Christum tradidit Sanctus Bonaventura, in meditationibus de Pas-
» sione Domini, nec videtur posse esse ullum de eo dubium. Nam si
» rem ipsam consideremus, nihil implicat, nullũ omnino inconveniens
» est, imò & valde laudabilis est hic actus, & Christo dignus, & non in-
» utilis sed efficax. Nam tanta est Dei Majestas & excellentia, ut non-
» nisi omni infinito modo satis honorari possit. & fuit quidem sacrifi-
» cium Crucis infinitum, quia tam offerens, quàm hostia erat dignitatis
» infinitæ, at poterat addi etiam infinitudo durationis, ut saltem quam
» diu mundus & homines durarent, sacrificium quoque coram Deo ap-
» pareret. Idem postulabat veluti suo jure, læsa Divina Iustitia, ut tot
» hominum ab initio mundi sibi succedentium continuis peccatis, satis
» fieret etiam continuâ expiatione sacrificii condigni cruenti. Erat ergo
» valde rationabile, ut Christus Crucis suæ sacrificium ad Deum tum ho-
» norandum, tum placandum; (si ita placeret) permanere ad mundi
» finem peroptaret. Christi etiam inexhaustus erga Patrem Amor, &
» observantia, & erga nos Charitas idem convincunt. Sanctissima enim
» ejus Anima, in ipso articulo creationis suæ, Dei bonitatem infinitam,
» erga se, & erga humanum genus, contemplata, immenso amoris æstu,
» & Dei Gloriam, & hominum salutem, quam Deo cordi tantopere esse
» videbat, ut ejus procurandæ præceptum imponeret: ita suscepit pro-
» movendam, ut inexplicabili prorsus vi amoris & desiderii consumere-
» tur quidlibet agendi, & patiendi, in eum finem. Ut sicut Dei erga se,
» & erga homines bonitatẽ & amorem videbat esse infinitum; ita amo-
» rem etiam suum, quantùm poterat, & intenderet & extenderet. Qua-

ge nec

re nec paucis illis horis aut unicâ in Cruce morte definitus ille est, sed sicut semel mortuus est, ita & millies mori optâsset; & quomodo omnium causâ, & pro omnibus mortuus est, ita & unius tantùm causâ (si Pater ita jussisset) copiosissimum ille & paratissimum Amorem, ad tot Cruces habuisset; & si ita opus fuisset, non tribus tantùm horis confectum doloribus in Cruce pendere, sed etiam idem ad extremum judicii diem pati. Tanta fuit primi illius amoris efficacia, ut unicus ille satis ad id fuisset. Nec proinde mirum est, si toto vitæ tempore urgebat eum ille amor, ita ut diceret. *Baptismo habeo baptisari: quàm coarctor usque dum perficiatur?* Tantus enim erat Amor, non patiendi tantùm, sed suo se sanguine tingendi, & mergendi, pro nostra salute: ut quælibet ei hora præ Amoris magnitudine, mille anni viderentur, & licèt multa pro nobis & faceret, & pateretur, tamen omnia nihil esse putaret nisi totus mergeretur.] Hæc supra dictus Author. Qui licèt de amore & desiderio patiendi in Christo loquatur: in idem tamen recidit, & ipsa Passio interior Animæ Christi, dolorque quàm maximus ejus, ex objectis, non tantùm plurimis, sed etiam maximis, semper Animæ illi præsentibus. Quoniam cognitio & præsentia illa non potuit esse sinè dolore, tristitia, horrore, aliisque connaturalibus effectis intus in Anima, estò in eos non semper, sed nonnisi quando ipsi placuit, ordinatumque fuit, ad extra prorumperet. Unde illud, quod Matthæus dicit de Christo ad hortum pergente. *Cœpit pavere, tædere, contristari, & mœstus esse.* Non eum sensum habet, quasi nunquam hactenus tristitiam, & metum, doloremue interiorem passus sit, eique tunc primùm hospes veluti ingratus advenerit, id enim cùm plena Christi futurorum & præsentium præscientia non cohæret: sed quia illo tempore, à semetipso præordinato, atque adducto, manifestandoque, & patiendo exterius etiam dolori ac mœrori, nec non tædio destinato, cœpit exteriùs quoque dolere, pavere, tædere, mœstus esse, voluntariè atque sponte propriâ. Ad eum modum, quo de eodem Domino Nostro dicitur. *Et IESVS proficiebat sapientiâ, & ætate, & gratiâ apud Deum, & homines.* Lucæ 2. 52. apparebat enim pro suo arbitrio, quando, & quibus volebat, sapiens, & sapientior, & sapientissimus, licet in se nonnisi semper esset sapientissimus, atque etiam ipsa sapientia.

Vincentius Caraffa Itinerarii ad Cælum Parte 3. Cap. 6. §. 9. tractans de prærogativis Passionis Christi: unam harum dicit fuisse, Continuationem. Cœpit enim à principio Conceptionis suæ Passionem suam: idque ob notitiam & apprehensionem internam tum offensarũ

» Dei ; tum damnationis hominum, tum Passionis & mortis suæ sibi ad-
» venturæ : propter quod loquens Dominus de sua Passione, secundùm
» Marcum Evangelistam Cap. 10. 38. non loquitur de illa tanquam fu-
» turâ, sed tanquam de præsente, & sibi actu dolorem inferente interio-
» rem, etsi nondum exteriorem. ait enim Iacobo & Ioanni. *Potestis*
» *bibere calicem, quem ego bibo, & baptismo, quo ego baptisor, baptisari?*

Leonardus Lessius de Divin. Perfect. Lib. 12. Cap. 17. num. 130. & sequ. Cùm recensuisset aliquas difficultates, Christo in Redemptione nostra objectas, ab eoque clarè & distinctè cognitas, postmodum
» hæc loquitur. [Ratio dolendi de peccatis nostris in se susceptis à
» Christo, eidem fuit duplex. Prior injuria Divinæ Majestati per pecca-
» tum irrogata. Altera Damnum humano generi inde proveniens. Cer-
» nebat ille perspicuè & in particulari, peccata omnia, & quanta singu-
» lis, infinitæ illi bonitati, & majestati fieret injuria, quanta contumelia,
» quantus contemptus. Cernebat etiam quantum malum sit æterna
» damnatio, quàm totum genus nostrum sibi per peccatum accersiverat.
» Hinc dolor excitabatur acerrimus: Magnitudo enim doloris seu tri-
» stitiæ sequitur magnitudinem mali, & perfectionem cognitionis, quâ
» malum illud apprehenditur. Atqui malum hîc erat maximum, tum
» in ratione culpæ (erat enim pelagus quoddam peccatorum, & abyssus
» malitiæ contra Divinum Numen) tum in ratione pœnæ : quæ enim
» major calamitas & afflictio fingi potest, quàm æterna damnatio ? Ap-
» prehensio etiam perfectissima. Multò enim exactiùs singula conside-
» rabat, & ponderabat, quàm ulla creatura posset. Itaque oportebat
» & ipsum dolorem maximum esse : ut qui magnitudini mali, & perfe-
» ctioni apprehensionis responderit. Unde non dubitaverim affirmare
» hunc dolorem sufficientissimum fuisse, ad vitam Domino millies eri-
» piendam, si vim suam in Corpus exercere permissus fuisset Quod enim
» magnitudo doloris animi, seu mœstitiæ, vitam intercipere, & homi-
» nem occidere possit, multis exemplis constat. At dolor, quo Domi-
» nus noster de peccatis nostris doluit, longè major fuit, & intensione,
» & æstimatione, quàm ullus dolor qui in hominem cadere possit. Sed
» dispensatione factum, ne vis ejus in Corpus se proferret, nisi quando,
» & quantùm Domino videretur. Habebat enim plenissimum omnium
» affectuum, appetitûs inferioris, & commotionis spirituum, & sangvi-
» nis dominium. Fuit hic dolor continuus ab initio Conceptionis usq;
» ad finem vitæ, sicut & apprehensio peccatorum : quamvis non semper
» æquè in appetitum inferiorem, & corpus permissus sit redundare, sed

inter-

interdum plùs, interdum minùs, prout occasiones exteriores, & tempus, & locus postulabant. Maximè autem ei laxatæ habenæ in horto. &c.

Ioannes Eusebius Nerembergius lib. 2. de Adoratione Cap. 5. tractans de Compassione Christo Patienti à nobis debita, deque motivis, quæ in Christo Passo ad eam habemus: ita de inceps pergit.

[Plùs tamen debent nos commovere, quæ passus est per totam vitam in uno membro, sanctissimo scilicet corde: cujus dolor immensus fuit à primo instanti suæ Conceptionis, & duravit quàmdiu vixit. Cor est, quod primò excruciatum fuit, & quod ultimò. Tantò magis doluit Cor ejus, quantò reliquorum omnium membrorum intolerabiles dolores, in uno illo passus est, quod est omnibus membris delicatius. Non minor afflictio latuit in corde IESV ab illo instanti (conceptionis) quam habuit in horto, cùm sudavit sanguinem per omnia membra. Quemadmodum illic ex vivida apprehensione dolorum & cruciatuum Passionis suæ, insolito & terribili modo afflictus fuit, sic etiam æquè intensè apprehendit eosdem dolores in utero amantissimæ Matris. Cognitio enim Christi non fuit imperfecta, eo maximè tempore, cùm negotium nostræ redemptionis acceptavit, & proposita fuit illius intellectui, sinè ulla dissimulatione, omnis difficultas toleranda & vincenda. Apprehendit ibi intensissimè suam Passionem, labores innumeros vitæ suæ, opprobria, & contemptus. Ita afflixit illum ab eo tempore hæc cognitio suæ Passionis, & plùs fortasse quàm in horto, si inæqualitas fiat. Nam in Getsemani erupit exteriùs sensus doloris, diffususque fuit per omnes artus, ut communicatus in toto Corpore angor, minor remaneret in corde: at in utero gloriosissimæ Virginis MARIÆ retentus est totus dolor intrinsecus, in uno membro tenerrimo, scilicet corculo infantis IESV. Cùm quis lachrymatur, minùs sentit afflictionem, quàm cùm recluditur angor in corde siccis oculis. Sic Christus, dum non sudavit, & sanguinem fudit, plus fortasse doluit, quia nulla particula angoris, evaporata fuit. Oportuit tamen ad nostrum documentum monstrari semel exteriùs, quantum passus est semper interiùs. Continuatus deinde fuit iste mœror per omnem vitam. Perfectissimè, & perspicacissimè, ut in se erant, cognoscebat semper omnia IESVS. Nisi divina dispensatione adjutus fuisset, illo ipso instanti, quo cœpit vivere, mortuus fuisset, præ doloris magnitudine. Ideo maximum & continuum miraculum fuit vita IESV.] Hæc nominatus Author, qui etiam interjectis aliquibus, ad idem propositum sic

» sic deinde pergit eodem loco. [Habitabat in Christo plenitudo Di-
» vinitatis, & clara Dei visio illum illustrabat: quæ tamen aliquibus af-
» fectibus non obstitit; sed dispositum miraculosè fuit, ne per illam, af-
» fluentia gaudii totum Corpus, & inferiores animi portiones occupa-
» ret, ut daret locum dolori, sicut accidit in Passione. At in Corde Ie-
» sv dolenti pro peccatis nostris, non tantum dedit locum summæ trist-
» tiæ, sed auxit summopere propter altissimam Dei offensi cognitionem.
» Quò enim major fuit Cognitio Dei, majorem dolorem causabat, &
» Christus solus, multò majorem cognitionem intuitivam Dei habuit,
» quàm omnia Cherubim, & Seraphim, & reliqui omnes Spiritus, ac si-
» mul omnes homines beati. Amor quoque Christi erga Deum offen-
» sum, æqualis fuit visioni divinæ majestatis, quare dolor ejus, nec ex-
» plicari, nec cogitari potest. Nam non amisit occasionem patiendi
» quantum potuit, & decebat. Imò miracula fiebant stupenda, in sua
» Sacratissima Anima, ne impedirentur dolores] Hæc Nerembergius. Cujus idcirco productiùs verba adduxi, quia & plenè exacteque exsequitur dolores Christi internos totâ vitâ continuatos, & causas eorum solidè proponit, & objectionibus, quæ huic sententiæ, de magnitudine, & perpetuitate internorum Christi dolorum, ac mœrorum fieri possunt, satisfacit.

» Theophylus Raynaudus libro 4. de Christo sect. 2. Cap. 9. à Num.
» 443. Etsi nonnihil cunctatur agnoscere & asserere in Christo Domino
» perpetuam Crucem, continuatosque ab instanti Conceptionis suæ
» usque ad Passionem dolores & tristitias exaggeratas: nihilominus po-
» nit fundamenta moderationis suæ sententiæ, talia, quæ perinde pro-
» bant & inferunt totius vitæ in Christo Domino acerbissimos Animæ
» dolores. Ac primò de Christi desiderio, quo ad patiendum pro no-
» stra salute insaturabiliter arsisse eum agnoscit, ita loquitur. [Ea fuit
» æstuositas desiderii nostræ reparationis in Christo Patiente, ut Cervæ
» matutinæ à Psalte sit collatus ea ex causa, interprete Augustino. Ni-
» hil item in Scriptura crebrius, horum Christi Patientis desideriorum
» expressione. Iure autem dixisse videor, hoc desiderium fuisse in Chri-
» sto insaturabile; quandoquidem cum posset uno suspiriolo, aut genu-
» flexione nos reparare, tamen tam copiosam esse voluit redemptionem,
» totque sibi optavit incommoda, ut scilicet nostris desideriis, eorumq;
» insatiabilitati mederetur. Eò sanè pertigit hoc patiendi in Christo
» desiderium, ut etiam mortuus pati voluerit: & quod tunc extinctâ jam
» vitâ pati sensu præsenti non poterat, desiderio anteriore suppleverit dum

adhuc

adhuc superstes esset.] Hæc de desiderio Theophilus. Iam de dolore sic affirmat. [Dolorem sub tempus Passionis, & in ipso ejus vestibulo toleratum in Anima, ex prænotione omnium simul tormentorum facta, & ex maxima charitate doloris veluti Cote, acerrimú fuisse, & vel æquâsse, vel etiam superâsse quemcunque Christi cruciatum in Passione, ob adunationem simul omnium dolorum intellectu perspicacissimo præconceptam, & perfectissimâ Phantasiæ actione appetitui propositam. Hunc dolorem Animæ Christi, de quo nunc agimus (scilicet in parte inferiore Animæ appetituque sensitivo) acerbissimum & acerrimum, volo secerni à tristitia voluntatem superiorem occupante, ex objectis tristibus, per rationem superiorem exhibitis. Dolor enim Animæ Christi, de quo nunc agimus per appetitum sensitivum, prælucente phantasiâ exprimebatur, ex redundantia tristitiæ illius superiorem voluntatem quasi mergentis.] Hæc ille.

Sciendum verò ab hoc optimo scriptore duplicem dolorem tristitiamque Animæ Christi (extra tempus Passionis) assignari & distingui. Unum quem Dominus passus sit in voluntate superiori, & appetitu rationali, cui etiam ratio superior, & plurimas & gravissimas tristitiæ, doloriscque causas objiciebat, & proponebat. Alterum, quem Dominus sit passus in Appetitu inferioris Animæ partis, videlicet sensitivo, prælucente & proponente objecta hujus doloris phantasiâ.

Primum dolorem in parte voluntateque rationali, in Anima Christi agnoscit hic Author, fuisse acerrimum atque maximum, sive, ut ille ipse Author loquitur: Meracissimum, & abyssalem: & licet expresse ab eo dictum non inveniam, quòd totâ vitâ suâ usque ad mortem, à prima Conceptione hoc dolore & tristitiâ doluerit, nullum tamen etiam reperio negandi fundamentum: neque facilè potest assignari causa, cur potiùs aliquo tantum, & non toto vitæ Domini tempore dolor hic viguerit in Animæ Christi voluntate. *Eodem l. 4. sect. 2. C. 4. à Num. 225.*

Alterum Dolorem Author restringit, eumque in Anima Christi fuisse agnoscit tantum sub tempus Passionis, & in ipso ejus vestibulo toleratum, ex prænotione omnium tormentorum simul facta, & ex maxima charitate, doloris veluti Cote. Quem tamen Dolorem sensitivæ partis refugit agnoscere idem author durâsse per totam vitam Domini nostri antecedentem ab initio. Qua de re nolo litem movere: sufficit enim proposito meo præsenti, agnosci ab authore hoc, dolorem in Animæ Christi voluntate rationali sanè per omnia maximum, totâ vitâ continuatum. Nihil præjudicante visione intuitiva Dei, & gaudio beati-

beatifico ejusdem Animæ, & ejusdem voluntatis, quod miraculum semel admissum, non video cur etiam locum habere non potuerit in ejusdem Animæ parte inferiori, sensitivoque appetitu ejus. Cùm magis videatur repugnans: Animæ Christi partem rationalem superiorem & gaudere beatificè de viso intuitivè Deo, & eandem abyssis tristitiæ mergi, ob gravissima, plurima, intellectuque perspicacissimo plenè cognita, & eidem voluntati à ratione superiori proposita: quàm sensitivum appetitum ob proposita sibi à Phantasia tristitiæ objecta tristari, dolereque maximè, & simul tamen tum beatificè in rationali appetitu gaudere, tum interdum ad tempus ejusdem inferioris partis gaudio gaudere, si & objectum, & ratio ita ferret. Sed de hoc aliquid infra afferetur ex Cardinali de Lugo, paulò post adducendo.

Cornelium à Lapide jam semel adductum adduco iterum: quia & ipse non est gravatus repetere suã sententiam, & eam argumentis uberioribus confirmare. Igitur in Cap. 26. Matth. ad versum 37. inter alia sic habet.

[Nota hîc primò in Christo fuisse veram tristitiam: licèt enim ipse ab initio Conceptionis suæ frueretur visione Dei hypostaticè sibi uniti, esseteque Beatus, & in summo gaudio, tamen summè quoque tristatus est, sed respectu diversorum objectorum saltem formalium: Nimirum Deo supernaturaliter capacitatem Animæ ejus extendente & dilatante per concursum specialem, quo concurrebat cum Anima Christi, ut simul summum gaudium ob visum Deum, & summam tristitiam ob instantem sibi mortem, suscipere & elicere posset. Ita communiter Theologi, qui refellunt Melchiorem Canum, dicentem, in Christo suspensum fuisse gaudium, quod naturaliter ex visione Dei sequitur, eo tempore, quo fuit Viator, ut dolere & tristari posset. Christus ergo simul fuit & Viator & Comprehensor: ut Viator tristatus & passus est, ut Comprehensor beatus exstitit, & gaudio plenus. Porrò Christus non tantùm quà Comprehensor, sed etiam quà Viator simul summè gaudebat & dolebat de sua Passione. Dolebat enim de ea secundùm partem Animæ inferiorem, quatenus hæc Passio fuit noxia naturæ; gaudebat de ea secundùm partem superiorem, quatenus illa erat à Deo volita, & ordinata ad hominum salutem.

Nota Secundò. Hanc tristitiam non tantùm in appetitu sensitivo, sed etiam in voluntate Christi fuisse, saltem secundùm partem ejus inferiorem, quæ naturaliter respicit & amat bonum naturæ suæ, scilicet vitam, & sanitatem, refugit verò oditque mortem, & dolorem, de iisq; trista-

tristatur. Id ita esse patet ex Christi verbis, dum orans Patrem, ait, *verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Voluntate ergo suâ naturaliter volebat liberari à morte.

Porrò multæ fuerunt in Christo Causæ tristitiæ, ob quas ab initio *Conceptionis*, per omnem vitam, usque ad mortem *continuò summè tristatus est.* &c.

Franciscus Arias de Imitatione Christi lib. 3. Parte 3. Tract. 1. Cap. 22 initio. Tractans de Prudentiæ virtute, prout illa stimulat animũ, ad operandum bona, cum diligentia, atque promptitudine, pro oblatis ad id occasionibus: probat hoc exemplis inprimis ipsius Christi ac primùm isto. [Illo ipso temporis puncto, quo Pater Æternus decrevit dari initium Redemptionis Generis humani; subitò Filius Dei de regalis gloriæ suæ sede descendit in istud exilium, & humiliatus, atque nostrâ carne vestitus, verusque homo pro redimendo homine factus est. Et quia redempturus eum erat patiendo pro ipso, ideo in instanti Conceptionis suæ ex Virgine, & postquam creata ejus Anima benedicta, corpori que infusa, & personæ Divinæ hypostaticè unita est, incepit statim pati pro homine. Quoniam in illo eodem puncto, vidit illa Anima omnia tormenta, opprobria, & mortem in Cruce, per quam illi transeundum patiendo fuit. Vidit & omnia peccata quæcunque homines commiserant, committebant, & commissuri erant, ab initio mundi, usque ad finem. Atque hæc causabant in illa Anima Sanctissima angustias, & tristitias inenarrabiles, & incomparabiles, & durantes usque ad mortem.

Ludovicus de Ponte tomo 1. in Cantica lib. 4. Exh. 4. initio, ubi sic loquitur. [Tertius fasciculus Myrrhæ colligendus supereſt, ex amaritudinibus & doloribus, quos perpessus est Christus Dominus, ex quo in utero Virginis conceptus est, usque dum exspiravit in Cruce.] Et post interjecta aliqua. [Sed ulteriùs, quia illum nihil unquam latuit, tunc (infans in utero) perfectissimè cognovit etiam cuncta quæ usque ad mortem Crucis passurus erat, ad eaque perferenda pro nobis libentissimè se obtulit. Unde in ipso primo suæ Conceptionis instanti, plenus fuit eâ myrrhâ, quã postea erat paulatim productus foras. Tunc bibit simul voluntate & affectu totum calicem Passionis, quem successu temporis bibiturus erat per partes.]

Bartholomæus de Amicis libro 2. Meditationum de Sacris Christi Vulneribus. Medit. 7. quæ est de vulneribus Christi Domini internis, in ipso initio ita loquitur. [Considera quomodo Sancta Anima Chri-

sti, statim postquam animavit corpus ejusdem, cognovit voluntatem Dei Patris, de redimendo genere humano à peccatis, per ipsius Christi mortem. Vbi simul repræsentati sunt illi omnes dolores & ignominiæ, quas perpessurus erat, repræsentatæ autem non in confuso, sed prorsus distinctè & quælibet sigillatim. Unde Christus cognoscendo omnes illas pœnas, atque contemptus, & ignominias, vivacissimè, statim in ejus voluntate causata est, angustia quædam acerbissima, quæ illum torsit plùs quàm dum in actuali Passione perpessus est dolores extrinsecùs. Externi enim & actuales Passionis dolores adveniebant Domino successivè & unus post alium separatim; at in angustia illa, atque tristitia interna, repræsentati sunt illi omnes simul distinctè, tanquam si mare dolorum, & afflictionum irruisset in Sanctissimam illam Animam, eamque inundâsset. Hîc anima mea subsiste & admirare Sanctissimam illam Christi Domini Animam in corpusculo intra viscera materna manentem, simul verò tunc inundatam unâ immensâ afflictione, tanto majore, quantò adhuc tunc erat corpusculo teneriori, & imbecilliori unita.]

Hugo Victorinus relatus à supra dicto auctore sic loquitur de Christo. [In illo instanti Conceptionis, Divina Voluntas, per justam sententiam mortem dictabat, & Christi Voluntas, per obedientiam, illam sententiam acceptabat.]

Aloysius Novarinus. lib. de Tributo Divino, trib. 15. ait Dominum non fuisse parcum in sua pro nobis Passione; idq; à primo Conceptionis suæ instanti.] Ut supra rituli Modo 63. initio.

Cardinalis de Lugo de Incarnatione disp. 22. sect. 2. de Dolore & tristitia Animæ Christi disputans. Asserit primò num. 15. [De Dolore, certum de fide est fuisse in Christo. *Isaiæ 53. 4. Verè langvores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* qua de causa appellat eum Propheta, *Virum dolorum.* Hoc etiam probant omnia testimonia, quæ dicunt Christum Passum esse. Lucæ 24. 26. *Nonne oportuit Christum pati: & ita intrare in gloriam suam.*

Deinde ad Tristitiam (quam à Dolore distinguit Num. 19.) progrediens, eam sensibilem cum dolore, cumque aliis sensuum molestiis, eidem Christo Domino attribuit.

Dubitat postea, & quærit, an Tristitia fuerit solùm in appetitu sensitivo, an etiam in voluntate Christi? Num. 20. atque ait quòd [Communis & verissima sententia est, actum Doloris & Tristitiæ fuisse etiam in voluntate Christi, & quidem non solùm in portione ejus inferiori,

sed

sed etiam in superiori, Num. 21. Cùm enim hæc sit quæ versatur circa res & rationes æternas, Christus autem tristatus fuerit de fuga discipulorum, & de peccatis hominum, propter offensam Dei: item de morte sua, quæ etiam considerata secundùm regulam rationis superioris, erat objectum honestè amabile: non est cur negetur actus tristitiæ in voluntate Christi, secundùm portionem etiam superiorem voluntatis.

Post hæc subdit num. 22. [Difficultas gravior est, quomodo potuerint esse simul in eadem voluntate, actus summæ delectationis, qualem habebat Anima Christi, ortam ex visione beata, & actus vehementis tristitiæ. Hi enim actus videntur esse contrarii inter se, nec posse simul constare, quòd aliquis hilaris sit & tristis, in gradibus intensis.] Huic difficultati respondet in hunc Modum. Num. 26. [Solutio communis est. Gaudium vehemens habere quidem repugnantiam naturalem, cum tristitia: non tamen essentialem, atque adeò ex Divina dispensatione factum esse, ut potuerint esse simul in voluntate Christi, ad hoc ut pateretur pro nobis, non obstante repugnantiâ naturali.] Hanc eandem solutionem referunt ex aliis Theologis, & sequuntur, Suarez in 3. Part. tom. 1. disp. 38. sect. 3. Vasquez ibidem disp. 37. Cap. 4. &c. quorum verba hîc referre ego supersedeo, cùm Cardinalis eorum sententiam jam retulerit in sua? Quamvis autem Cardinalis non sic explicet, agnoscatue Christum totâ vitâ suâ dolorem atque tristitiam in voluntate, & sensitivo appetitu habuisse: nihil refert; cùm ejus assertio, perinde serviat toti vitæ Christi, sicut alicui ejus parti. Addo præterea, Cardinali, nihil ferè dubii esse de Christi dolore & tristitia in appetitu sensitivo, animæ ipsius præcipuam esse difficultatem, an etiam in voluntate ejusque superiori parte dolor & tristitia fuerit.

Maneat ergo certum, in Anima Domini nostri exstitisse dolores & tristitias perpetuas, easque gravissimas ab initio Conceptionis ejus, in mundum, usque ad articulum mortis in Cruce.

Quæ autem fuerint sive objecta, sive motiva, sive causæ, quæ hanc perpetuitatem, simulque enormitatem dolorum ac tristitiæ in Anima Christi causaverint, excitaverint, & foverint, libet ex variorum sententiis assertionibusque collecta in unum, hoc loco strictim edisserere, & finem tandem tractatui huic imponere.

Supposito, quòd juxta doctrinam Fidei Christianæ, Dominus noster Jesus Christus fuerit Deus Homo & quòd in ipso Conceptionis suæ humanæ: ejus humanitas hypostaticè fuerit unita Divinitati, seu Divinæ VERBI Personæ: & quòd ab eodem instanti, Anima ejus intuitivè

& beatificè Deum viderit, inque videndo semper perseveraverit; & quòd ab eodem instanti Conceptionis perfectũ rationis humanæ usum habuerit, non minusque tunc, quàm in tota reliqua vita atq; adeò etiam in præsenti, omnia sciverit, cognitionemque omnium suæ perfectioni congruam, & plenissimam habuerit, rerum tam præteritarum, quàm præsentium, quàm futurarum, quoad omnes circumstantias earum; & quod ex speciali dispositione Dei, Christum ad salutem, redemptionemque generis humani per peccatum perditi, æternæque damnationi, & iræ Divinæ obnoxii, ordinantis: beatitudo Animæ illius visione Dei fruentis prohibita fuit in totam Humanitatem Christi, (uti connaturaliter debebat) demanare, sed relinquere patibilitatem, atque mortalitatem in eo, utpote per Passionem, atque mortem, negotium salutis humanæ peracturo. Supposito inquam hoc quòd retuli toto, manifestè sequitur, Christum Dominum sive Animam ejus perspicacissimè, atque plenissimè habuisse cognita omnia objecta ad Passionẽ, & mortem suam pertinentia, omnesque causas, omnes fines, omnes effectus, omnes conditiones, atque circumstantias, omnes uno verbo, Dei tam absolutas, quàm permissivas, circa se, & circa vitam, nec non Passionem, mortemque suam voluntates.

Sciebat ergo Christus Dominus plenissimè suam à Deo, ante omne meritum suum, exaltationem & dignificationem, collatam sibi ab ipso per unionem Hypostaticam, per visionem Essentiæ Dei intuitivam, per beatitudinem, gaudiumque & fruitionem Dei beatificam. Ex hac scientia, & cognitione plenissima, tantæ suæ dignificationis à Deo, & tantæ Bonitatis, dilectionis, liberalitatisque Dei super se, ortum habuit in corde Christi, Amor tum appretiativus, tum affectivus, sive intensivus, seu Theandricus, erga Deum, universaque, ad omnem ejus circa se voluntatem, & ordinationem, sibi ex tunc jam perspectissimam, adhæsio, subjectio, promptitudo, & festinatio.

Ex eadem scientia ortum quoque habuit in corde ejusdem Christi, maxima, & planè etiam Theandrica, ejus erga nos homines, & erga omnem salutem nostram, propter Deum dilectio, promptitudo, profusio; omnimodaque ad exsequendam Dei omnem voluntatem, circa redemptionem nostram resolutio & applicatio.

Ex his duobus capitibus scientiæ nimirũ & Charitatis Christi, utriusque perfectissimæ atque Theandricæ, promanârunt in Christo Domino, reliquæ omnes ejusdem in vita universa, usque ad mortem affectiones, & in his etiam fuêre timores, dolores, tristitiæ, angoresque interni;

ni; qui sicut ab instanti Conceptionis Christi, habuerunt in ipso locum, ita & habuêre actualem, reque ipsa effectum ob specialem prædictam dispositionem, dispensationemq; Dei, in Anima Christi, estò beatâ, passibilitatem tamen mortalitatemque relinquentis. Cui etiam nequaquam præjudicabat, imò verò stimulos addebat, Christi Domini, tum erga Deum; tum erga nos propter Deum Charitas, & perficiendæ salutis nostræ alacritas, & aviditas. Cum hac enim consisteb at, omnis in redemptione nostra interventura, & jam tunc interveniens, sesequè Christi Animæ, & scientiæ, atque Charitati objiciens difficultas. Cujus & plurima & gravissima genera, sive seminaria, fuisse, facilè cuique vel leviter Christi Domini conditionem inspicienti patere potest.

Prima Difficultas, primumque Seminarium dolorum, & tristitiæ, I.
objiciebat se Christo, ex Infinitudine Dignitatis & Majestatis Divinæ, quæ cùm læsa, & contempta conculcataque esset, miserum & indignû in modum valde à creatura sua vilissima, & ingratissima, scilicet ab hominibus, ejus reparatio, restauratioque, ad omnem usque adæquationem (ne dicam ad excessum) incumbebat Christo Domino, quod onus sanè, plùs quàm gravissimum, difficillimumque fuit, & nullis quantumlibet Gyganteis, sed solis duntaxat Theandricis humeris supportabile, & satisfactibile erat. Christus Dominus ergo infinitè Dignissimam Dei Dignitatem videns, eamque ab hominibus, (quorum ipse unus jam esset) agnoscens, simulq; dolens, ac sartam reparatamq; quàm plenissimè cupiens, totum se, totasque vires, & studia sua, in id convertit, ut huic cupiditati suæ, id est, Divinæ Dignitatis, quàm plenissimæ, condignissimæque reparationi satisfaceret. Itaque optabat per secuturam æternitatem huic labori reparationis impendere se totum, si ita Deo placitum esset, ut hac ratione satisfactio sua, non solùm ex se ipsa, nec etiam solùm ex satisfaciente se ipso, verùm etiam ex duratione satisfactionis ipsius esset infinita, quòd quia nequaquã statutum vidit: optabat ad finem saltem mundi, & quàm diu duraret genus humanum in hoc sæculo, eidem reparationi Dignitatis Divinæ sese perenniter consecrare ac immolare, quò tali ratione, suam satisfactionem reparationemque Divinæ Dignitatis extendens & intendens quantùm maximè posset, etiam copiosissimè, plenissimè, & condignissimè Deo, ejusque Dignitati deserviret. Cùm autem neque ad finem mundi suos labores, passionesque pro reparatione Dignitatis Divinæ, salutisq; nostræ durare, adverteret divini esse consilii atque voluntatis: illud cupidi-

piditati suæ remedium adinvenit & adlegit: ut non tantùm octodecim horis extremis vitæ suæ pateretur, neque tantùm tribus horis in Cruce pendens, ac moriens, desideria imperiaque charitatis suæ impleret: sed voluit totâ vitâ suâ, à primo limine illius usque ad punctum mortis, perpetuam doloris mœrorisque interni quàm exaggeratissimam in cor de animoque suo crucem circumferre, ejusque doloris patientiâ Charitatem suam in Dei Dignitatem, & in nostram salutem explere; saturare, & saginare. Quod exaggeratissimum Christi Domini & votum, & opus, etsi exaggeratè satis erat reparandæ quà Dei Dignitati, quà nostræ saluti: nequaquam tamen omni ex parte sufficiebat Charitati, itaq; ut illi ampliùs ampliùsq; obsequeretur, utq; eos quos dilexerat (Deum nimirum, & nos propter Deum) usq; in finem diligeret, dilectionemq; hanc propagaret, Sacrificium Sacramentumque altaris (nullo intellectu demirandum, nullâ linguâ explicandum) invenit & instituit, in quo perenniter usque ad finem mundi, pro nostra totiusque mundi salute, pro Dei, ejusque Dignitatis exaltatione, immolaretur, cruentaque sua Passio, & Mors, incruentè repararetur, & veluti continuaretur. Hoc ergo primum, & primarium etiam, est seminarium, ut dixi, atque difficultas Dolorifera Christi Domini à primo vitæ instanti usque ad finem ejus.

II. *Altera Difficultas* huic vicina, imò hinc emanans fuit: sita in obligatione reparandæ & satisfaciendæ ad omnem rigorem Iustitiæ Dei, quæ cùm infinitè læsa & injuriata, damnoque in re sibi maximè debita atq; propria, affecta fuisset, infinitam satisfactionē exigebat, qualem, quia nulla creatura, ac ne simul quidem omnis exhibere poterat, sed infiniti valoris, potestatis, dignitatis, opulentiæque personam, quæ id præstaret requirebat, propterea hæc difficultas, cum toto suo, quantumquantum in justitia Dei fuit pondere, in Christi Dei-Hominis humeros devolvebatur, immensumque & perennem dolorem in ejus Anima operabatur.

III. *Tertia Difficultas* fuit: ex habitu, conditione, atque statu violatoris, invasorisque in Divinum Ius & Dignitatem, habituque Rei læsæ majestatis Divinæ, qui Christo imponebatur, & subeundus fuit, ad hoc si vellet, & ad hoc ut posset hominum redemptionem peragere. Fuit hæc Rei & Violatoris Divini Iuris & Dignitatis habitûs susceptio; usq; adeò Christo Domino gravis, & onerosa, ut suâ gravitate, omne reliquum onus Passionis quod supportandum erat in opere redemptionis, longè, longissimeque antecederet, & nisi Charitas Christi, atque liberalitas

talitas erga Deum, & erga nos propter Deum, amaritudinem hujus status mitigasset, acerbitatem dulcorâsset, onerositatem sublevâsset, turpitudinem honestâsset: poterat Dominus IESVS, ob hanc unicam Redemptioni nostræ adnexam conditionem, oneri, & operi Redemptionis nostræ penitus renuntiare. Idque etiamsi tantùm unius peccati, atque peccatoris speciem, & vultum suscipere debuisset. Quantò verò magis id poterat facere, debebatque abhorrere, quando & omnium sceleratorum, & simul omnium scelerum habitum induere, speciem, & formam exhibere, reum se gerere, & suppliciis omnium sese exponere, atq; supponere, jubebatur? Quid enim magis horrificum, quid magis abominandum, quid magis indignum, quid magis repugnans Dei Personæ atque Dignitati, quàm reum peccati etiam minutissimi, videri, reputari, judicari, damnari, speciemque & formam suscipere? Quis ferat substantialem sanctitatem, Innocentiæque Fontem, sordidissimâ peccati, & peccatoris veste indui, cum iniquis, imò Caput iniquorum, non tantùm apud ingratos, impiosque homines, verùm etiam apud ipsam Dei Æterni pietatem, apud ipsum Justitiæ æternæ tribunal statui, reputari, & eo nomine suppliciis, tormentis, morti demum ipsi addici?

IV. *Quarta Difficultas* ex ipsorum peccatorum multitudine & enormitate in Christum se evolvens. Manifestum est enim, immensam quandam immanitatem esse peccatorum & malitiæ, fœditatisque eorum, cui capiendæ, nullus humanus intellectus sufficit, quæque omnem dimensionem, sive latitudinis, sive altitudinis, sive profunditatis, sive longitudinis excedit, ducens initium à primo lapsu Protoplasti, usque ad ultimum mundi finem: hujus tanti malitiæ oceani atque abyssi expiatio, & abolitio, ad æqualitatem rigorosam requirebatur, & cùm ea nulli creaturæ possibilis esset, ad extremum Homini-Deo Christo imponebatur, imò imposita est: juxta illud Isaiæ 53. 6. *Posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum.* Quæ impositio, quamvis à Christi Charitate totis viribus cordialis alacritatis excepta est, immanem tamen simul difficultatem menti Christi objecit: quam non semel per voces Prophetarum testatus est: ut cùm Psalmo 21. 1. ait. *DEVS DEVS meus, ut quid dereliquisti me? longè à salute mea, verba delictorum meorum.* quasi dicat Patri Æterno. Id circo me dereliquisti, quia peccata & delicta, quæ in me translata, & mihi imposita suscepi, nullam mihi vitæ meæ spem faciunt, nullam viam salutis relinquunt, sed me ad mortem adigunt. Et alibi, Psalmo 39. 13. *Quoniam circumdederunt*

derunt me mala, quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ. Verbâ sunt Christi de peccatis, & sibi impositis, & à se assumptis ad satisfaciendum pro eis, sed laboriosissimè, sed ærumnosissimè, atque insuper lethalissimè. Quæ fuit

V. *Quinta Difficultas* Christo objecta etiam in primo limine vitæ suæ. Iam tunc enim Christus Dominus plenissimâ cognitione cognovit omnem enormitatem pœnarum, & calamitatum, & mortis, sibi præparatam & assignatam, tum in omni vita sua secutura, tum verò præcipuè in epilogo vitæ, atque in tempore actualis Passionis suæ: sciebat quoque jam tunc Dignitatem & excellentiam Personæ, atque Innocentiæ suæ: sciebat & teneritudinem complexionis temperieque suæ Theandricæ: sciebat mensuram omnium & singulorum dolorum suorum. Ex hac scientia non poterat non oriri, in tenerrimo corde Hominis Dei, adæquata cognitioni apprehensio, & tam rationali, quàm sensitivo appetitui repræsentatio, ex hac autem amborum haud dubiè proportionata adæquataque afflictio, & angustiatio, atque (ut Dominus ipse loquutus est) Coarctatio. Cujus rei evidens experimentum fuit in horto, ubi Christus & expertus, & confessus est, Tristitiam animæ suæ fuisse usque ad mortem, cum tam enormibus angustiis, ut deduci ad agoniam, & ad sudorem sangvineum, naturam humanam in Christo tenerrimam oportuerit. Quæ animi animæque Christi angustiæ, semel quidem tantùm prædictâ occasione in apertum prorupêre, at non solâ hac occasione, Animæ Christi insedêre, verùm ex quo in ærumnarum suarum vivacissimam cognitionem Christus venit, venit autem in ipso vitæ suæ limine, ex eo etiam & apprehensionem cognitionis, objectisque cognitis parem, & appetitibus ambobus, repræsentationem atque impressionem adæquatam concepit, totâque deinceps vitâ persensit: estò dispensatoriè eam foras erumpere non nisi ab Hortensis luctæ initio, & tempore permisit.

VI. *Sexta Difficultas* Christo Domino se objecit ex obligatione à se susceptæ pœnitendi atq; dolendi in Animo pro nostrûm omnium, omnibus quoque peccatis, super se assumptis, & ad satisfactionem pro eis præstandam à se acceptatis. Omni enim peccatori, sive propria sua peccata, sive aliena quidem sed in se assumpta abolere cupienti, primò omnium agnoscenda peccata, deinde pœnitentiæ dolor, & retractatio in animo habenda atque exercenda venit, ac tandem satisfactio exhibenda condigna, exterioribus aliquibus operibus, acceptis illi, cui exhibetur. Proinde & Dominus Iesvs hunc ordinem in nostrorum expiatio-

piatione peccatorum servavit, primò namque reum se, atque peccatoris speciem habitumque gerentem, Deo exhibuit; tum pro omnibus & singulis peccatis, condignum in mente sua, & corde suo dolorem, ac pœnitudinem deprompsit, ac tandem, ad exteriorem quoque Passionem & mortem pro iisdem nostris tanquam suis peccatis accessit. Quantus verò dolor ille pœnitentiæ fuerit in corde Christi, docere potest tum immensa Dignitas, Sanctissimaque Iustitia Dei peccatis violata, tum Christi, in Divinum honorem, & nostram salutem Amor, & Zelus, tum indignitas scelerum in Deum patratorũ, tantâ eluvie, tantâque exundatione, ut eis eluendis, nulli oceani, nulli aquarum, estò ex omnis creaturæ lachrymis per omnem æternitatem aggregati gurgites abyssique satis unquam fuerint futuri, sed oportebat Divini ipsius Cordis fontes & cataractas in ablutionem resolvi, atque effundi.

Septima Difficultas fuit objecta Cordi Christi Domini ab immanitate soli Christo satis comprehendendæ æstimandæque damnationis æternæ, peccatoribus propter scelera sua indubitanter debitæ, atque etiam irremissibiliter luendæ. Caput erat, & Caput se esse sciebat, (quin & amabat) nostrum, Dominus IESVS: nos verò omnes corpus ejus & membra ejus, quorum ille integritatem & salutem curaturus advenerat, & in se susceperat, eamque operam, vitæ salutique propriæ anteposuerat: damnationis æternæ malum penitissimè noverat, & suis momentis expendebat: illi obnoxia esse, & fore, membra illa sua evidenter sciebat atque videbat; & quomodo quæso dolore Cordis intrinseco non tangi, non inquam angi, & non cruciari omnibus vitæ momentis poterat? una illa cogitatio: quòd (verbi gratiâ;) Iudas in æternum à Christo alienandus, & nunquam ejusdem corpori reinserendus, sed in sempiternis pœnis demergendus esset: omnibus cruciatibus, omnibus crucibus, omnibus Crucis doloribus, gravior fuit, atque intolerabilior. Quem dolorem quàm altè infixum, & quàm perpetuò molestum haberet in Cordis sui divini penetralibus, ipsemet Dominus attestatus videtur. *Nonne ego duodecim elegi vos, & unus ex vobis diabolus est.* Ioannis 6. 71. Et ad Patrem loquens: dum ait. *Quos dedisti mihi, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis.* Ioannis 17. 12. Hic Iudas Diabolus, gravior Christo fuit, quàm Lucifer cum omnibus asseclis suis: & in hoc perditionis filio amplius Christus doluit, quàm in tota sua Passione, atque perditione. Magnitudo namque mali, perfectè præsertim cogniti, parem causat doloris tristitiæque magnitudinẽ. Et cùm malo damnationis æternæ nihil sit gravius, & illud Christo VII.

Domino jam inde à Conceptione sua perspectissimum fuit, simulque universam generis humani aggregationem illi obnoxiam, atque destinatam, certissimum exstitit: quis tandem cogitare sufficiet, qualem quantumque Dolorem, ac mœrorem Cor Domini IESV Christi, ex hoc objecto adeò calamitoso, & nullis lamentis elamentabili, pertulit, & totâ quidem vitâ pertulit?

VIII. *Octava Difficultas* dolorifera objecta fuit Christo, ex vilitate, atque indignitate, necnon inutilitate hominum, & in sua quidem ipsorum naturali creataque, & multò etiam magis in peccatrice, peccatoque destructissimæ, & defædatissimæ, conditione. *Quid est homo, quòd memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum?* ajebat demirans David Psalmo 8. 5. Quid dixisses mi Propheta, si hominis non memorem, sed propter Hominem, Deum Hominem factum, & pro eo indigna omnia extremaque passum vidisses? Certè tanta Dei propter vilissimos, & nullius frugis usûsque homines, profusio & dejectio, nulli alteri causæ præterquam excessivæ ac nimiæ dilectioni attribui potest. Cur autem adeò dilexerit hominem Deus: nullam causam reperire est possibile, nisi in ipsamet dilectione sua, alioqui si ad causas ex hominibus respicias, innumeras invenies contemnendi, nullam autem diligendi causam. Dilectio ergo, divino Dei nostri cordi, quatenus quidem à charitate fluxit, dulcissima illi fuit, at quatenus ad vilissimos homines sese ex mandato charitatis exporrexit: acerbissimum eidem cordi Dolorem, repugnantiamque ingessit.

IX. *Nona Difficultas* Dolorifera Christo Domino se obtulit, ex ingratitudine, malitiâ, & sterilitate, contemptioneque hominum omnium, quâ usuros homines secum prævidebat, & pervidebat Dominus noster, tam vivente se atque conversante se inter illos, tempore vitæ suæ mortalis, quàm etiam deinceps post suum in cœlos abitum, usque ad mundi finem. In totius generis humani populo unum alterumue hominẽ vix Christus scientiâ suâ omniscià videbat, plenè & planè gratum futurum, sumptibus, laboribusque suis, à se propter homines impensis, & exhaustis: at verò infinities infinitos videbat, qui similiter infinities infinitis, iisdemque enormissimè sceleratis modis, futuri erant beneficiorum, dolorum, ærumnarum, mortisque suæ, plùs quàm ingrati, plùs quàm contemptores, plùs quàm abjectores, conculcatores, & omnium pessimorum pro omnibus optimis redditores. Hos tales videre, & prævidere, & innumerato adeò multos habere, & omnium singulorum sceleratam ingratitudinem, ingratamque malignitatem

perno-

pernoscere, & nihilominus ad faciendum eis omnia bona, ad subeundum pro eis, ab eisque etiam ipsis omnia infanda, amanter, libenter, liberaliter, profusè, prodigèque, Deum-Hominem descendere: quis cogitabit, sibive persvadebit, potuisse hoc absque intimo, absque viscerali, absque incogitabili dolore, mœrore, horroreque cordis IESV inhærere? *Filios enutrivi & exaltavi, illi autem spreverunt me*: queritur alicubi Dominus apud Isaiam. 1. 2. Quid cogitabat, quid ipsum sibi dicebat Cor Boni IESV, videns ac dicens. Cùm in forma Dei essem, exinanivi me ipsum formam servi accipiens. Cùm sine peccato essem, pro omnium peccatis passus sum. Cùm essem vita, pro omnium morte mortuus sum: ipsi autem spreverunt me, ipsi autem in semetipsis, iterum, iterum, iterum, iterumque crucifigunt me. De filiorum Heli ingrata victimarum tractatione, dolenter loquens Deus. *Calce abjecistis victimam meam.* 1. Reg. 2. 29. Carnes scilicet hircorum, arietum, boum Deo immolatorum. Quid sensit Dominus noster JESVS Christus, pro mundo ceu Agnus ad victimam ducendus atque immolandus: quin & ductus atque immolatus: & tamen ab eodem ingrato mundo, & calce abjiciendus, & in Cruce mactandus, reque ipsâ crudeliter & abjectus, & mactatus.

Decima Difficultas Doloris in Christi Domini corde Seminarium fuit, ex Hebraici populi ingratitudine, malitiaque erga Christum peculiariter suum, sibi, & ex suo sanguine, speciali Dei munere missum, atque donatum. Itemque ex ejusdem ingratissimi populi propter scelus in Christum commissum abjectione, & repulsâ à Deo, ab omnibus electi populi prærogativis. Fuisse hoc & quidem magni doloris mœrorisque Christo Domino Seminarium, tum res ipsa indicat naturâ suâ, tum ipse Dominus, tam per Prophetas, quàm per sua ipsius verba indicavit. Fuit in Domino nostro tener affectus erga gentem & sangvinem Abrahæ, eò quòd ex eo nasciturus, atque etiam natus erat: expressit hoc apud Ieremiam. 13. 11. *Agglutinavi mihi omnem domum Israel, & omnem domum Iuda: dicit Dominus: ut essent mihi in populum, & in nomen, & in laudem, & in gloriam, & non audierunt.* Et apud Isaiam. 1. 3. *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognovit, & populus meus non intellexit.* Ibidem V. 24. *Propter hoc ait Dominus Deus exercituum fortis Israel: Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabo de inimicis meis.* Expressiùs portò & affectuosiùs animi sui, & dolorem, & mœrorem, ex ingrati infelicisque populi ejusdem abjectione, & reprobatione indicavit, quando X.

appropinquans & videns Civitatem, flevit super illam, dicens. (Lucæ 19. 44.) *Quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Quodsi Paulus Apostolus fidenter de suo in populum suum à Deo abjectum affectu loquitur sic. Rom. 9. 1. *Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia meâ, in Spiritu Sancto: quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo: optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundùm carnem, qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa: quorum Patres, & ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia DEVS benedictus in sæcula Amen.* Hæc inquam si Paulus in se persensit ob ruinâ populi sui. Non sensit tantò amplius Christus, quantò plus beneficentiæ suæ profudit in populum suum (maximè carnem ex eo sibi assumendo) quàm profundere vel mero desiderio potuit Paulus? Fuit ergo ruina populi, & abjectio, & malitia, atque perditio populi sui, Christo, magna tristitia, & continuus cordis dolor: pro quo & *factus est maledictum: maledictus omnis qui pendet in ligno.* Gal. 3. 13. Deut. 21. 25. Propter hunc dolorem Domini nostri ex scelere ac perditione ob illud populi Iudaici: agnoscit Hieronymus illâ oratione Domini ad Patrem in horto. *Pater mi si possibile est, transeat à me calix iste. non dixit transeat à me calix: sed calix iste: hoc est populi Iudæorum: qui excusationem ignorantiæ habere non potest, habens legem & Prophetas, qui me quotidie vaticinantur.* Levius ergo fuisset Christo, & minus peccatum necis ejus, minorque ob ea damnatio alicujus alterius populi: qui ignorâsset, de cujus sanguine Christus carnem non sumpsisset: in quo passu ei Pilatus non exprobrâsset. *Gens tua & Pontifices tui, tradiderunt te mihi.* Joan. 18. 35. Sed neque Christus eidem Pilato dixisset. *Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Joan. 19 11.

XI. *Undecimum* Doloris interni Christo Domino ab initio vitæ usque ad mortem fuit Seminarium. Exiguitas fructûs, paucitasque salvandorum efficaciter per suam Incarnationem, Vitam, Labores, Miracula, Merita, Virtutes, Cruciatus, Opprobria, Crucem, & Crucis mortem. Sæpe in ore Christi fuit vox illa. *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi*: quæ cogitatio nunquam non fuit in Christo, nunquam non saucia-vit Cor Christi. Unde & per Prophetam quærit queriturque. *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Psal. 29. 10. Et per alium deprecatur dicens. *Terra ne operias sanguinem meum:*

neque

vegne inveniat in te locum latendi clamor meus. Job 16. 19. Quomodo enim sine dolore plùs quàm doloroso esse potuit Dominus JESVS : perfectissimè cognoscens Passionem & mortem suam, millenis, imò infinitis mundis, si applicarentur salvandis suffecturam : nihilominus nonnisi paucos electos efficaciter salvaturam : infinitis autem reprobis, propter malitiam eorum, non tantùm non profuturam, sed etiam ad cumulum æternæ damnationis accessuram.

Duodecima Doloris interni Domino nostro fuit seges, Amicorum & notorum suorum, inprimis verò Dignissimæ Matris suæ afflictio, atque (uti Simeon vocavit) Doloris gladius, qui Animam ejus pertransiturus erat in omni Passione Filii, si enim eum gladium prævidebat, & prænuntiabat, jam olim adhuc Infante IESV, Senex Propheta Simeon: quantò magis prænoscebat, illo jam etiam tempore Dominus JESVS : cujus Spiritu afflatus de eo prophetabat Iustus? Non minùs certè tunc quoque diligebat IESVS Matrem, quàm cùm aspiciebat de Cruce ipsam Cruci suæ adstantem. XII.

Decima tertia Dolorum internorum Christi Domini materia fuit, prævisi omnes dolores, labores, ærumnæ, cruciatus, quoscunque passuri erant omnes Apostoli, omnesque Martyres, in quibuscunque tormentis. Confessores item in suis mortificationibus, afflictionibusq; Animi & Corporis, in persecutionibus, calumniis, contumeliis, censuris, detractionibus, jejuniis, vigiliis, paupertate, orationibus. Virgines quoque in certaminibus & defensionibus, & custodiis pro castitate. Conjuges in carne non secundùm carnem militantes, in operibus bonis abundare satagentes, hoc mundo tanquam non uterentur utentes, in eleemosynas pauperum bona sua dispergentes, educationi filiorum, administrationi familiarum, & bonorum suorum laboriosè & periculosè insistentes. Præpositi quoque, & in Magistratu curaque aliorum positi, in suis administrationibus, & pro suorum salute, ac securitate, atque profectu, tanquam rationem reddituri pervigilantes. Omnes demum fideles, cum timore & tremore salutem suam operantes, & eam certam facere satagentes, tentationibus quotidie, & dæmonibus, carni quoque & sanguini rebelli, & mundo insidianti resistentes, atque repugnantes, vim & violentiam cœlo facientes. Hos enim omnes & singulos, omnium singulorumque hominum fideliumq; suorum, labores, & dolores, Dominus noster JESVS Christus, in semetipso, interno suo sensu, affectioneque, & suscepit, & sensit, dolens, gemens, orans pro omnibus: gratiam : robur, auxilium opportunũ, impetrans XIII.

omnibus. Sciens se esse vitem, nos autem palmites; sciens se caput, nos membra; sciens nos absque eo nihil posse facere. Nam in post ascensionem ajebat Saulo: quid me persequeris? qui tamen non ipsum, sed credentes in ipsum persequebatur: quidni & totâ vitâ suâ, omnium suorum ærumnas pertulit; in omnibus eas portantibus, & portaturis, ipse simul portans.

XIV. *Decima Quarta* Difficultas, quæ se objiciebat Christo in salute nostra, & dolorem Animæ ejus per totam vitam inseminabat, fuit ex Institutione futura Sacratissimi Sacrificii atque Sacramenti altaris: quam facturus atque subiturus erat, & quam subiturũ se noverat, atq; etiam statuebat, usque ad mundi finem. In quo suorum operum opere per omnem veritatem maximo, intuebatur perfectissimè Dominus Jesvs, quantas subiturus erat, toto isto durantis sæculi, ad usque finem, cursu (ut uno verbo dicam) Indignitates, seu indignissimas suâ Dignitate Divino-Humanâ, suâ Pietate, Bonitate, atque Charitate, suâ liberalitate, atque miseratione, suâ dulcedine atque benignitate infinitâ, tractationes, per tot sæcula & annos, in tot locis, in tot, & à tot hominibus, tot talibusque modis, plùs quàm sceleratis, plùs quàm impiis, plùs quàm indignis, plùs quàm sacrilegis. Audeo dicere hoc unum charitatis, atque dignationis Christi opus, quo se ad omnes in Sacrificio & Sacramento altaris subeundas indignitates resoluit, pluris constitisse, & plus horroris, doloris, mœroris, tergiversationis Christo intulisse, ejusque cordi incussisse: quàm omnes aliæ ejus ab instanti Conceptionis usque ad finem vitæ, imò quàm omnes aliæ quæcunque abjectiones, humiliationes, perpessiones, excruciationes, cum ipsâ Crucis morte, intulerunt, incusseruntque.

Plura de Doloribus Domini Nostri internis, deque eorum per totam vitam suam perpessione, non addo. Hæc ut arbitror, sufficiunt probare, sententiam hanc, nec stultitiæ, nec falsitatis, nec temeritatis, nec præsumptionis posse damnari, neque esse contra apertam scripturam: uti alicui pronuntiare visum est.

Septem accommodationes Passionis & Orationis Dominicæ, aliâ quondam occasione conscriptas, his meditandi Passionem Christi modis accensere volui: arbitratus hanc quoque meditandi rationem devotis amatoribus contemplatoribusque Passionis non ingratam nec inutilem fore.

ACCOM-

ACCOMMODATIO I.

CONferre septem postulationes Orationis Dominicæ, septem effusionibus sanguinis Christi in Passione.

Pater noster qui es in cœlis.] Oratio & ascensio mentis in Deum, qui cùm peculiariter in Cœlis resideat (estò Cœlum & Terram impleat) idcirco Christus Dominus docuit nos hunc in modum orationem nostram inchoare, ut ad Patrem in Cœlo manentem corde ingredientes, ibi eidem petitiones nostras exponamus.

Sanguis JESV Christi est clavis Cœli: quâ ille omnibus hominibus, Cœlum peccato occlusũ reseravit. Hanc ergo clavem accipe, & Cœlum tibi reserans ingredere, & appropinquans ad Thronum Majestatis Dei cum fiducia, dic Patri cœlesti. *Pater noster, qui es in Cœlis.*

Ex Evangelica narratione habemus, Christum Dominum septies potissimùm fudisse pretiosum sanguinem suum, ad has effusiones sanguinis conferre potes totidem Postulationes Dominicæ orationis.

Prima Petitio. *Sanctificetur nomen tuum.* Prima sanguinis Christi effusio fuit in Circumcisione, octavo à nativitate die, quo etiam Sacrosanctum nomen JESVS à Patre quidem Æterno donatum, à Pretiosissima autem Parente inditum accepit.

Consecrâsti & perfudisti bone JESV sanctissimum tuum nomen, sanguine tuo: infunde etiam obsecrò pretiosum istud nomen tuum, in corda omnium nostrûm, ut in nobis per merita sanguinis tui, semper & ampliùs sanctificetur & magnificetur.

Secunda Petitio. *Adveniat Regnum tuum.* Altera effusio sanguinis fuit in coronæ spineæ impositione, quâ Caput Christi Domini crudelissimè confossum, sauciatum, & cruentatum fuit. Hoc cruore Dominus JESVS nobis cœleste regnum mercatus est, fecitque nos Patri Regale sacerdotium.

O Bone JESV adveniat quæso hoc tuum Regnum in nos, & nos in illud: & per merita sanguinolentæ Coronæ tuæ, corona nos æternæ gloriæ coronâ, in beatissimo Regno tuo.

Tertia Petitio. *Fiat voluntas tua, sicut in Cœlo & in terra.* Tertia sanguinis effusio fuit in horto, quando inter orandum ad Patrem sanguinem fudit Dominus, submittens se ad omnem voluntatem ejus, & ad ebibendum calicem amarissimæ Passionis atque mortis, sibi à paterna manu pro nobis propinatum.

Da & fac ô Bone JESV tuam sanctissimam voluntatem gustabilem, ut sem-

ut semper à nobis, & in nobis perfectissimè impleatur. Respergе sanguinei sudoris tui rore copioso corda nostra, & voluntates nostras, ut plenè, sincerè, æternaliter, voluntati tuæ subjectæ manentes, nullo unquam modo sese ab ea separent.

Quarta Petitio. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quarta Christi sanguinis effusio, fuit in flagellatione ad columnam: in qua corpus Boni Jesv multis vibicibus, & vulneribus, instar frumenti planè in farinam commolitum; Anima verò Sanctissima pane doloris & amaritudinis saginata fuit.

Da nobis Bone Iesv gustum in pane quotidianæ tribulationis, propter amorem tuæ benedictæ voluntatis: condiens eum nobis condimento tui pretiosi sanguinis: ut nobis omne gaudium sit, pati semper aliquid amarum, à svavissima tua Providentia nobis ordinatum.

Quinta Petitio. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quinta sanguinis Christi Profusio, fuit in detractione vestium, ad cruentum vulneratumque Domini Iesv Corpus, tenaciter adhærescentium: quæ detractio præter acutissimum dolorem, vulnerumque renovationem, fieri non potuit absque magna & multiplici sanguinis effusione.

O mi Jesv quoties renovamus nos peccatores vulnera tua amarissima, dum ad inolita revertimur peccata? Attamen tu dissimula inconstantiam nostram, renova autem indulgentiam tuam. Effunde iterum atque iterum balneum sanguinis tui super iniquitates nostras, propter quam & nos iteratò & iteratò condonamus debitoribus nostris, omnia debita nostra.

Sexta Petitio. *Et ne nos inducas intentationem.*] Sexta effusio sanguinis fuit, quando Christus Dominus noster Cruci affixus & inter latrones deputatus, venenatisque & blasphemis omnium linguis, tanquam signum, cui ab omnibus contradiceretur, expositus fuit.

Assume tibi crucifixum hunc Iesvm in scutum contra omnes tentationes, adversitates, periculaque corporis & animæ. Sanguine pedũ ejus, ablue & emunda inordinatos affectus tuos. Sanguine manuum ipsius supple & adorna paupertatem nuditatemque operum tuorum, ut sanguine isto signata non iram, sed gratiam, nec pœnam, sed mercedem coram oculis Dei inveniant, & de manibus ejus referant.

Septima Petitio. *Sed libera nos à malo. Amen.*] Septima sanguinis effusio fuit, in transfixione lateris & cordis Domini Jesv jam mortui, ex quo vulnere exivit sanguis & aqua. Sanguis quidem in pretiũ

redem-

redemptionis: Aqua autem in ablutionem omnis peccatoris.

Pete, ac impetra te admitti ad hoc balneum, & in ibi ablue ac depone omnia inquinamenta cordis tui. Fuge sicut columba simplex, & imbellis à facie rapacium milvorum, ad foramina hujus petræ, & ibi securè inhabitans requiesce, non solùm nihil mali formidans, sed etiã apertum æternæ felicitatis ostium possidens.

ACCOMMODATIO II.

CONferre septem extrema Christi in Cruce verba cum septem Postulationibus Orationis Dominicæ.

Pater noster qui es in cœlis.] Crux Christi est veluti navis, aut pons super mundi & vitæ hujus stagnantes aquas, stratus, in eorum gratiam & commoditatem, qui hanc navem, aut pontem istum, ad vitæ suæ viam adhibere volunt. Cave exscendas navem hanc, cave pontẽ hunc negligas, indubitatè namque diluvium absorbebit te. Insiste potiùs ponti huic perque eum progrediens portum tene, portamq; resera cœlestem tibi, & coram throno Majestatis Dei prostratus dic toto corde tuo. *Pater noster, qui es in cœlis*: coram Te ego vilis creatura effunda desideria cordis mei, &c.

Prima Petitio. *Sanctificetur nomen tuum.*] Primum verbũ Christi in Cruce. *Deus meus Deus meus, quare me dereliquisti.* Semper & assiduè Dominus Jesvs, cor suum ad Patrem Æternum conversum & adhærens habebat, & tam in prosperis, quàm in adversis nomen ejus sanctificabat, nec in Cruce pendens, à consuetudine sua cessavit, sed in ipsa etiam amarissima derelictione vocem nihilominus & mentem suã devotissimè, humillimè, fidentissimèque ad Patrem convertit.

O Bone Jesv propter nos in doloribus Crucis derelicte, & nihilominus nomen Patris tui sanctificare non oblite, doce me, & mecum omnes servos tuos sanctificare nomen tuum divinum, tam in prosperitatibus, quàm in adversitatibus: præcipuè autem & nominatim in ultimo agone mortis, à Te non derelinquamur, sed potiùs omnipotentis dexteræ tuæ auxilio, ita efficaciter confirmemur, conservemurque, sicut fiducialiter ad Te confugientes clamamus, Deus Deus noster, ne derelinquas nos nunc, & in hora mortis nostræ.

Secunda Petitio. *Adveniat regnum tuum.* Aliud Christi in Cruce verbum fuit. *Hodie mecum eris in Paradiso.* Quo verbo exaudivit Dominus Jesvs latronem petentem ac dicentem sibi, Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum. O admirabile certamen! latro

solam sui reminiscent aut mendicat, Dominus verò integrum suũ regnum plenamque secum beatitudinem absque ulla dilatione confert.

Et ego licèt repletissima iniquitate creatura tua, obsecro Te liberalissime JESV, euacua me ab omni amore studioque hujus mundi, & inflãma me incessabili desiderio regni tui; & quandocunq; ego petens dico, *Adveniat regnum tuum*; Tu ex bonitate tua semper in vita & morte mihi responde. *Hodie mecum eris in Paradiso* cœlestis gloriæ.

Tertia Petitio. *Fiat voluntas tua, sicut in Cœlo & in terra.* Tertium in Cruce Christi verbum fuit. *Consummatum est.* Totũ scilicet quidquid in scripturis scriptum, quidquid à Patre in Cœlo decretum de Christo fuit. Habes homo, exemplar vivum consummatæ obedientiæ, subjectionisque ad voluntatem Dei. Felix anima quæ semper, quæ veraciter, quæ in omni vitæ mortisque articulo dicere potest Deo suo. Consummatum est Domine universum beneplacitum tuum. Exora ergo humillimâ instantiâ bonitatem Dei, ut te transformet nunc quidem in perfectam subjectionem, postea verò in beatificam fruitionem suavissimæ voluntatis suæ.

Quarta Petitio. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quartum Christi in Cruce verbum. *Sitio.* Quo verbo Dominus JESVS testatus est, non tam sitim suam corporalem, (licèt & hanc ardentissimã passus sit, ob immanitatem, diuturnitatemque pœnarum) quàm potiùs interiorem salutis animarum nostrarum. O mi homo, JESVS præ fame sitique salutis animæ tuæ moritur: & tu nihilominus procrastinatione tuæ pœnitentiæ, tuæ emendationis, tui profectûs excruciare illũ non desinis? Te Deus ardentissimè sitit, tu autem ingratissimè Deum contemnis? siti tandem & ipse vicissim Deum. *Hoc enim bonum solâ voluntate tibi venale proponitur, cupiditatem ipsam sui Deus ingentis pretii loco habet. Sitit sitiri.* Ergo quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita sitias Deum, ita sitias tuam & proximi salutem, in virtute profectum, cum Christo conformitatem, cum Dei voluntate unionem. Hic sit tuus quotidianus panis, quotidie renovari Spiritu mentis tuæ, & æmulari charismata meliora, te aliosque tecum ad perfectiorem viam Dei trahere & rapere. Non potes meliore viatico ac pane viam vitæ mortisq; tuæ instruere, quàm pane assidui in gratia virtutibusque profectûs, quàm alienæ salutis ardenti & laborioso zelo, quàm Sacrosancti Eucharistiæ Sacramenti convivio. Hæc enim omnia sunt Panis electorum Dei.

Nazianzenus Orat. 40.

Quinta Petitio. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus*

mis debitoribus nostris.] Quintum Christi verbum in Cruce. *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Hoc verbo Dominus Iesvs crucifixoribus & interfectoribus suis postulavit & paravit misericordiam apud Patrem. O si quomodo liceat potiri hoc corde, & discere hoc idioma Iesv: ut homines condiscant isto idiomate, condiscant inimicos suos & debitores convincere.

Ecce Domine Iesv innumeros habes crucifixores tuos, ecce habes & me, unum illorum, inter ipsos; impetra quæso nobis omnibus omnium indulgentiam veniamque culparum, præsertim in articulo mortis meæ, propter articulum mortis tuæ, & dimitte mihi omnia debita mea, sicut & ego per gratiam tuam, propter charitatem tuam, dimitto omnibus debitoribus meis omnia debita mea.

Sexta Petitio. *Et ne nos inducas in tentationem.*] Sextum Christi verbum in Cruce. *Ecce filius tuus, Ecce Mater tua.* Quo verbo Dominus Iesvs Matrem suam juxta Crucem stantem, discipulo Ioanni, Ioanni[illegible]que Matri suæ commendavit. Nemo potest esse immunis à Cruce, quilibet sub Cruce esse cogitur; non tamen omnes sub Cruce Iesv sunt, neque omnes, estò sint sub Cruce Iesv, subsistunt. Multi sub ea jacent, multi gemunt, multi sub ea tœdio nauseant, multi eam objiciunt. Non est hæc consulta ratio, cruces, tentationes, adversitates, cum murmure, cum ira, cum tœdio tolerare. Stare oportet modestè, quietè, patienter, fortiter, hilariter, famelicè, humiliter, constanter, maximè quando IESVS ipse propter me in Cruce pendet, dolet, moritur. Grande utique discrimen est, pendere affixum in Cruce; & stare solummodo sub Cruce: sufficit tamen si vel hoc solum præstes, tradet te Iesvs Matri suæ in filium, & tibi Matrem, Matrem suam. Quæ pretiosior consolatio sub cruce stanti, quod majus subsidium in tentationibus posito, quæ major felicitas, & gratia in quavis adversitate, ac inprimis mortis tempore, quàm habere Matrem Iesv in Matrem suam, esse Matri Jesv in ejus filium, nec unquàm dum spiras, deserere IESV Crucem?

Septima Petitio. *Sed libera nos à malo.* Septimum verbum Domini, in Cruce. *Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum.* Hoc verbo Iesvs concluſit vitam & Passionem suam, cumq; isto verbo, portas mortis subintravit. Quid tu igitur ô homo tibi desideres & quæras amplius, quàm ut exemplo Christi Iesv commendatâ & traditâ in manus Patris Æterni animâ tuâ, exeas ex hoc misero mundo ad Patrem? Nunc dum licet per vitæ tempus eam tibi apud Patrem Deum para fi-

duciam. Nunc ama & imple omnem voluntatem Dei. Sic in hora mortis confidenter dices Deo; Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.

ACCOMMODATIO III.

CONferre septem loca Passionis Dominicæ, cum septem postulationibus Orationis Dominicæ.

Pater noster qui es in cœlis. Passio Salvatoris nostri, est veluti semita ad cœlum & vitam æternam: qua de re certos nos reddidit, ipse Dominus, cùm post Resurrectionem suam, dixit discipulis suis. Oportuisse Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Insiste igitur huic semitæ & tu, ac inter indubitata salutis consequendæ, signa connumera, si quando te Dominus Iesvs dignatur participem facere Crucis & Passionis suæ.

Prima Petitio. *Sanctificetur nomen tuum.* Primus Locus Passionis Domini est. Mons Calvariæ, in quo Dominus Iesvs Crucifixus & medius latronum statutus, adimplevit illud promissũ suum. *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum;* ad fidem scilicet notitiamque veri Dei, ad sinceram quoq; ejus dilectionem, ad mundi ejusq; vanitatum contemptum.

Ioan. 12. 32.

O Bone Iesv, ecce cor meum terræ affixum, amoris proprii, plurimarumque curarum sarcinâ gravatum, affectibus & passionibus immortificatis, inordinatis infectum, ad tuæ Majestatis voluntatisque obsequium rebelle; trahe quæso illud, ad te, omnipotenti gratiâ tuâ, & voluntate, ut Sanctissimum Majestatis tuæ nomen sanctificet, ac veneretur.

Secunda Petitio. *Adveniat Regnum tuum.* Alter Locus Passionis Domini fuit, Prætorium Pilati, coram quo Dominus noster Regnum suum spirituale confessus est, & à Pilato Rex nuncupatus, & concupiti regni nomine à Iudæis accusatus, eadem de causa ibidem spineo diademate coronatus, purpurâ vestitus, Rex genu flexo consalutatus, sceptro arundineo, consputationibus & alapis dignatus est.

O mi Iesv, quàm magno Tibi constat hoc miserum satis super nos peccatores, & inutilissimos homunciones Regnum! O nullum sinas dominari nobis Dominum, præter Te Domine Iesv Rex vere. Ecce enim superbia dicit nobis; Ego regnabo. Ecce ira dicit; Ego Rex ero. Ecce Avaritia, Invidia, Luxus, Acedia, volunt regnare super nos. Averte mi Iesv hos Reges à nobis: Tu solus esto Rex noster. Tu so-

lus

lus possidet nos. Sit regnum tuum, maneatque in nobis & nos in eo. Ut Tu in nobis, & nos Tecum regnemus in sæcula.

Tertia Petitio. *Fiat voluntas tua, sicut in Cœlo & in Terra.* Tertius Locus Passionis Christi, Hortus; In quo Dominus Iesvs posteaquam se totum voluntati Paternæ permisit, sponte quoque suâ suis qui eum ad necem quærebant hostibus obviam venit, seseque obtulit. Non inhibuit Dominum Iesvm ab amore & obsequio voluntatis Divinæ gravitas rei imperatæ prorsus gravissima ex omni genere circumstantiarum. Cujus gravissimi oneris effectus in sudore sanguineo agoniaque mortali patuit, quando instar botri, in torculari pressi vel calcati, omnibus membris ejus guttæ sanguinis decurrentes, in terram emanârunt, estò hæc pressura in sola duntaxat mentis apprehensione fuerit peracta, & ne dum in opus externum re ipsâ producta.

O utinam aliquando in cordibus nostris ita pretiosa, æstimabilisq; fiat Divina voluntas, ut illam omnibus rebus, illi autem nullam rem omnino præferamus, propter nullas nostras privatas cupiditates, propter nullas humanas rationes, eam transgrediamur, sed potiùs eam semper plenè toto cordis conatu exsequamur, illi conformemur, in illam transformemur, illi ad instar Domini Iesv libenter, fortiter, constanterque adhæreamus, & subjiciamur.

Quarta Petitio. *Panem nostrum quotidianum, da nobis hodie.* Quartus Locus Passionis Christi fuit Cœnaculum, in quo postquam se Dominus Jesvs, ad usque discipulorum pedes lavandos abjecisset, stupendumque illud humilitatis magisterium facto, & verbo exhibuisset: dein sub speciebus panis & vini Corpus & Sanguinem suum fidelibus suis, in cibum & potum animabus salutarem obtulit, & reliquit.

O verè dilexisti nos Domine Jesv usque in finem? O homo, ecce Deus tuus, exhaustis omnibus liberalitatis suæ modis, totum se tibi impendit, & quidem in cibum etiam potumque impendit, idque eò solùm, ut tu vicissim te illi impendere ne graveris. Et audes etiam nunc moras nectere, audes inire rationes accepti & dandi? Nunquid credis plus te daturum Deo, dando te ipsum, quàm accepisti ab eo, accipiendo illum ipsum? Pro monstrum humanæ seu stultitiæ, seu sterilitatis, quæ dans se Deo, & accipiens Deum sibi, etiã veretur ne fortè plus dederit quàm acceperit? Redde igitur, redde te Deo tuo, & redde totũ, redde guttam, & accipies mare; redde granum, & accipies acervum; redde atomum, & accipies universum: redde nihil, & accipies totum. Permitte te Providentiæ Dei, qui semetipso pascit, & nutrit, & saginat

te, sine ut vicissim pascatur, nutriatur, sagineturque te, profectu tuo, amore tuo, desiderio tuo. Sis Panis ejus, qui est panis tuus, etiã enim Deus esurit à te ipsum te, sicut & tu mendicas à Deo ipsum se, panem quotidianum.

Quinta Petitio. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos, &c.* Quintus Locus Passionis Christi Domus Caiphæ Pontificis fuit: ubi Dominus noster falsò accusatus, malignè judicatus, injustè innocens ad mortem damnatus, crudeliter totâ nocte, tormento & contumeliâ interrogatus est. Numera & tu quoties in omni vita tua, Deus justo suo judicio invenit te reum mortis, & tamen usque hodie pepercit tibi oculus ejus: & misericordia Dei fecit, quòd nec dum in inferno habitet anima tua. Nonne supplicabis ardentissimè huic Amori tuo, ne abbreviet, amoveatque à te misericordiam suam, sed propter omnes injurias illas, quas propter te in domo Caiphæ totâ nocte sustinuit, condonet tibi iniquitates tuas, oblivisceturque injurias suas, donetque tibi cor misericors, & injuriarum facilè constanterque obliviscens, ut ita proximi debitores tui referant à Te veniam debitorum suorum: sicut tu optas & petis tibi à Deo referre condonationem debitorum tuorum.

Sexta Petitio. *Et ne nos inducas in tentationem.* Sextus Locus Passionis Christi Palatium Herodis Regis, in quo Dominus Jesvs, Majestas utique suprema, & Sapientia Æterna, pro stulto, pro ridiculo, pro insano reputatus est, & fatuorum morionumque albâ veste indutus, omnium sannis & jocis expositus est. Sic scilicet vera virtus, humilisque ac pauper innocentia, apud homines præsertim sæculi hujus pullos, & mundi Sapientes æstimatur insania & sinè honore, derideturque justi simplicitas, ab his qui astuti sibi videntur. Sed venient dies, quibus seró errorem cognoscentes, ipsi contra se sententiam ferent dicentes, & præ angustia spiritûs gementes. Ergo nos insensati, erravimus à via veritatis. Neminem igitur pauperem despexeris, neminem justum, & innoxium abjeceris, neminem derelictum deserueris, neminem simplicem & rectum irriseris unquam; omnium enim horum causa derelicta est Deo, & ipse causas eorum intuetur, simul ac tuetur. Quod si te ob Dei aut virtutis negotium, studiumve contemni, fatuumve reputari contingat, gloriare in isto nomine, & peculiarem id, Dei erga te favorem reputa. Etenim qui propter Iesvm despicitur, hic ab Jesv coram Patre Cœlesti ejusque Angelis prædicatur.

Septima Petitio. *Sed libera nos à malo.* Septimus Locus Passionis Christi, sepulchrum in quo Dominus Iesvs de Cruce depositus, maternis

nis delibutus lacrymis, sepultus est. Non deposuit se ipsum de Cruce Dominus, neque sponte suâ eam deseruit, non interrupit cursum Passionis suæ, non à tramite Paternæ voluntatis deflexit, donec in sepulchro clausus quiesceret. Vade, & tu fac similiter, tuis laboribus in via virtutis, perfectionis, operumq; bonorum, in bajulatione Crucis Christi, & persecutionum propter justitiam, sola mors, solumque sepulchrũ faciat finem. Quamdiu tempus mercaturæ est, negotiari ne desine, dum tempus habes bonum operare, donec vesper mortis adveniat, labora in vinea Domini, usque dum accipias diurnũ denarium, in præsenti quidem gratiæ, & meriti, in futuro autem gloriæ & præmii: usq; dum dicat tibi spiritus, ut requiescas à laboribus, à tentationibus, à conflictibus tuis, usq; dum detur tibi merces magna nimis in manus: possessio scilicet omnis boni, & securitas ab omni malo in æternum.

ACCOMMODATIO IV.

ACcommodando septem Petitiones Orationis Dominicæ, totidem convulnerationibus Christi Domini.

Pater noster, qui es in Cœlis. Dominus Jesvs Christus noster est in Cœlo Mediator & Advocatus apud Patrem: cujus in omnibus necessitatibus nostris vultui asistit pro nobis, ostentans ei vulnera, quæ pertulit pro nobis in corpore suo, & veluti ad Patrem ita perorans. Quoniam ego vulnera ista, propter obedientiam tuam, & propter salutem humanam pertuli, non ergo pereant hi, quos adeò pretioso lytro redemi, &c. Ea propter Dominus Jesvs, etiam in glorioso corpore prodiens è sepulchro, reservavit nihilominus præcipua manuum, pedum, & lateris vulnera, ut ejus ad Patrem interpellatio pro nobis efficacior, & salus redemptioque nostra certior quodammodo fieret. Ad hæc ergo vulnera confuge, hæc Patri Æterno repræsenta, ex his auxilia salutis prome, his te ab justâ ira vindictaque Dei protege.

Prima Petitio. *Sanctificetur nomen tuum.* Prima Convulneratio Capitis Christi Domini à spinea Corona, quâ sacratissimum Christi caput multipliciter, & profundè lethaliterque convulneratum, proposuit simul universo mundo spectandum, verum Christum sive Unctum Domini, non oleo quopiam, sive unguento, sed sanguine proprio. Hujus tam pretiosæ copiosæque unctionis cum capite, simul facti sunt participes etiam capilli, hoc est, fideles & amatores omnes Christi. Esto & tu unus ex capillis Jesv oleo pretiosissimi sanguinis intinctus, sed ita ut inhæreas capiti, neque à capite decidas, neque te dolosa Dalila abgradat,

radat. Indecorum quidem est Capiti capillis nudari, sed & capillo nullum pretium est avulso à Capite. Ornant & vestiunt capilli Caput suũ, orna & tu Caput tuum JESVM, moribus & actibus tuis, sanctificeturq; nomen ejus ex omnibus sanctis operibus tuis.

Secunda Petitio. *Adveniat regnum tuum.* Secunda Convulneratio Dextræ manûs Christi, ad quam manum Dominus JESVS latronem bonum pœnitentem & confitentem habens, eundem de Cruce in Paradisum ac Regnum suum transtulit. Ne invide bonam fortunam latroni fortunato. Sed tamen eandem tibi ipsi desidera, & postula. Sic Dominum tuum estò Crucifixum, estò Crucifixus semper confitere, ut te suâ dexterâ, propter amorem tui vulneratâ, complectens ac benedicens, introducat in Paradisum, & in Regnum suum.

Tertia Petitio. *Fiat voluntas tua, sicut in Cœlo & in Terra.* Tertia Convulneratio, dextri Pedis Christi, qui propterea vulneratus est, ut semitæ vestigiaque & ambulationes cordium nostrorum, merito sanguinis ejus, nec non doctrinâ & exemplis illius corrigerentur, & in exsecutione voluntatis Divinæ erudirentur. Ampliùs ergo ne jam exerres, neque declines in partem malam, propriæ tuæ voluntatis, sed ita exsequere omnia, quæcunq; Deus tuus vult, sicut exsequuntur Sancti omnes in Cœlo, sicut exsequebatur cor ipsius JESV in hac vita. Sicut exsequitur ipsemet Deus omne beneplacitum suum in perpetuam gloriam suam.

Quarta Petitio. *Panem nostrum quotidianum, da nobis hodie.* Quarta Convulneratio lateris JESV, per cujus apertionem emanavit thesaurus Sacramentorum, & penu omnium spiritualium alimentorum, quibus animæ nostræ cibari, nutriri, & saginari delectabiliter salubriterq; possent in omnem vitæ æternitatem.

Dulcis JESV admitte animam meam ad hunc aquæ vivum fontem, hoc est ad lateris cordisque tui amabilem scaturiginem, ut ex ea sugat cibum, potumque salutarem Sacramentorum tuorum, hauriat exinde panem quotidianum supersubstantialem, ac cœlestem, quo in labore peregrinationis hujus vitæ confortetur, donec per auxilium gratiæ tuæ, feliciter ad patriam perveniens inibi fruatur Te, Pane vitæ æternæ, quo nutriuntur omnes Sancti, & Electi tui in Cœlo.

Quinta Petitio. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quinta Convulneratio totius Corporis, in flagellatione illa crudeli, in qua Dominus JESVS, ob multitudinem plagarũ, à planta pedis ad verticem Capitis vulneratus, & veluti in unum quoddam

dam perpetuumque vulnus, totum per corpus immutatus est.

Tua hæc imago est ô Anima mea, tui est verissima effigies, tu es à tuis iniquitatibus convulnerata, & tantùm non in ipsam iniquitatem immutata, cumulatum est vulnus tuum, super vulnus, nimirum peccatum peccato superadditum, en tamen in promptu medicina est. Ex integro scilicet saucius JESVS, ad integram sanitatem tuam. Sana Bone JESV, sana omnium peccatorum meorum vulnera, vulneribus membrorum tuorum: dele omnes iniquitates meas, copiosâ & redundante redemptione tuâ: & ego vicissim deleo de corde meo, omnes offensas, omniaque debita inimicorum, ac debitorum meorum sincerâ dilectione tuâ.

Sexta Petitio *Et ne nos inducas in tentationem.* Sexta Convulneratio, Sinistri Pedis Christi. Sinister pes cordium nostrorum est propensio ad malum voluntatum nostrarum, huic pedi insidiatur assiduè ille antiquus serpens, hostis animarum nostrarum, hunc pedem ad lapidē offendi nus, quàm frequenter, tam & periculosè, hoc pede appropinquamus usque ad portas mortis; ideo amator animarum nostrarum JESVS, sinistrum pedem suum transfigi voluit, ut corda nostra ex diaboli laqueis expediens illa post se incedere faciat, & per semitas Iustitiæ gradientes, usque in regione vivorum eadem constituat.

Septima Petitio. *Sed libera nos à malo. Amen.* Septima Convulneratio Sinistræ manûs Christi. Tremendo privilegio, an veriùs gladio obarmata est, sinistra manus Domini: ad sinistram enim ipsius stabunt hædi ab ovibus separati, hoc est reprobi, & impii omnes, æternæ damnationis fulmineam sententiam exspectantes.

O mi JESV ergone hunc in finem sinistra tua vulnerata est, ut ex ea non salutifer sanguis, sed igneus damnationis furor stillet super peccatores? Transfer dulcis & pie Domine JESV, transfer nos peccatores licet, redemptos tamen tuos, à sinistra tua, ad dexteram tuam, & nos libera à malo, à peremptorio nimirum decreto furoreque tuo. Non audiamus à Te Domine amarum illud verbum: ite maledicti: sed potius sonet in auribus nostris, vox tua illa dulcis. Venite benedicti, &c.

ACCOMMODATIO V.

ACcommodando septem Petitiones Orationis Dominicæ totidem comitibus, seu totidem condimentis Passionis Christi.

Pater noster qui es in Cœlis. Considera Dominum JESVM esse nostrū

exemplar & speculum, tam vivendi seu agendi, quàm patiendi in præsenti vita, quod speculum in omni quidem vita & opere Domini, at potissimùm & luculentissimè in Passione ipsius elucescit. Converte itaq; & defige oculos tuos in speculum istud, inspice, & secundùm illud fac, attendens diligenter, ne qua ex parte dissimilem tè Christo Domino effingas. Frustra enim obstrepit Deo, *Pater noster qui es in Cœlis*, ille, qui Jesvm Crucifixum non effinxit in se, qui non portat stigmata Domini Jesv in se, qui Passionis ejus socios non adscivit ad sese.

Prima Petitio. *Sanctificetur nomen tuum.* Primus Jesv Patientis socius & Comes fuit. Contemptus, vilipensio, inhonoratio, & omnis gloriæ detractio. Totus vitæ Christi Domini decursus istiusmodi sociis familiaribusque fuit stipatus: attamen Patienti illi vel maximè frequens adfuit, adeò ut in quovis momento & articulo Passionis suæ usurpare potuerit Dominus verba illa sua? *Ego honorifico Patrem meum, vos autem inhonorastis me.* Et tu ergo ô homo, propter contemptum Jesvm elige & desidera contemni. Hic tibi sit unicus honor, hæc tua maxima veneratio atque glorificatio, & exultatio, propter honorem, propter voluntatem, propter amorem, propter imitationem, despecti vilificatique Iesv, despici, contemni, vilificari. Dignus est utiq; Deus Dominus noster, ut nos alioqui naturâ vilissimi servi ejus, propter honorem ipsius, per omnia vilificemur, estò ille nostri causâ nullatenus contemptus foret, quantò verò magis par est, nos penitus penitusque exinaniri, atque pulverisari nunc, quando videmus propter amorem nostrî Deum nostrum usque adeò contemptibus saginatû, opprobriisq; saturatum, & prorsus per omnem suam capacitatem expletum. O verè dignum & justum est, ut per contemptiones vilificationesq; nostras, honorificetur, & exaltetur Deus noster, sanctificeturque nomen sanctum ejus.

Secunda Petitio. *Adveniat Regnum tuum.* Secundus Jesv Patientis socius fuit, Paupertas, Mendicitas, Nuditas. Hunc socium Jesvs habuit ab ipsa Nativitate sua, quæ adeò mendicitatis plena fuit, ut stabulo & præsepi, & fœno, à jumentis emendicato, utendum illi fuerit. Ea tamen Paupertas ultimam suæ perfectionis soliditatisque metam, in Passione demum & morte assecuta est. Pendens enim in Cruce amabilis Jesvs, re ipsâ atque veritate demonstravit, sese & volucribus & vulpeculis esse, ac mori pauperiorem atque nudiorem. Habent enim isthæc animantia nidos suos, foveas suas, in quibus quiescere & fovere se possunt; at Jesvs neque ubi caput reclinaret, neque ubi moreretur, neq;

ubi

ubi demum sepeliretur, locum suum habuit. Assume tu quoque, ô homò, juxta statûs vitæque tuæ conditionem, mendicitatem & nuditatem Jesv in Comitem. Esto Pauper spiritu, esto nudus ab omni, ad te, & creaturas omnes affectu, esto solutus à superfluarum, à commodarum, à necessariarum etiam rerum cura, esto liber ab omnibus amoribus, & studiis, & possessionibus & proprietatibus earum rerum, quæ Deus non sunt. Sis ditissimâ, hoc est, nudissimâ Paupertate stipatissimus, & tunc adveniet tibi Regnum Patris, audieſque à Domino verbum illud: *Beati Pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum.*

Tertia Petitio. *Fiat voluntas tua, sicut in Cœlo & in Terra.* Tertius Christi Comes, Infirmitas, Coactio, & Impotentia. Etsi enim Dominus oblatus est, quia ipse voluit: & nemo tollebat ab eo animam ejus, sed ipse pro potestate atque voluntate ponebat, iterumque sumebat illâ, nihilominus in omni Passione sua videri volebat planè impotens & insufficiens, tam ad effugiendum, quàm resistendum Passioni & inimicis: videri volebat Prudentiâ, sagacitate, consilio, potentiâ, æquitate deniq; adversariorum suorum captus, convictus, coactus, superatus, & omnia tormenta, mortemque ipsam passus. Usque adeò Dominus Jesvs suæ tum ad Dei Patris voluntatem absolutæ subjectioni, tum suæ pro nobis patiendi, debitaque nostra ad novissimum quadrantem exsolvendi cupiditati indulsit, ut Passionem suam per omnia summa & acerba exaggeratam, omnis verò absolutè mitigationis, & solatii, imminutionisq; expertem esse voluerit: eaque de causa, totam suam voluntatem, potestatem, sapientiam, libertatem, à se ablegârit, omnemque illam, non tantum Patris Æterni placito, & honori, verùm etiam hostium suorũ arbitrio, & potestati, tanquam instrumentis, consilio, & decreto Dei famulantibus permiserit: adeò ut verissimè dictum fuerit à Propheta. *Fecerunt in eo, quæcunque voluerunt.* Et iterum: *Satiati sunt pœnis meis.* Et rursus. *Factus sum sicut homo sinè adjutorio.* Atque hæc demũ est vera fames sitisq; patiendi; talis deberet esse Patientia perfecta amatorum & imitatorum Christi Passi, ut nimirum sic pati velint, sic patiantur, quasi nocentes, estò innocentes; quasi impotentes ad resistendum, estò sufficientes & validi; quasi justè ac debitè, estò contra jus & fas, non comminantes, non resistentes, non malum pro malo reddentes, sed malum in bono vincentes, inimicos excusantes, defendentes, & vero corde amantes, atq; inter benefactores & amicos reputantes. Hujusmodi Patientia opus perfectum habet, hujusmodi Patientia, Charitatis, & Humilitatis est, hujusmodi Patientia ab amore proprio, à vanitate,

Marc. 9. 12. Ioh. 16. 11. Psal. 87. 5.

tate, & superbia procul est, hujusmodi Patientia Christi Patientiæ æmula, vicina, & socia est.

Quarta Petitio. *Panem nostrum quotidianum, da nobis hodie.* Quartus Iesv in Passione socius fuit. Labor, Fatigatio, Debilitatio, Defatigatio. O quanto labore laboratum, sudatumque est à Domino Iesv, ut exiret à nobis nostra rubigo, & ferrugo? O quanti constitit! quantarum fatigationum messis Christo Domino fuit, tum obedientia ad Patris Æterni voluntatem, tum conatus elaborandi nostrûm omnium æternam salutem? Et Adamo quidem dictum est. *In sudore vultûs tui vescéris pane tuo.* Noster autem Redemptor toto corpore sanguinem sudare, omnem carnem suam innocentissimam, plagis, livore, vulneribus convestire, totum sanguinem profundere, vitam ipsam animamq; ponere necesse habuit, ut abominandam scabiem fœditatemque peccatorum nostrorum elueret ac eraderet, æternæ autem felicitatis vestê nobis indueret. Et post hæc omnia nos tamen homunciones ad laborem sicut volucres ad volandum natos, pro salute nostra æterna tantillum laborare sudareque piget. Et quis est qui ad sanguinem usque peccato resistat? quis est qui velit servire Christo usque ad defatigationê?

Gen. 3. 19.

O laboriose & nostri causa defatigate Iesv, sudore tuo quæso dulces nobis levesque fac omnes labores & fatigationes nostras, propter voluntatem & gratiam tuam, propter exaltationem & gloriam tuam, propter salutem, & perfectionem nostram, & fratrum nostrorum, æternam.

Quinta Petitio. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quintus Iesv in Passione fuit Socius, Sterilitas, Infructuositas. Post tantos enim sumptus, post tantos labores, quos Dominus Iesvs nostræ saluti, ac redemptioni impendit: quibusque mille mundorum millia redimere, salvare, ac æternæ gratiæ, gloriæque opibus ditare supra modum poterat, nihilominus exiguum valde numerum electorum, ex non minùs tremendo, quàm justo Patris Æterni decreto accepit, teste ipsomet Domino Iesv dicente toties. *Multi vocati, pauci verò electi*: quasi diceret. Multi quidem sanguine meo redêpti, pauci tamen efficaciter salutem adepti. Cùm Dominus Iesvs terris relictis Cœlos conscenderet, quingentos vix fideles discipulosq; suos reliquit: heu quàm exigua messis, tam copiosæ sementis, quam ipsemet Dominus Iesvs, utique non insipiens agricola & seminator, sparserat?

Matth. 22. 14.

O Iesv quàm parcos & raros nunc quoque fructus laborum tuorum coligis,

collig's, quantam sterilitatem retribuunt tibi etiam nunc Anima nostra? licet castu, tam crebro, tamque copioso sanguinis, ac meritorū, & gratiarum tuarum imbre perpluis, & inundas. O Anima mea redi aliquando ad cor, & computa aliquando sumptus Domini tui, super te, debitorum tuorum rationes collige, vide quantis obstricta sis, quā solvendo minimè sis, in quantis te accusant? clama procidens ad Dominum. Miser: cordiam habe in me, & antiqua debita mea, errata scelera que mea, sterilitatem ac infructuositatem meam, condona mihi ego autem deinceps cum gratia tua, uberiores fructus, bonorum operum, fructus virtutum sanctarum, fructus sanctitatis, & justitiæ, fructus honoris, & gloriæ tuæ afferam.

Sexta Petitio. *Et ne nos inducas in tentationem.* Sextus Passionis Dominicæ Comes fuit, Ingratitudo, quam Dominus Iesvs enormitē & extremè grandem, gravemque pertulit, nominatim ab illo, sibi dilecto, & electo Iudæorum populo: ab eo enim post infinita, eaque singularia beneficia, solidam ingratissimi animi mercedem recepit. Quos ille honoravit & exaltavit, ab ipsis contemptus, & despretus est; quos, miraculis editis, sanavit, ab his vulnere, super vulnus concisus est; quibus vitam dedit, ab iis crudeliter occisus est; retulit ab eis pro amore odium; pro beneficiis maleficia; pro benedictionibus, maledicta; pro sincero, & paterno affectu, hostiles dolos, & fraudes, & molestias. O quàm durus fuit hic Comes Ingratitudinis, beneficentissimæ, & ad bene de aliis merendum, promptæ, ac natæ, Christi indoli? Sed nunquid non idem prorsus condimentum, largitatis, ac beneficentiæ suæ, reportat etiam à nobis Dominus Iesvs? Nonne quantò ille in beneficiis, super nos, profusior, tantò magis nos, in ipsum ingrati? Ideo etiam angustatur manus largitatis divinæ super nos, ideo parcior nobis liberalitas gratiæ Dei, ideo subtrahitur nobis in tentationibus robur, in periculis protectio, in difficultatibus auxilium, in dubiis lumen veritatis, in arduis spei firmitas, in frigore feruor charitatis. Vincimur ab hostibus, tam visibilibus, quàm invisibilibus, damur in derisum, & opprobrium, his, qui oderunt nos: quia relicta est nobis domus nostra deserta, quia per ingratitudinem nostram, Bonitas & Largitas Dei, procul est repulsa. Oportet itaque reddere grates, pro gratiis Deo, si volumus habitare in beneficentia, & protectione Altissimi; oportet etiam ingratis nostris benefacere propter Deum, ut ingratitudine satiati Iesv socii efficiamur, utque fiamus filii Patris nostri, qui pluit super justos, & injustos, & Solem suum oriri facit, super bonos, & malos: qui denique pro

istis ipsis, sanguinem fudit, animamque suam posuit, à quorum manibus, & furore, illum fudit, illamque posuit.

Septima Petitio. *Sed libera nos à malo, Amen.* Septimus Iesv Patientis socius fuit. Dolor, & Cruciatus: quem, etsi totâ vitâ suâ, adjunctum sibi habuit, peculiariter tamen ille Iesvm in Passione comitatus est, adeò, ut ea de causa, vir, & quasi Rex; aut veriùs, Regnum dolorum vocatus sit. Quia enim super Dominum Iesvm posuerat Pater iniquitates, omnium nostrûm, idcirco etiam disciplina pacis nostræ, idcirco omnis pœna, & castigatio omnium, & singularum iniquitatũ nostrarum, venit, & incubuit super eum. Quare secundùm multitudinem, & magnitudinem, peccatorum nostrorum, quæ, in se Christus susceperat, multitudinem etiam, & magnitudinem, castigationum, suppliciorumque, consequenter dolorum, & cruciatuum æqualem, immò longè superiorem suscepit, atque sustinuit. Ergo jam quisquis voles, metire, & penetra abyssum hanc dolorum Iesv Christi, quod si minimè prævales, hinc saltem disce, & comprehende, ex quibus, & ex quantis, tandem malorum, & dolorum abyssis, tu sis, per dolores Iesv Christi, extractus. Ut enim tu non habitares cum ardoribus sempiternis, ut non salireris igne, ut non viveres in combustione, & morte æterna, Dominus & Redemptor tuus, Iesvs, *venit in altitudinem maris*, dolorum, *& tempestas* Passionis, atque cruciatuum *demersit eum*.

Psal. 68. 3.

ACCOMMODATIO VI.

Conferendo septem injuriosas Christi Domini compellationes: quas ab inimicis in Passione retulit, septem postulationibus Orationis Dominicæ.

Pater noster, qui es in cœlis.] Considera Christum Dominum esse verissimam & ipsissimam Dignitatem Excellentiamque; tum rerũ omnium, tum maximè fidelis populi sui Christiani: non ob id solùm, quia ille est per Christum, ab æterna illa damnationis, & proscriptionis infamia liberatus; neque ob id tantùm, quia idem populus est per Christũ cohæres Regni cœlestis institutus: verùm etiam ob id, quia omnes nationes Christianæ nihil habent, unde veriùs, justiùs, sinceriùsque; gloriari possint, ac debeant, quàm ex Iesv Christo Crucifixo, contempto, inhonorato. Hic est germanus genuinusque sensus totius Christianæ Ecclesiæ, cum Apostolo Paulo affirmatè dicentis. *Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri IESV Christi.* Et tu ergo si inter Christianæ Ecclesiæ, veros filios numeraris, nefas ducito gloriari in aliquo, præter

Ad Gal. 6. 14.

Iesvm

IESVM Crucifixum: sed ille unus ac solus, tibi sit honor totus, ille dignitas omnis, ille tituli omnes, ille amplitudines omnes, laudes atque Majestates. Sit Iudæis scandalum, Gentibus stultitia, & Tibi cum omnibus electis Virtus Dei & Sapientia, & Excellentia, & omnis Decor.

Prima Petitio. *Sanctificetur nomen tuum.*] Primum Patientis IESV Cognomen fuit, Blasphemus, & impia de Deo indignaque loquens. Retulit hoc Cognomen Dominus IESVS, verus & consubstantialis Dei filius, *candor lucis æternæ*, tum ante Passionem, tum præcipuè Passionis tempore: adeò ut hanc præcipuam causam, prætenderint Iudæorum Primores, mortis Christi, *Blasphemavit*: exclamat Caiphas, *ecce nunc audistis blasphemiam*, quid vobis videtur? at illi (universi scilicet Concilium) exclamaverunt. *Reus est mortis.* *Sap. 7. 26. Matth. 26. 65. Matth. 26. 66.*

O mi IESV tu in omni super terras vita tua id unum solumque præcipuè laborâsti, ut manifestares Patris tui nomen hominibus, ut honorificares Patrem tuum, & clarificares super terram: & ecce nihilominùs, tanquam in Deum injurius atque blasphemus reputaris; appellaris mortique addiceris: ita etiam Christi servorum conatus omnes, labores, sumptus omnes, consilia, apparatus omnes, quantò puriùs, sinceriùs, fructuosiùs, in exaltationem divini nominis & in propagationem gloriæ ipsius, diriguntur, exercenturque: tantò in deteriùs & obliquius à linguis, censuriisque de vulgo, & etiam non de vulgo hominum detorquentur, sed talium hæc est consolatio singularis, quòd vestibus, insignibusque sui Imperatoris induantur: ejusq; titulorū participes fiant, & nomen Dei revera vitâ factisque suis sanctificantes, à mundo tamen, & filiis mundi probrum & improperium reportent.

Secunda Petitio. *Adveniat regnum tuum.* Secundum Christi Passi Cognomen, Ambitiosus Regnique appetens, falsus Rex. Eapropter Coronâ spineâ redimitus, purpurâ indutus, sceptro arundineo, genuflexionibusque illusoriè ornatus, & Rex consalutatus est. Eapropter etiam ad Crucem (quæ pœna ambitûs fuit) damnatus inter latrones medius, ut latronum Rex statutus, denique Rex Iudæorum scripto appellatus est. Ita Rex æternæ Gloriæ, tanquam Rex æternæ infamiæ, ab hominibus illusus est. Ita Rex Regum ad proprium Regnum pervenire voluit. Ita Rex & Deus noster nobis Regnum emereri cœleste, nosq; suum Regnum facere prælegit. Nos autem, prô quam testudineo passu vestigia Regis hujus nostri sectamur! prô quàm puerili futilique labore, ad æternum Regnum pervenire conamur! Clamamus quidem voce frequenter: *Adveniat Regnum tuum*, sed opere vicissim reclamamus, Recede à nobis Regnum Dei.

Tertio

Tertia Petitio. *Fiat voluntas tua, sicut in Cœlo & in terra.* Tertium Cognomen Paísi Jesv, Seditiosus. Commovens populum Subvertens gentem, &c. Atque hæc prima primariaque fuit Christi apud Pilatum, per Principes Iudæorum accusatio. Hac etiam de causa Barabbam magis, quàm IESVM petierunt dimitti, vitâque donari, ostensuri scilicet incomparabiliter Jesvm magis seditiosum esse, quàm Barabbas fuisset. Hoc Cognomen acquisivit Christus, per hoc, quia tam verbis, quàm factis, omnes homines ad agnitionem, amorem, subjectionem, impletionemque Divinæ voluntatis perducebat. Estque id hodieque usitatissimum in mundo. Si enim obedire velis magis Deo, quàm hominibus: si majorem habeas rationem conscientiæ, legis divinæ, æqui & veri, quàm humanarum phantasiarum; illico tibi sectioni, arrogantis, filii Belial, & sinè jugo, inobedientis, turbatoris pacis, nomen cognomenque subeundum est. Sed nimirum antiquitùs Sancti Dei homines obloquutoribus istis obstruebant os, dicentes: *Si justum est in conspectu Dei vos potiùs audire, quàm Deum, judicate.* Et rursum. *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Usurpavit id ipsum & Dominus Jesvs *Sicut mandatum dedit mihi Pater: sic facio.* O Sanctam & laudabilem hanc arrogantiam, adhærere Deo, insistere ejus voluntati, honorare magis Deum, quàm idolum respectuum humanorum. Quis det ad hanc seditionem commovere omnes gentes, ut conculcato idolo (quid dicent) omnes uno corde, ore, opere, dicant Deo semper; *Fiat voluntas tua, sicut in Cœlo & in terra.*

Quarta Petitio. *Panem nostrum quotidianum, da nobis hodie.* Quartum Cognomen Domini IESV Patientis fuit, Malefactor, & per omnia improbus, & cujus vita fuerit malè agere, atque *sicut aquam iniquitatẽ bibere.* O Mare omnis bonitatis probitatisque Domine Jesv, qui peccatum non fecisti, in cujus ore dolus, in cujus corde iniquitas, reperiri non potuit: cui testimonium perhibuit turba dicens. *Bene omnia fecit:* huccine tandem reciderunt omnia, ut malefactor, & per omnia nequam appelleris? Consolamini justi, & benefacientes omnes, nisi grana bonorum operum vestrorum terræ invidiæ, & maledicentiæ insepeliantur, & oblocutionum, censurationumque fimo lapidentur, & obruantur, nullum fructum afferent, sed ipsa sola sterilia remanebunt: quod si in linguis & censuris humanis fuerint macerata, & mortificata, afferent sinè dubio æternitatis fructum, etiam centesimùm. Indubitatissimum enim ubertimæ in Cœlo messis signum est, copia detractorum in mundo. Idcirco Dominus suis imitatoribus dicebat. *Beati eri-*

ti eritis cùm maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum adversùm vos, mentientes, propter me, gaudete & exultate, quia merces vestra multa est in Cœlo. Da igitur nobis Domine panem hunc, semper quotidianum in hac vita, confectum ex detractionibus & censuris hominum, in crastino autem, hoc est in altera vita da nobis panem, ex gratia & gloria tua æterna, præparatum.

Quinta Petitio. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quintum Cognomen Christi Patientis fuit, Reus est mortis, debet mori, filius perditionis & mortis. Verè Domine Iesv dignus, & reus, & Filius eras mortis, qui factus es pro nostris peccatis hostia & oblatio, super quem, posita sunt iniquitates omnium nostrûm, ut in Te, & per Te expientur, usque ad exsaturationem Iustitiæ Paternæ. Propter hoc autem nos ex filiis iræ, facti sumus filii gratiæ; ex filiis mortis, filii vitæ; ex filiis damnationis, facti sumus filii regni, & beatitudinis: ita ut illa Dei justitia, quæ antea nobis debebat pœnas, & supplicia, jam ob merita, solutionemque tuam, facta sit nobis debitrix vitæ, mercedis, & præmiorum æternorum. Idcirco illi non quasi petentes, sed veluti exigentes dicimus. *Dimitte nobis debita nostra,* &c.

Sexta Petitio. *Et ne nos inducas in tentationem.*] Sextum Iesv Patientis Cognomen fuit, Pseudopropheta, Seductor, Falsarius. Quod Cognomen, ita serviebat Domino Iesv, sicut soli convenit nox, aut igni frigus. Vocatus est nihilominus isto nomine Dominus noster, tàm ante, quàm post mortem. Et quidem ideo, quia falsitates, dolos, errores, deceptiones hominum refellebat, & coarguebat. Veritatem autem prædicabat, & prædicebat. Dilexerant nimirum homines magis tenebras, quàm lucem, nec volebant ad eam accedere, ut non arguerentur opera eorum, quæ utique erant mala, quod ipsum & hodie reperire non est difficile: homines enim qui malè agunt, qui putrescunt ut jumenta in stercore suo, vocant tenebras lucem, & lucem tenebras, bonum malum, & malum bonum, doctrinam veritatis, & placitum divinæ legis, & Sanctorum monita, & exempla, non verentur falsitatis, hypocriseos, superstitionis arguere, fatuitates appellare, huic sæculo, & his moribus minimè convenire. Semper scilicet Deus hominibus Seductor est, semper Pseudopropheta; nemini minùs quàm Deo credunt, immo scelera sua, & pravæ voluntatis nequitias, obstinationesque, ac duritias cordis appingunt Deo, interim verò totos se ad arbitrium fingunt diaboli: & mercede datâ conducunt, coguntque dæmones in per-

nicem suam: gloriantur cùm malè fecerint, exultant in rebus pessimis, suamque in obsequium diaboli propensionem, facilitatem, fidelitatem deprædicant.

O Veritas Iesv, qui verax Magister es, & viam Dei in veritate doces, aperi & detege dolos istos nobis; ne inducas nos in tentationem, ne deferas nos in laqueis & decipulis diaboli, sed emitte lucem tuam, & veritatem tuam, & asserere nos in libertatem filiorum tuorum.

Septima Petitio. *Sed libera nos à malo, Amen.* Septimum Cognomen Passi Iesv, Latro & latronibus pejor, latronumq; Princeps. Abunde hunc suum, de Domino Jesv, sensum demonstrârunt, quando illi Barabbam seditiosum, homicidam, & latronem, præposuerunt, quando illum cum iniquis deputârunt, quando illi patibulum proprium bajulandum imposuerunt, quando illum latronum publicorum morte, interque latrones medium, interfecerunt. Neque dissimulavit id contumeliæ Dominus Jesvs, quod ad comprehendendum se accinctis ludæorum ministris, & ipsismet Primoribus dixit: tanquam ad latronem existis, cum gladiis comprehendere me. Talia sunt humana judicia: eum qui ab omni injuria corporis mentisque homines liberat, latronem, & omnis mali humani authorem fecerunt, & tanquam revera talem, turpissimâ, crudelissimâ, latronumq; propriâ morte affecerunt. Hæc est omnium piorum unica consolatio. Non est servus major Domino suo, si Dominum, latronis titulo ornârunt, servis quidni idem cognomen imponant. Si Patremfamilias Beëlzebub, Samaritanum, dœmonium habentem, insanum, in furorem versum, veneficum appellârunt; quanto magis domesticos ejus paribus coloribus depingent.

Da Domine Jesv nos fieri participes, tecum omnis humani maledicti propter te: & libera nos, ab experimento omnis interni, & æterni mali, propter eundem Te.

ACCOMMODATIO VII.

ACcommodando septem Effectus, sive fructus Passionis Christi, totidem Postulationibus Orationis Dominicæ.

Pater noster, qui es in cœlis.] Considera Passionem Domini Salvatoris nostri, esse inexhaustum quoddam gazophilacium, ex quo cuicunque (modo libeat) licet haurire omnem bonorum abundantiam, omnem meritorum, gratiarum, virtutum, auxiliorumque, tam externorum, quàm internorum copiam. Nemo justè queri potest, se vel arceri ab hoc thesauro, vel parum quidpiam participare, vel paupe-

rem

rem esse: omnia enim bona, tam in copia, quàm & in aperto sunt, ad hoc unum ut hauriantur; & quidem quàm copiosissimè, avarissimè, assiduissimè hauriantur. Quàm enim Jesvs totus vulneratus est, tam iste thesaurus totus plenus, totus apertus, & expositus est. Sibi ergo imputet, quisquis parùm, quisquis rarò, quisquis timidè, quisquis nihil hausit. Solus enim ille hinc expellitur, qui se negligentem, ac per hoc & indignum hauriendo exhibet. Nam de cætero ille commodissimè copiosissimeque participat, quisquis abrenuntians peccatis & jugum cupiditatum suarum pravarum excutiens, se suasque voluntates abnegans, Crucifixo Jesv sese conformat, voluntati Dei totum se submittit, proprii honoris & amoris conculcator, Deum insatiabiliter exaltat, meritis Christi sese ditat, virtutibus exornat, æternæ beatitudinis hæreditate sese dignum idoneumque reddit. Hoc autem quicunque vult præstare, admodum facile præstabit, modo gratiæ Dei non desit, & posteaquam semel inceperit, usque in finem perseveret.

Prima Petitio. *Sanctificetur nomen tuum.* Primus Fructus Effectusque Passionis Christi est. Fides, Spes, Charitas. Sinè quibus virtutibus, nullo modo salus æterna à nobis acquiri potest. Hæc enim est totius nostri ædificii Spiritualis structura, dimensio, & norma. Hoc est illud, quo Sanctificare nomen Dei nostri debemus, ac possumus. Hoc illud etiam est, quo uno, ac Solo Dei laus, & gloria, in mentibus nostris radicatur, & germinat. Credere in Deum, ejusque notitiam veram habere: in ejus auxilio, spem omnem collocare, deque ejus gratia, & manu liberali, salutem præstolari, & ad extremum eundem, super omnia toto corde amare, æstimare, & ab hoc nunquam deficere. Quod totum ex meritis, Domini nostri Jesv Christi, per Passionem, ac mortē, quæsitis habemus. Immo verò nihil nos ita illuminat, inque cognitionem Dei ducit, nihil ita revelat divina mysteria, nihil ita spem roborat, & in Deum firmat, nihil ita in nobis Charitatis flammam auget, & exaggerat, sicut Jesvs Crucifixus, sicut Passio cruenta Salvatoris nostri. Hauri ergo, ô homo, de istis fontibus, de istis thesauris, de istis Gazophilaciis, vulnerum Salvatoris; hauri, inquam, lumen fidei in Deum, robur fiduciæ in Deo, ardorem & efficaciam charitatis erga Deum. Si hinc ista non hauris, frustra aliunde speras, & quæris.

Secunda Petitio. *Adveniat Regnum tuum.* Alter Fructus Effectusque Passionis Christi est. Gratia & Amicitia, & Charitas Dei, in nobis manens, nosque Deo amabiles reddens. Quæ Gratia est nostra & Sanctitas, & Iustitia, hæc nos facit Dei Regnum, hanc mendicamus, quando

advenire in nos Dei Regnum rogamus : hæc est sementis vitæ æternæ, hæc est jus ad hæreditandum Regnum cœleste. Ipsa est præcipuus flos mercedum, cruentis laboribus Christi repensarum, hanc quando nobis meritis suis acquisivit, hoc ipso nos Deo reconciliavit, hoc ipso nos Regnum Deo, & nobis Deum fecit.

O verum & beatum Dei Regnum, advenias tandem in nos, & mane in nobis in æternum. O pretiosissime thesaure, in agro Humanitatis Christi Jesv defosse, & abscondite, sed per vulnera, & Passionē ejusdē effosse, & in lucem producte, & à prudentissimo mercatore, impendio totius substantiæ suæ, nobis empte, atque quæsite : Dona dulcis Jesv nobis hunc thesaurum, & illi nos, illumque nobis serva, ut eum semper possidentes, ejusque bonis fruentes, eundem transferamus nobiscum, usque in vitam, usque ad hæreditatem æternam.

Tertia Petitio. *Fiat voluntas tua, sicut in Cœlo & in Terra.* Tertius Fructus Effectusque seu meritum Passionis Christi, sunt auxilia actualia, ad implendum voluntatem Dei, & ad præstanda opere omnia ad salutem, immo & perfectionem, tam necessaria, quàm parata semper. Quia enim volenti ad vitam ingredi, opus est observatione mandatorū Dei ; hæc autem nostris propriis viribus non fit, absque divino auxilio, Dominus Jesvs postquam nos magisterio suo, de divina voluntate edocuisset ; postquam nobis in ejus amore, & exsecutione, exemplo præviisset, etiam auxiliorum, ad ejus impletionem, necessariorum, indubitatam copiam, nobis per suam Passionem & mortem promeruit, & obtinuit. Inde omnis cogitatio bona & sancta, omnis nostræ voluntatis ad bonum affectus, omnis exsecutio boni operis, omnis in bono perseverantia, omne peccati odium, & fuga, & emendatio, ab auxilio Dei est, ex meritis Christi est, quæ auxilia meritaque à Christo ita derivamus, sicut palmites à sua, in qua sunt vite, trahunt succum, vitam, incrementum, fructumque suum.

O viva & vera Vitis Bone Jesv : serva in te nos palmites tuos, purgatos, vivos, crescentes, fructuosos, abundanter, & perenniter fac nos. Sinè te enim arescimus, præscindimur, & in ignem mittimur, & ardemus. Palmiti namque aut vitis debetur, aut ignis : ut ergo in igne non simus, in te vera vite simus. O caput nostrum nobilissimum : dirige nos in viam rectam mandatorum Dei : ut sic in te, ita & in nobis impleatur semper bona beneplacens, & perfecta voluntas.

Quarta Petitio. *Panem nostrum quotidianum, da nobis hodie.* Quartus Effectus Fructusque Passionis Christi fuit, Sacramentum Corporis & san-

& sanguinis Domini, quo in præsenti vita, animæ nostræ aluntur, confirmantur, & saginantur, ut robustiores, & vegetiores effectæ, dilatato, & impingu ato, per charitatem corde, currant in via Spiritûs, usq; ad bravium vitæ æternæ. Hoc Sacramentum pretiosissimum, non solum habet in se virtutem, & merita, Passionis, & mortis Christi, sed insuper etiam continet in se, ipsummet Christum, omnem scilicet substãtiam ejus. Corpus, sanguinem, vitam, animam, divinitatem, omnia bona, & virtutes, & gratias, & merita ejus, planè sicut in fonte habentur rivuli, sicut in sole habentur radii, sicut in gazophilacio habentur thesauri, sicut in anima habentur, vita, potentiæ, & opera. Grandis est hic & inæstimabilis fructus Passionis, mortisque Christi, qui pro omnibus illis liberalissimè communicatur, à quibus dilatatissimo, per incensa, & inexpleta desideria corde concupiscitur. Mira res sanè, quod pro totius mundi pretio non daretur homini, hoc pro devoto, humili, & ignito desiderio, largissimè profunditur. Congrega igitur totius mundi cupiditates, desideria, & avaritias, illasque desiderando Sanctissimo Sacramento impendens dic: *Panem nostrum quotidianum*, nobis, sanguine & Corpore, Filii tui Unigeniti, conditum, Domine da nobis hodie, da semper, da in tempore mortis nostræ.

Quinta Petitio. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quintus Fructus Effectusque Passionis Christi est, Remissio & abolitio peccatorum nostrorum omnium. Ut enim in mari rubro, sic deleti sunt, demersiq; omnes, Ægyptii, ut non remanserit ex eis, ne unus quidem; ita in Passionis, & mortis Christi Jesv, cruentissimo mari, deleta sunt omnia peccata nostra, descenderunt sicut plumbum, in profundũ oblivionis divinæ, unumque ex eis in conspectu ejus non remansit. O fortunatum diluvium! in quo filii quidem Dei, abluti, & salvati; diabolus autem, & peccata demersa sunt, & deleta. In hoc balneo, diebus singulis, lava cor tuum, anima mea, & expurga ab eo, omnes iniquitates ejus: nominatim, omnem iram, omne fraternum odium, omnem vindictæ cupiditatem, omnem injuriarum, offensarumque memoriam, ut liberè, sincereque oculos tuos, levare possis, ad illum Dominum tuum, qui pro te pendens in Cruce, oravit pro crucifixoribus suis, docuitq; te sic orare. *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos, dimittimus debitoribus nostris.*

Sexta Petitio. *Et ne nos inducas in tentationem.* Sextus Fructus,

Effectusque Passionis Christi est, Debellatio infernalis Tyranni, qui potestatem suam cruentam non minùs, quam iniquam, in omne genus nostrum. exercebat, ob quam etiam, ab ipso Redemptore nostro, vocatus est, Princeps hujus mundi, vocatus est fortis, armatus, custodiens atrium suum, & spolia sua in pace. Hunc sanguinarium Tyrannum Dominos Jesvs vicit, & debellavit, virtutem ejus contrivit, ipsum alligavit, & vasa, spoliaque diripuit, Passione, Cruce, & morte suâ, usque adeò, ut jam modò, prædo, & draco, & Leviathan iste, sit ludibrio pueris, puellisque Christi, & illudant ei alligato, tanquam aviculæ implumi, & enervi, & retia tentationum ejus, facilius quam aranearum fila, perrumpere valeant, & ex eis victoriæ suæ trophæa, in Domino gloriantes statuant. Inde experimur legiones tartareas universas, ad unicum Crucis signum, instar timidissimarum diffugere avicularum, aut caprarum. Quocirca quisquis non tamùm vult non timere, à facie Tyranni hujus, sed etiam cupit, super aspidem, & basiliscum ambulare, & leonem draconemque istum conculcare, scuto Passionis Christi, sese communiat, & circumdet, quo fiet, ut omnes vires, conatus, fraudes, assultusque diaboli, in risum & ludibrium Cœlitibus, in confusionem, & ejulatum inferis, & victoriam, & præmium, & gloriam sibi convertat.

Septima Petitio. *Sed libera nos à malo. Amen.* Septimus Fructus atque Effectus Dominicæ Passionis est, Eliberatio nostra, Immunitasq; à pœnis, tum inferni, tum purgatorii, tum etiam, (si divinæ opi non desimus) ab ipsis, hujus vitæ. Omnes nascimur naturâ filii iræ, & pabula infernalis ignis, sed illos infernales, ardores sempiternos, sanguis Christi extinxit, emundans nos ab omni iniquitate, & satisfaciens justitiæ Dei, pro omni nostro, tam culpæ, quàm pœnæ reatu, ac debito. O quantam ergo injuriam, contumeliamque faciunt Jesv Christo Passo, & Crucifixo, omnes peccatores, qui habentes exstinctum sanguine Christi infernalem ignem, eum tamen ipsi, denuo, cupiditatum suarum effrenium æstu, in contemptum Dei, in gaudium diaboli, in nutrimentum inferni, reaccendunt, seseque incendiorum illorum, sempiternum pabulum exhibent.

O Jesv

O Jesv pro nobis Passe, & mortue, libera nos ab hoc malo: & da, ut sanguinis Passionisque tuæ usu, & fructu, & merito, incendium infernale, tam nobis ipsis, quàm omnibus proximis nostris extinguamus; nunquam illud, seu nobis ipsis, seu proximis restauremus, sed potiùs unanimiter omnes, æternâ beatitudine dignos idoneosq; nos facere, te adjuvante connitamur.

FINIS.

INDEX
MODORVM
MEDITANDI PASSIONEM DOMINICAM.

PRÆFATIO. pag. 10.

MODVS I. *Considerando Personas, Verba, Opera quæ in Passione inveniuntur.*

II. *Considerando Circumstantias. Quis patitur? Qualis patitur? Quantus, &c.* 15.

III. *Considerando Quid Passus sit Christus in sua Divinitate.* 22.

IV. *Considerando Quid sit Passus Christus in Anima, ejusque potentiis.* 23.

V. *Considerando Quid sit Passus Christus in Corpore ejusq; partibus.* 24.

VI. *Considerando Quid sit Passus Christus in singulis sensibus quinque.* 27.

VII. *Considerando Quid sit Passus Christus in bonis Animæ, Corporis, Fortunæ.* 29.

VIII. *Considerando virtutes Christi in tota Passione exercitas.* 31.

IX. *Considerando in Passione Christi tota, morales, spiritualesque doctrinas, ex Susone.* 35.

X. *Considerando sigillatim speciales quoque Christi cruciatus, v. g. singulas sanguinis profusiones, singulas Nudationes, singulas vias, &c.* 47.

XI. *Considerando varios authores Passionis Christi.* 50.

XII. *Considerando instrumenta Passionis Christi.* 52.

XIII. *Considerando varios Christi Domini situs in Passione.* 54.

XIV. *Considerando injurias Christi nocturnas & diurnas.* 55.

XV. *Considerando Horas singulas octodecim, Passionis Christi, quid in singulis Passus Dominus.* 55.

XVI. *Considerando Longitudinem, Latitudinem, Altitudinem, Profunditatem Passionis Christi.* 57.

XVII. *Considerando Passionem Christi ut Causam maximorum bonorum.* 61.

XVIII. *Considerando Passionem Christi, tanquam effectum & fructum peccatorum.* 63.

XIX. *Considerando Comites Passionis Christi.* 65.

XX. *Considerando Opus, Modum, Causam Passionis Christi.* 69.

XXI. Con-

XXI. Considerando & Comparando Bona, quæ nobis Christus fecit, & mala quæ à nobis pertulit. 71.
XXII. Considerando peccata nostra, & quæ pro eis Christus pertulit mala, expiationis causâ. 72.
XXIII. Considerando singulas peccatorum species: & quibus eæ pœnis Christi, expiatæ. 76.
XXIV. Considerando 1. Passionem Christi. 2. Peccatum meum. 3. Virtutem elucescentem. 82.
XXV. Considerando Passionem, ut mei Patronã apud Deũ Iudicem. 97.
XXVI. Considerando Dignationes Christi cum ejus Dignitatibus collatas. 99.
XXVII. Considerando Passionem Christi per applicationem sensuum meorum. 102.
XXVIII. Considerando aliquas Scripturæ sententias, & eis totam Passionem complecti. 103.
XXIX. Considerando varias figuras Passionis Christi ex Veteri Testamento. 106.
XXX. Considerando Passionem Christi, ita ut eam experiaris practicè quoad fieri potest. 109.
XXXI. Considerando, & faciendo sibi Balneum ex Passione Christi. 113.
XXXII. Considerando Christi Beatitudines in Passione sua. 116.
XXXIII. Considerando Christum nunc quoque pati in corpore mystico, quæ passus est in reali, & proprio, seu physico. 122.
XXXIV. Considerando miracula, quæ in Passione Christi facta sunt, & nunc Spiritualiter ab ea fiunt. 128.
XXXV. Considerando Passionem tanquam materiam gaudii & triumphi Christi. 131.
XXXVI. Considerando in Passione Christi Laborem & Dolorem. 137.
XXXVII. Considerando in Quinque vulneribus Christi, Dolores internos. 2. Externos. 3 Virtutes. 4. Labores. 5. Charitatem Christi. 138.
XXXVIII. Considerando Passionem Christi, eamque recompensando Christo. 145.
XXXIX. Considerando selectos Jesv Christi Dolores internos, & eorum Causas. 147.
XL. Considerando Selectos Jesv Christi Dolores externos. 154.
XLI. Considerando Passionem Christi in Compassione Beatæ Virginis Mariæ. 157.
XLII. Considerando Passionem Christi in virtutibus Beatæ Virginis Mariæ. 161.

XLIII. *Considerando Passionẽ Christi in Sacrificio Missæ expressam.* 164.
XLIV. *Considerando & repræsentando Patri Æterno Passionem Filii sui.* 169.
XLV. *Considerando Passionem Christi tanquam exemplar Oblationis, Donationis, Dedicationis, Sacrificii, & Holocausti.* 171.
XLVI. *Conjungendo Passionem Christi cum Examine Conscientiæ.* 174.
XLVII. *Considerando Passionem Christi in Eucharistia tanquam in signo memoriali contentam.* 179.
XLVIII. *Considerando Passionem Christi, ad ejusdem vitam, atque viventis mysteria collatam.* 195.
XLIX. *Considerando Passionem Christi, ut collatam cum extremo Iudicio peccatorum.* 198.
L. *Considerando instar Sancti Augustini hinc Christi vulnera, inde* MARIÆ *ubera.* 204.
LI. *Considerando Sex Gradus Passionis, & Compassionis Dominicæ alios aliis altiores.* 207.
LII. *Considerando & conferendo Peccatum Adami cum Passione Christi, per quam illud expiatum est à Christo.* 216.
LIII. *Considerando Passionem Christi secundum Evangelistas historicè enarratam, & secundum Prophetas prophetice prænuntiatam.* 220.
LIV. *Considerando Patientem Christum Collatum eidem Christo Glorioso.* 227.
LV. *Considerando Passionem Christi per septem Affectus, qui in ejus consideratione excitari possunt ac debent.* 233.
LVI. *Considerando Passionem Domini tanquam injurias acerbissimas, summis Dei beneficiis, ab ingratissimis hominibus repositas.* 241.
LVII. *Considerando titulos, seu officia Christi, quæ ille in Passione sua abunde explevit.* 244.
LVIII. *Considerando ea, quæ à Christo in Passione sua geruntur, & tolerantur, & ex his discendo ea, quæ ab unoquoque, in mortis suæ negotio, gerenda, & vitanda sunt.* 255.
LIX. *Considerando Passionem Christi, per Collationem Nati & Passi. Item Adulti & Passi, Item Glorioſi & Passi* Christi. 261.
LX. *Considerando Christum Dominum in Passione sua peccatorem alloquentem, & expugnantem veluti per tot ora, per quot & vulnera.* 265.
LXI. *Considerando Passionem Christi secundum proprietates eorum Animalium, quibus Christus Passus in Scriptura Sacra comparatur, sive appellatur.* 266.

LXII. Con-

LXII. *Considerando Passionem Christi, secundùm proprietates bestiarũ, quibus inimici Christi in Scripturis comparantur.* 271.

LXIII. *Considerando Passionem Domini, tributum pro ea Deo Patri, & Christo Domino persolvere.* 277.

LXIV. *Considerando Passionem Domini, quasi audiamus Esdram, id est Christum, librum legis super gradum ligneum stando legentem & nobis denuntiantem.* 283.

LXV. *Considerando Passionem Domini, per Oppositionem seu Contrapositionem Christi Domini tam Exteriorum quàm Interiorum partium, dolorumque, cum Hominis meditantis Exterioribus, Interioribus multùm oppositis.* 287.

LXVI. *Considerando Passionem Domini, quomodo Christus in Passione sua (quanquam & omni vita) omnem vilitatem, miseriamque conditionis Humanæ à se assumptæ ostendit & planè ostentavit: magnalia verò Divinitatis suæ abscondit oculis persecutorum.* 291.

LXVII. *Considerando Passionem Christi, per piam devotamque exprobrationem Christo Domino, eorum omnium, quæ ille pati dignatus est, & quomodo compellatus est, in omni sua vita, Passione, & morte, sive per Scripturarum oracula, sive per inimicorum virulentiam. Instituendo per hujusmodi probra affectuosas aspirationes, postulationes, laudationes, gratiarum actiones, consolationes.* 298.

LXIII. *Considerando Passionem Domini per Comparationem Christi, nos Passionis suæ humilitate ad ejusdem imitationem invitantis, cum diabolo nos superbiâ suâ ad ejusdem consectationem provocante.* 307.

LXIX. *Considerando Passionem Domini, per disceptationem de juris potioritate ad patiendum, inter Christum Dominum, & ipsummet Hominem.* 309.

LXX. *Considerando Passionem Domini, secundùm admirandos atque paradoxos ejus fructus, quos illa protulit, profert, proferetque, in omni genere cordiũ. v. g. Æterni Patris, Christi ipsius, Matris ejus. &c.* 315.

LXXI. *Considerando Passionem Domini, recognoscere, venerari, & aliis piis affectibus prosequi, in Passione & vulneribus Christi, ejusdem singulares aliquas perfectiones, ac in eis Passionis indignitates, nec non piissimas nostræ salutis per easdem operationes.* 319.

LXXII. *Considerando Passionem Domini, per admirabilem Christi Redemptoris, Hominis autem redempti concertationem, atque luctam; Christo invincibiliter Hominem sibi demerente; Homine contra, Christum pro se Patientem barbarissimè repudiante.* 321.

LXXIII. Considerando Passionem Domini & in ea profusissimam Christi in electos dilectionem, Hominumq; fidelium vicariam in Christi amorem, & cultum profusionem. 327.

LXXIV. Considerando Passionem Domini, quomodo in ea Christus perfectè servavit implevitq; divina omnia præsertim Decalogi præcepta. 335.

LXXV. Considerando Passionem Domini, quomodo in ea Christus perfectè consilia sua adimplevit. 341.

LXXVI. Considerando Passionem Domini, quomodo in ea Dominus noster Passiones seu affectiones nostri concupiscibilis appetitûs erudivit. 344.

LXXVII. Considerando Passionem Domini, quomodo in eadem Dominus noster affectiones nostri irascibilis appetitûs informavit. 351.

LVXXIII. Considerando Passionem Domini quomodo in ea eluceſcant virtutes Theologicæ. 357.

LXXIX. Considerando quomodo in Passione Domini exercitæ virtutes Cardinales apparent. 363.

LXXX. Considerando, quomodo in Passione sua Christus Dominus opera misericordiæ Spiritualia exercuit. 369.

LXXXI. Considerando, quomodo in Passione sua idem Dominus noster opera misericordiæ corporalia implevit. 371.

LXXXII. Considerando Passionem Domini, serutari qualiter in ea eluceſcant Spiritûs Sancti tam Dona, quàm fructus. 375.

LXXXIII. Considerando, quomodo ex Passione Domini omnia Ecclesiæ Sacramenta promanaverint. 382.

LXXXIV. Considerando, quomodo Christus in Passione sua Angelicas perfectiones & expreſsit, & exceſsit. 385.

LXXXV. Considerando, quomodo Christus Dominus in Passione sua Homines aptaverit ad reparandas Angelicas ruinas. 394.

LXXXVI. Considerando, quomodo Christi Passio gloriæ cœlesti respondet meritoriè. 399.

LXXXVII. Considerando quomodo Christi Passio gloriæ cœlesti respondet exemplariter. 402.

LXXXVIII. Considerando quomodo Christus in sua Passione poſsederit octo Beatitudines Evangelicas. 409.

LXXXIX. Considerando quomodo in Christi Passione eluxerint Virtutes, Exemplares, Politicæ, Purgatoriæ, Purgati Animi. 413.

XC. Considerando quomodo creationi primæ mundi respondeat Redemptio generis humani, & Passio Christi. 417.

XCI. Con-

XCI. Considerando quomodo Passio Domini & Redemptio nostra excedat statum primum Innocentiæ. 421.

XCII. Considerando Passionem Domini tanquam quiddam Christo Deo, gloriosissimum & dignissimum, idque in ipsa sua enormitate atque indignitate. 425.

XCIII. Considerando fines & usus atque fructus, ex Passione Domini decerpendos. 429.

XCIV. Considerando Passionem Domini, apprehendere imaginatione, vel intellectu, ac etiam voluntate, Passionum Christi merita, iisq; animam ditare. 434.

XCV. Considerando Passionem Domini per varios Christi Passi intuitus, ex iis eliciendo salutares affectus Animæ, Christo autem placitos. 438.

XCVI. Considerando Passionem Domini, scrutari multa & varia mysteria & arcana, per eam nobis à Christo revelata. 444.

XCVII. Considerando Passionem Domini, cum variis modis compensandi eam Christo. 457.

XCVIII. Considerando Passionem Domini, discere ex ea geminum Spiritum Christi, dediscere Spiritum mundi, Carnis. 463.

XCIX. Considerando Passionem Domini advertendo in ea quodammodo fuisse quatuor Anni tempora, Ver, Æstatem, Autumnũ, Hyemem. 466.

C. Considerando quomodo Christus in sua Passione & Morte, tam per odium inimicorum suorum, quàm per Charitatem suam erga Patris Æterni honorem, nostramq; salutem, annihilatus est totus. 472.

CORONIS seu DISSERTATIO. De perpetua Cruce Christi Domini ab instanti Conceptionis, usque ad instans Mortis suæ. 487.

Passionis & Orationis Dominicæ Accommodatio septuplex.

I. Considerando, conferre septenis petitionibus Orationis Dominicæ, septenas sanguinis Christi effusiones. 513.

II. Considerando, conferre easdem septem petitiones Orationis, cum septem Christi Domini verbis in Cruce. 515.

III. Considerando, conferre item septem petitiones Orationis, cum septem locis Passionis Christi. 518.

IV. Considerando, conferre septem petitionibus Orationis, septem Christi Domini in Passione convulnerationes. 521.

V. Considerando, conferre septem petitionibus Orationis septem Christi Domini in Passione Comites. 525.

VI. Considerando, conferre septem petitionibus Orationis, septem nomina injuriosa Christo in Passione indita. 528.
VII. Considerando, conferre septem petitionibus Orationis Dominicæ, septem fructus seu effectus Passionis ejusdem. 532.

INDEX
MATERIARVM ALPHABETICVS.

A.

Abrenuntiationis gradus. Modo 95.
Adami peccatum Passioni D. collatum eâque expiatum. Modo 52.
Affectus septem in Passione D. excitandi. Modo 57.
Altitudo, latitudo &c. Passionis D. Modo 16.
Angelicæ perfectiones in Passione D. expressæ & excessæ. Modo 84.
Angelicis ruinis reparandis Homines Passione D. aptati. Modo 85.
Anima Christi, & potentiarum ejus dolores in Passione D. Modo 4. 7.
Animæ ditatio per Merita Passionis D. Modo 94.
Animalia Christum in Passione figurantia. Modo 61.
Annihilatus in Passione Christus, suâ Charitate, hostium odio. Modo 100
Appetitus nostros in Passione sua Dominus erudivit. Modo 76. 77.
D. Augustinus inter Christi vulnera & Mariæ ubera. Modo 50.

B.

Balneum ex Passione Domini. Modo 31.
Beatitudines Domini in ejus Passione. Modo 32. & 88. & 96.
Bestiæ quibus inimicos Christi Passi comparat Sacra Scriptura. Modo 62.
Bona Christi, & quid pertulit in eis? Modo 7.
Bona quæ nobis Dominus contulit, & mala quæ à nobis pertulit. Modo 11.
Bonorum maximorum causa Passio D. Modo 17.

C.

Causa, Opus, Modus Passionis D. Modo 20.
Causa bonorum Maximorum Passio D. Modo 17.
Causa selectorum Dolorum Christi. Modo 39. 40.
Cardinales Virtutes in Passione Domini elucescunt. Modo 79.

Cha-

Charitas Christi, & hostium odium, Christum annihilavit in Passione. Modo 100.
Circumstantiæ Passionis D. Modo 1. & 2.
Christi Redemptoris, ab Homine barbarum repudium. Modo 72.
Christi in Passione profusio, Electorum in Christum profusione compensatur. Modo 73.
Christi Passi & Hominis confrontatio. Modo 65.
Christi Crux, cathedra docentis Legem Esdræ. Modo 64.
Christus Decalogi perfectus observator in Passione sua. Modo 74.
Christus Consilia sua in Passione implevit. Modo 75.
Christo DEO, digna & gloriosa fuit & est Passionis suæ etiam enormitas. Modo 92.
Christi Dolores majores infernalibus. Modo 100.
Christus ab instanti Conceptionis suæ passus per totam Vitam suam. IN CORONIDE.
Christus hominis vilitates ostendit, Divinas perfectiones abscondit in Passione. Modo 66.
Christi Nomina injuriosa septem. Accom. 6.
Christi dolorum causa per totam Vitam. In Coronide.
Christi extrema verba in Cruce, septem petitionibus Orat: Dom: collata. Accommod. 2.
Cœlesti gloriæ Passio D. *respondet meritorie & exẽplariter.* Modo 86. & 87.
Comites, seu Condimenta septem Passionis D. Accom. 5.

D.

Decalogum Christus in Passione implevit. Modo 74
Dedicationis, Donationis, Oblationis, Sacrificii, Holocausti, exemplar in Passione D. Modo 45.
Diabolus per superbiam, Christus per Humilitatem nos ad imitationem sui provocat. Modo 68.
Difficultates objectæ Christo, causæ dolorum per totam vitam. In Coronide.
Dignationes Dignitatesque Domini collatæ. Modo 26.
Dimensiones quatuor Passionis D. Modo 16.
Disceptatio Hominis cum Christo de jure ad patiendum. Modo 69.
Ditatio Animæ per Passionis D. *merita.* Modo 94.
Divinitas quid passa in Christo? Modo 3.

Diurna Christi injuriæ. Modo 14.
Dolor D. *in passione.* Modo 36. 37. 39. 40.
Dolores Christi infernalibus majores. Modo 100.
Dolorum Christi per totam vitam causæ. In Coronide
Dona Spiritûs Sancti & Fructus in Passione eluceſcunt. Modo 82.

E.

Effuſiones Sanguinis Christi ſeptem- Accom. 1.
Effectus Paſſionis D. *ſeptem.* Accom. 7.
Electorum liberalitas in Christum pro ejus in nos liberalitate ac profuſione. Modo 73.
Evangelica Conſilia in Paſſione D. *completa.* Modo 75.
Evangelica & Prophetica enarratio Paſſionis. Modo 57.
Evangelicas Beatitudines in Paſſione D. *poſſedit.* Modo 88.
Euchariſtia memoriale Paſſionis D. Modo 47.
Eſdras in lignea Cathedra, Chriſtus in Cruce Legē Dei explanans. Modo 64
Examen Conſcientiæ junctum Paſſioni D. Modo 46
Exemplares Virtutes, in Domini Paſſione. Modo 89.
Experimentum Practicum Paſſionis D. Modo 30.
Expiatio peccatorum noſtrorum à Chriſto. Modo 22. 23.

F.

Figuræ Paſſionis D. *ex Vet. Teſtam.* Modo 29.
Fortunæ Bona & quid in eis paſſus Dominus? Modo 7.
Fructus Maximi Paſſionis D. Modo 17.
Fructus peccatorum Paſſio D. Modo 18.
Fructus Paſſionis D. *paradoxi in omni genere Cordium.* Modo 70.
Fructus & Dona Spiritûs in Paſſione. Modo 82.
Fructus & fines decerpendi ex Paſſ. Modo 93.
Fructus Paſſionis Domini ſeptem. Accom. 7.

G.

Gaudii Materia Paſſio Domini. Modo 35.
Glorioſus & Patiens Chriſtus. Modo 54. 59.
Glorioſa & digna Chriſto D. *ejus Paſſio.* Modo 92.

Gloriæ cælesti Passio Domini respondet
Meritoriè. Modo 86.
Exemplariter. Modo 87.
Gradus sex Passionis D. & Compassionis. Modo 51.
Gradus Scalæ Passionis D. & imitationis. Modo 95.
Gradus abrenuntiationis. Ib.
Gratitudo Electorum erga Christum Passum. Modo 73.

H.

Holocaustum, & Sacrificium &c. in Passione D. Modo 45.
Hominis & Christi Patientis contrapositio. Modo 65.
Item certamen eorundem. Modo 72.
Eorundem de jure ad patiendum disceptatio. Modo 69.
Hominis assumpti vilitates ostendit, Divinas perfectiones abscondit Christus in Passione. Modo 66.
Homo barbarè repudians Christum Redemptorem. Modo 72.
Horæ Passionis, & quæ in eis passus D. Modo 15.

I.

Imitatio spiritualis, Passionis Domini. Modo 9. 24.
Imitatio humilitatis Christi, & superbia diaboli. Modo 68.
Ad Imitationem sui Christus & diabolus invitat. Ib.
Indignitates, Perfectiones, Salubritates Passionis Dominicæ. Modo 71.
Inferni dolores minores doloribus Christi. Modo 100.
Injuriæ D. nocturnæ & diurnæ. Modo 14.
Injuriosi tituli Christi centum. Modo 67.
Instructio Mortis nostræ Passio D. Modo 58
Instrumenta Passionis D. Modo 12.
Innocentiæ statum, excedit Passio Domini bonis suis in nos. Modo 91.
Interiora IESV in Passione quomodo pervidenda. Modo 66.
Iudicium extremum Passioni D. collatum. Modo 49.
De Jure ad patiendum disceptatio Christi & Hominis. Modo 69.

L.

Labor Domini in Passione. Modo 36. 37.
Latitudo Longitudo &c. Passionis D. Modo 16.
Lex à Christo explicata in Crucis Cathedra. Modo 64.

M.

Mala nostra in Christum, bona Christi in nos. Modo 21.
Mariæ V. compassio in D. Passione. Modo 41.
Mariæ V. virtutes in Passione D. Modo 42.
inter Mariæ ubera & Christi vulnera Augustini. Modo 50.
Materia gaudii & triumphi Passio D. Modo 35.
Miracula facta in Passione, fiunt nunc spiritualiter. Modo 34.
Missæ Sacrificio exprimitur Passio D. Modo 43.
Misericordiæ opera expressa in Passione. Modo 80. 81.
Mystici Corporis Christi Passiones nunc eædē quæ fuerunt realis. Modo 33.
Misteriorum revelatrix Passio D. Modo 96.
Modus, Opus, Causa, Passionis D. Modo 10.
Moralis applicatio Passionis D. Modo 9.
Moriendi instructio in Passione D. Modo 58.
Mundi Creationi respondet Passio. Modo 90.
Mundi Spiritum dedocet, Christi Spiritū edocet Passio Domini. Modo 98.

N.

Nati, & Passi Christi collatio Modo 59.
Nocturna Christi Passiones & injuriæ. Modo 14.
Nudationes Christi in Passione. Modo 10.

O.

Oblationis Donationis &c. exemplum in Passione. Modo 20.
Odium hostium & Charitas Christi annihilavit Christum in Passione. Modo 100.
Officia expleta à Domino in Passione. Modo 57.
Opus, Modus, Causa, Passionis D. Modo 20.
Opera Christi, & aliorum in Passione. Modo 1.
Opera misericordiæ Spiritualia in Passione. Modo 80.
Item Corporalia. Modo 81.
Ora Christi tot, quot vulnera, quibus ille loquitur ad peccatorē. Modo 60.
Orationis Dominicæ septem petitionum septuplex ad Passionē D. Accom.

P.

Paradoxi Fructus Effectusque Passionis D. Modo 70.
Passio Domini ad Mores Spirituales applicata. Modo 9.

Passionis D. recompensatio. Modo 38.
Passio D. nostra apud Deum patrona. Modo 25.
Passionis D. repræsentatio Deo Patri. Modo 44.
Passio D. cum ejus Vitæ mysteriis collata. Modo 48.
Passio D. imago extremi Iudicii. Modo 49.
Passionis & Compassionis sex gradus. Modo 51.
Passio D. & peccatum Adæ collata. Modo 52.
Passionis D. enarratio Evangelica & Prophetica. Modo 53.
Passionis D. causa malè meritoria, nostra peccata. Modo 24.
Passio D. fructus effectusque peccatorum. Modo 18.
Passionis D. profunditas, latitudo &c. Modo 16.
Passio D. nostræ Mortis instructio. Modo 58.
Passi & Nati, adulti, & glorioſi Christi Collatio. Modo 59.
Passione suâ D. tributũ solvit Patri Æterno, & à nobis solvendũ. Modo 63.
Passionis D. perfectiones, indignitates, salubritates. Modo 71.
Passio Christo DEO gloriosissima & dignissima etiam in sua enormitate. Modo 92.
Passionis D. scala, latera, gradus. Modo 95.
Passionis Dominicæ loca. Accom. 3.
Passus D. per totam vitam suam. In Coronide.
Patiens & Glorioſus Christus. Modo 54.
Peccata nostra quomodo à Christo expiata. Modo 22. & 52.
Peccatorum singulæ species à Domino expugnatæ. Modo 23.
Perfectiones Angelicæ in Passione D. expressæ & excessæ. Modo 84.
Persona Christi, & aliorum in Passione. Modo 1.

Q.

Quis, qualis, quantus, &c. qui patitur? Modo 2.
Quatuor anni tempora in Passione D. Modo 99.

R.

Redemptio nostra, per Passionem, evincit statum Innocentiæ. Modo 92.
Repudium Christi Redemptoris ab homine redempto. Modo 72.
Repræsentatio Passionis D. Patri Æterno. Modo 44.
Revelatrix Mysteriorum Passio Dominica. Modo 96.
Ruinis Angelicis reparandis, Homines Passione D. aptati. Modo 85.

S.

Sacrificio Missæ exprimitur Passio D. Modo 43.
Sacramenta omnia ex Passione D. emanârunt. Modo 83.

Sanguinis Christi effusiones. Modo 10. & Accom. 1.
Satisfactio Christi pro nostris peccatis. Modo 22. 23.
Salubritates, Perfectiones, Indignitates in Passione D. Modo 71.
Scala Iacob & scala Passionis D. Modo 95.
Sensuum quinque dolores in Passione D. Modo 6. 27. 87.
Sensuum applicatio ad Passionem D. Ib.
Sententiæ S. Scripturæ continentes Passionem D. Modo 28.
Selecti Christi dolores interni. Modo 39.
Dolores externi. Modo 40.
Situs Christi varii in Passione. Modo 13.
Speciales Cruciatus Christi. Modo 10.
Spiritualiter explicata Passio D. Modo 9.
Spiritualia Miracula quæ facit Passio D. Modo 34.
Spiritum Christi Passio docet; spiritum Carnis, Mundi, Diaboli, dedocet. Modo 98.
Spiritus Sancti, dona & fructus in Passione D. Modo 82.
Statum innocentiæ, excedit Redemptio. Modo 91.

T.

Testamenti Veteris figuræ Passionis D. Modo 29.
Theologicæ Virtutes in Passione elucent. Modo 78.
Titulorum Domini injuriosorum Centuria. Modo 67.
Item tituli septem ejusdemmodi. Accom. 6.
Tributum Patri Æterno pro Passione solutū & solvendū Passione. Modo 63.
Tituli à Christo in Passione expleti, sive officia. Modo 57.
Triumphi Materia, Passio D. Modo 35. 54.

V.

Verba Christi & aliorum in Passione. Modo 1.
Verba septem ultima collata septem petitionibus Orationis Dominicæ.
Virtutes à D. exercitæ in Passione. Modo 8. 24.
Virtutes Mariæ V. in Passione. Modo 42.
Virtutes Theologicæ in Passione. Modo 78.
Virtutes Cardinales in Passione. Modo 79.
Virtutes Exemplares, Politicæ Purgati animi. &c. Modo 89.
Vulneribus Christus alloquitur peccatorem. Modo 60.
Vulnera Christi septem, collata petitionibus 7. Accommod. 4.
Usus Passionis Dominicæ & fructus & fines. Modo 93.

FINIS.

IN PASSIONEM DOMINI MEDITATIONES QUADRAGINTA SEX IUXTA NUMERUM DIERUM QUADRAGESIMÆ.

MEDITATIO I.

Lotio pedum, Institutio Eucharistiæ. Exhortatio.

Feria 4. Cinerum.

1. NOn habebat Christus quod lavaret in se ante mortem, reperit in aliis; voluit ostendere neminem esse tam lotum, hoc est Sanctum, qui non indigeret ut saltem pedes, hoc est affectus, sensualitatisq; delicta lavet. Et pœnitentia quidem semper agenda est, sed maximè ante mortem imminentem, ingruensq; Dei judicium, urgenda. O Domine, amplius lava me, etiam ab occultis meis. Delicta juventutis meæ feruentioresque concupiscentias & ignorantias meas ne memineris, sed dele iniquitates meas semper, ut possim ante te sinè culpæ & pœnæ obligatione vivere. Adauge ergo in me Spiritum Contritionis semper. Gratias etiam age Christo quòd te abluerit & abluat sæpe, non aquâ, sed sanguine.

2. HOc est, ait Christus, Corpus meum, quod pro vobis tradetur. Meum est, sed tradetur vobis, & pro vobis, modo vobis proportionato, pro naturæ vestræ exigentia, pro dispositionis singularitate. Intellige quodammodo in tua potestate esse fructus, quos, & quantos voles, ex Eucharistia, imò ex omnibus Sacramentis percipere, quantùm te disponis; quàm capax vas cordis affers, tantum sumis. Sed quid est quod iturus ad Passionem, Eucharistiam Sacram instituit? an quia tibi pugnæ sunt, cum natura, cum malis habitibus, & Passionibus, parare

voluit tibi auxilium, & præbere pharmacum? Vide quæ sit causa, quòd toties Corpus Christi sumens, tamen effrenes indomitasque passiones habeas? deinceps dignius hoc Sacramentum tractare proponas. Sat bene tractat, qui ejus sumptione proficit.

3. EXhortatur ad dilectionem mutuam Christus, nihil enim prodest Corpus exteriùs Dei causâ affligere, charitatem autem mutuam deserere, multos invenies qui carnem graviter atterunt, pauciſſimos autem, qui in communitate viventes aliorum mores tolerare, aliisque moribus propriis molesti non esse sciant; cogita particulares casus, & personas, quibus tu vel alios ferre non soles, vel aliis ipse molestus es, & emenda te in iis, discedque ita esse (juxta Christi petitionem) unum cum omnibus, sicut Filius cum Patre Æterno unum est. Frustra enim appetes uniri Deo, nisi fueris unitus cum proximo; & sicut propter servandam unitatẽ cum Deo; ita & propter servandam pacem cum Proximo multa subeunda sunt, quæ nollet caro.

Feria 5. post Cineres.

2. Egressus Vrbe. Tristitia. Relicti discipuli.

1. NOn vult Jesvs ad nostram Redemptionem capi & rapi in urbe: & tu si vis animam tuam redimere à peccatis, occasiones, conversationes, tumultus fuge. Cogita, in quæ peccata, quibus occasionibus sæpiùs graviùsque cadis, & quomodo ex istis cœnaculis ac domibus egrediaris dispice, & accurata fac proposita.

2. IN itinere, ex urbis egressu, occupat Christum pavor, tœdium, tristitia, condole, & contristare cum Christo, & scito, quòd si servire volueris Deo, Christumque sequi, & à te ipso, tuisque sociis desciscere, reluctantem sis experturus naturam, consvetudinem, reprehensores, linguas, unde tœdia, tristitiæque nascentur. Sicut autem Christus pergit hæc sentiens, & tu nolis Christo magis esse delicatus, sed sta in timore, & præpara animam.

3. RElIquit Discipulos Christus, tu tamen Christum ne desere, imò pete ab illo, ut te secum assumere, & spectatorem, ac si placet consortem etiam Passionis suæ esse velit; hoc ut assequaris, cura esse feruens ut Petrus, purus ut Ioannes, simplex & sincerus ut Iacobus. Et omnino

omnino hîc ſtatue per totam hanc Sanctam Quadrageſimam Chriſtum Dominum patientem animo ſequi, obſervare, imitari, compati; poſtulans ab illo, ut tibi lumen, feruorem, conſtantiam donet, quo multa in Chriſto patiente cognoſcere, exprimere in te, in omnibus autem coram ipſo perſeverare poſsis.

3. Oratio, Calix, Sudor ſanguineus.

Feria 6.

1. DIſce à Chriſto, quomodo debeas, & quando orare Chriſtum; in maximis deſolationibus maximè Chriſtus orat, feruentiſsimè, diutiſsimè, humillimè, reſignatiſsimè: tu contrà, non niſi tunc oras, quando deliciis ſpiritualibus affluis; in oratione es tam incircumſpectus, præſumens, piger, vagus, rarus. Quanquam eſt etiam alius tuus ſcopulus; ut ad orationem non recurras, niſi quando neceſsitas te cogit, quando autem quies eſt, & ſecuritas, facillimè orationem negligis.

2. INfirmæ ſuæ condeſcendens Chriſtus naturæ, calicẽ Paſsionis auferri petit à ſe, & tamẽ rationali parte promptiſsimè illũ acceptat, petitque non ſuam ſed Patris fieri voluntatem. Orat ergo pro ſe, contra ſe, quod petit auferri, hoc poſcit impleri. Diſce & tu in pugnis interioribus te gerere debitè, nec attendere quid caro poſsit, ſed quid ſpiritui expediat & proſit. Quidque ratio, & Deus, & ſuperior velit. O ſi induere conareris affectum illum JESV Chriſti, quo ille oblatum à Patre per manus confortantis Angeli Paſsionis calicem hauſit, & jam tunc abſorbuit, ut tu quoque Crucem, Dolorem, contemptumque tui pro Chriſto aſſumere, & ſuſtinere, eâdem illâ aviditate, & conſtantiâ velis. Nemo enim Chriſto melior patiendi Magiſter, utinam & tu ſis diſcipulus ſaltem bonus.

3. SVdat Chriſtus, putas præ deliciis, & otio? Quin & tu te reſolvis & tandem ſtatuis Chriſto ſervire uſque ad defatigationem, non auſim proponere uſque ad ſanguinem Domine JESV, ſed ſi tuæ voluntati placet, fiat. O anima non potes ſudare ſanguinem tuum pro Chriſto fundendo, ſuda ſaltem Chriſti ſanguinem colligendo. Sanguis Chriſti, perfectio tua, Sanguis Chriſti, ſalus animarum. Guttæ ſanguinis Chriſti,

sti, sunt minimæ occasiones merendi, & Deo placendi, quæ ideo gutræ, quia videntur paruæ, ideo sanguis, quia à Christi sangu ne habent, ut rectè usurpatæ ad vitam æternam possint prodesse. Gutæ sanguinis Christi inspirationes bonæ, quòd enim à Deo dentur meruit Christus suâ Passione. Hunc omnem sanguinem si curâsti, sanguineum Christi sudorem collegisti, ideo pretiũ laboris à Christo sperare potes, sed heu sanguinis Christi sudor factus est decurrens in terram, in vanum. &c.

Sabbatho.

4. Dormitio discipulorum. Obviatio hostibus. Osculum.

1. ORante & agonisante Jesv, dormiunt discipuli. Sic scilicet, quando Deus maximè pro salute nostra excubat, nos peccamus, nos tepiditati, nos torpori & offensis Dei indulgemus, quasi Christus ideo satagat, ut nos nihil agamus: nec veremur amarum illud verbum. Simon dormis? sic non potuisti unâ horâ vigilare mecum? O surge anima mea, exsurge à mortuis istis operibus, tepidè, negligenter, frustra, factis, & in luce, sicut filium lucis decet ambula.

2. SCiebat Christus festinare Iudam & Iudæos cum ministris ad se capiendum, festinat ergo & ille, nec cedit, imò procedit obviam, & præcedit amore furorem, sciens licèt omnia quæ ventura erant super eum. Ubi tua virtus ô homo, si quid triste, vel à longè, vel falsò præsagit animus, si quæ confusionis suspicio se prodit, illicò latibula excusationum, prætextuum, consultationum, dissimulationum, impatientiæ, vindictarum, quæruntur. Nunquid hoc est dicere, surgite eamus, ecce occasio patiendi, confusionis, meriti, laboris? Examina te, quoties occasiones hujusmodi à Divina manu oblatas rejicis?

3. TAntopere Christus amica sanctarum animarum amat oscula, ut vel falsò, vel fictè accedentium admittat svaviationes; & quantò putas libentiùs acceptaret, à sincero, puroque feruore charitatis profectas? Gloriatus est coram Elia de Achabi quanquam minùs sincera pœnitentia, Deus. O si, vel semel liceat dare veri amoris osculum Christo! O si ne semel contingat Christum Iscarioticè osculari; sed quoties (heu!) sic dedi? quoties jam soleo illo modo dare? Exere affectus anima mea, sed humiles, sed solidos, sed amorosos, & illis Jesvm com-

plectere,

plectere, & tuis castis osculis Iudæ osculum detergę, quodsi oris osculo, indignam te (meritò) putas, pedes osculare, lambe vestigia pedũ ejus.

5. Casus hostium, Captivitas Christi, Fuga discipulorum.

Dominic. 1. Quadragesimæ.

1. VErbo Jesvs prostravit universas hostium phalanges. Eheu! quis sustinebit judicantem, quem nemo sustinere potest patientem. Potuit Iudas sustinere lavantem pedes, admittentem ad osculum, dantem sui Corporis Sacramentum, amici nomine compellantem, proditionis signũ exprobrantem: non potuit, quod re ipsâ esset, de se confitentem. Scilicet omnes alios vultus Dei, peccator eludere potest, germanam Dei faciem non potest; facies hæc, est ipsum Esse, ait. Ego sum qui vos creavi, qui Patres vestros ex Ægypto eduxi. Ego sum in quem cadere non potest infirmitas. Ego sum à quo totum vestrum dependet esse. Ego sum solus, & extra me alius non est ullus, & ut sciatis quòd vos non positis, nisi quantum ego concedo. Cadite &c. Ut quid ergo scelera sceleribus cumulas homo, & tepiditatem auges negligentiâ? An nescis quòd qui te judicat Dominus est? Audi sæpe Christum ingeminantem. Ego sum Creator tuus, Redemptor tuus, Iudex tuus, Punitor tuus. quomodo servis Creatori, amas Redemptorem, times Iudicem? tu autem quid? potes quidem dicere. Ego sum factura tua, redemptus tuus, reus tuus, sed num potes dicere? Ego sum servus tuus; fidelis tuus; non potes? cura ut possis.

2. CAptivus Christus in manibus hostium gemit, & tu compateris illi? meritò; sed vide ne etiam in tuis vinculis gemat. Posuisti, aut accepisti illum in specie panis, quàm puro corde, quàm humili ardentique affectu? Vide quomodo Christus abs te tractetur, num non ut ab his Iudæis, num etiam pejùs? Iudas tradito Christo, præcepit militibus; tenete, ducite cautè, tenes tu, an ejicis? ducis cautè, an tractas inverecundè? Et quid prodest Christum recipere, si non retines; quid juvat retinere, indignè autem tractare? Captivat Christum, qui viam Dei, & veritatem in iniquitate detinet, nec ad justitiam erudit multos, quos potest, quos tenetur.

2. FUgiunt Discipuli, quia ad Passionem ventum est. Compatere derelicto Jesu, ex intimis medullis, audiens illum indignissimè haberi ab hostibus, deseri à discipulis. Disce quid possint ex se homines, etsi aliàs cum Christo conversari assueti, etsi aliàs feruentes? Cogita quàm sæpè, quàm facilè, in leviori, quàm præsens est, occasione, à Christo recedis, & turpiter fugis? Dole de tua inconstantia, & te de tua infirmitate humilia, illud autem Christi robur, quo ille in hac captivitatis suæ hora abundabat, à Christo devotè postula, ut ei colligari, cum eo ad præsides trahi, calumnias & cruciatus pati possis.

Feria 2.

6. Annæ examen, Alapa, Responsio.

1. EXaminatur Jesus, nec dedignatur subire, judex omnium, censuras impiorum. Tu ita superbus es, ut tua opera nullam vereri censuram, aut reprehensionem putes, nullius judicio putas esse subjicienda. Recole quàm tu piger es, & perfunctorius, in tuæ conscientiæ examine. Disce sic vivere, sicque te semper gerere, ut possis cum Christo dicere. Ego palàm locutus sum, & in occulto locutus sum nihil, cogitavi nihil, feci nihil, cujus testem conscium que habere metuam. Disce sic vivere, ut purissimus divinitatis ille oculus, omnia intimè internoscens, nihil in te reprehensibile inveniat.

2. PRÒ! quod istud ad aures fulmen verberat? inflicta Christo alapa est anima mea, & tu non tota exhorrescis, pioque stupore palles? Sic scilicet dissimulamus sæpe dum Christo injuriam fieri videmus. Sed videsne in gratiam humanam favoremque Principum impactam esse Christo alapam hanc? Heu respectus humani: quàm frequenter ego vestrâ causâ Christum in faciem cædo, à bono resilio, malum committo? Rubet vultus Christi, ah dolor? sed quidsi, non tà rubet à pugno servi, quàm à contemptu meo? certè scimus honestos homines magis pudere repelli, quàm percuti.

3. QUis crederet hucusque perventurum Deum-Hominem abjectionis, ut diceret homini vili. Quid me cædis? mea te calamitas à cædendo avocare debuerat, satis aliundè afflictus, & affligendus sum, quid me cædis? Non ait tamen. Homo, serve impie, quis tu es qui me cædis?

cædis? &c. Anima mea non tu etiam cum Christo dices huic servo, ejusque supparibus, quid Christum cædis? Senti aliquantulam partem doloris & confusionis hujus, quam Christus sustinet, & quæ Christo extorsit hæc verba, quæ tot alii cruciatus, & indignitates non extorserunt. Non protulit illa Christus, ut argueret, sed ut commiserationem inveniret. Vide quoties tibi dicit anima, quoties conscientia, Regula, Charitas, Obedientia, Paupertas, quid me cædis?

7. Caiphas, Falsi testes, Adiuratio. *Feria 3.*

1. APud Annam Christus examinatur de rebus veris, apud Caiphã obruitur falsis, sed quomodo in eo, in quo verum malum non fuit, falsum inveniretur? Non est consilium contra Dominum cùm stat ante Judices, quando ipse venerit ad judicandum & sederit, quis illud inveniet? quis respondebit ei unum pro mille? Humana judicia, & sententias non time, nec justitiam tuam desere, quam cæpisti tenere; si innocens es, illum time judicem, qui in lucernis scrutatur etiam Ierusalem. Vide qualis in hac parte sis?

2. FAlsis testimoniis Christus accusatur, ideoque absolveretur potiùs si esset apud eos causa, qui veritatem scire, & non potiùs innocentiam opprimere vellent. O quàm frequenter accidit etiam iis qui proficere alioquin in bono student, ut non tam resilire à malis consiliis, quàm ea fucatis coloribus palliare, effictaque dictamina conscientiis suis per vim obtrudere soleant? Sæpe injurias vindicant, & zelare pro bono communi se dicunt: dicunt non ideo se narrare, ut detractum famæ sit, sed quia minùs sibi probatur, ut caveant alii, quia res nota est. Disce non cuilibet spiritui credere, sed proba spiritus utrum ex Deo sint, & omnia tua facta, ad sensum horæ mortis, limamque judicii Divini explora. Non enim potest malè judicare, qui judicii sui timet habere scrutatorem & interpretem DEVM.

3. ADjuratur Christus per Deum vivum, & facit pro nominis divini reverentia, dicitque id audientibus hostibus, quod sciebat extremæ sibi fraudi futurum. Quin tu fidenter adjuras etiam Christum ligatum. Adjuro te ut dicas mihi, si tu es Christus: quem ego sequor,

cui ego

cui ego servio? scio te esse, scio per fidem, & intellectum, sed scire volo per affectum, & per altiorem quendam, quem magnis tuis Sanctis communicare gaudes sensum. Adjuro te mi JESV per Deum vivum, per tuã inquam Divinitatem, ut dicas mihi verbum, quo cognoscam te in luce tua, ut sciam te, & amem te, ut sciam me scire, & me amare te, & ambulare coram te corde sincero & perfecto, prout par est in gradu excellenti, & heroico; utque sciam, quantum adhuc desit mihi. Petes à Christo spiritûs prudentiam, quo Christum & scias ipse, & aliis noveris annuntiare opportunè, fructuosè, sedulè, efficaciter.

Syria 4.

8. Scissio Vestium Caiphæ. Blasphemiæ, mortisque reus proclamatur.

1. INvidia quò non deducat? ad actus etiam pudendos & indignos se, sed quia invidia est, non videt, eum tamen cui nocere vult, & modum nocendi videt. Commune, & pejus pessimis malum, à quo etiam magnorum rari liberi sunt, imò si qui illi obnoxii, hi maximè. Est tamen fraudulentum: omnia alia se esse potiùs quàm invidiam simulat; commissum est officium, applicatur ad aliquid, successit benè negotium, laudatur alter, habetur ejus ratio: quid fit? in corde stulti nascitur invidia, sed zelo Dei, & boni communis induta: itaque mox extenuantur dotes proximi, allegantur mores præteriti, aut eventus, deteguntur defectus, carpuntur bona, & quid non? Quem diligit Dominus liberabitur à malo isto; tu anima supplica Christo.

2. QVi ne perderet obedientiam perdidit vitam, qui adjuratus per Deum ob tanti nominis majestatem, verbum verum quidem, sed tamen sibi mortiferum dixit, qui non suam sed Domini voluntatem fieri petiit, qui etsi à Patre duodecim legiones rogare potuit, propter Patris tamen obedientiam noluit, is blasphemâsse Deum dicitur. Frequens talis occasio patiendi in communitate, ubi laudandus quis erat, ibi culpatur. In hac materia, quomodo te gerere soleas, diligenter dispice, quomodo debeas, à Christo disce.

3. Reus

3. REus est mortis Dominus Jesvs anima mea, reus omnino, quia cùm dilexisset te, tradidit semetipsum pro te, quia in finem dilexit te, morti addictam, mortis ream, mortuam; an non qui tangit picem, coinquinabitur ab ea? Falsò concilabulum istud clamat Christum mortis reum, clama tu verè: Reus es mortis Domine Jesv, descendisti de cœlo, incarnatus es, vixisti, laborâsti, captus es, omnia facere & pati decrevisti, pro salute mea: verbum autem tuum; quantò magis decretum? quomodo potest transire? reus es mortis. At tu anima mea, non es rea amoris, non amabis amorem istum Christi, qui illum fecit reum mortis tuæ, & pro te? Imò ama, & ad mortem usq; amare ut possis Christo supplica. Dignus est enim morte, qui Jesvm non diligit mortuum pro se.

9. Sputa, Velamen, Verbera. *Feria 5.*

1. DAmnatus à Pontificibus, conspuitur à Satellitibus Jesvs, heu me qualis contumelia? Vultum Angelis desiderabilem & terribilem conspuunt homines vilissimi & pessimi. Heu! quàm sæpe ad ductum Dominorum peccare pergunt subditi & præeuntibus majoribus sufragantur, sequunturque minores. Formidanda res præesse, imò & magnum esse; si magnus & malus es, magnus peccator es? non enim tibi soli peccas, sed multis, quos tuo exemplo audaciores facis ad disciplinam solvendam, ad negligenda bona; sic vive, tuo ne exemplo alius causam vel minimam peccandi sumat: anima tua, pro anima ejus. Væ mundo à scandalis, sed magis væ scandalis ipsis, maximùm autem væ magnis scandali datoribus. Hactenus Religionis disciplina Virgo fuit, tu primus eris, qui illam prostitues, scandalumque facies?

2. VElamen Vultui Christi impositum est, an ut quo sputorum irreverentissimas sordes detergat, habeat? an suam ipsius spurcitiem impietas spectare horret? An piissimo Christi vultu moveri, atq; mansuefieri se sentiens impiorum animus, pius ne fieret timuit, ideoque Christi faciem velavit? O anima velamen Christi vultui nunquam objice, sed ut vel peccantem te aspiciat Jesvs, velis; proderit tibi, sicut profuit Petro. O si tu vultûs Christi velamen esse potuisses anima mea, ut

sputa barbarorum haurire, & ictus excipere, Christoque servire potuisses!

3. VErberatur, & de Percussore prophetare jubetur, quasi sit mendax tua Veritas, ô æterna veritas! sed scilicet quasi per risum stultus operatur malum. O cor, si pium es, hic est occasio pietatis; profectibus tuis isthæc petra tunditur, ut tu sugere mel possis, oleumque impinguans caput colligere; cur quæso non proficis ô anima, quid te ad Sanctitatis, hoc est, ad constantis ac fructiferæ virtutis studium adducet; si hæ Christi ignominiæ in oculis tuis, ab ipso toleratæ, pro te, non adducent?

Feria 6.

10. Negatio Petri, Cantus Galli, Respectus Christi.

1. OQuàm miseri sunt profectus nostri, & quàm infirmæ soliditates nostræ? Ille Petrus, qui Christum præ æstimationis magnitudine, à lotione pedum arcebat, cum quo præ feruore, in carcerem, in mortem, vel solus ire audebat, jam Christum notum sibi esse, cum juramento, & anathemate, ac detestatione pernegat! Planè hoc apud me frequentissimum. Nunc mirè Majestatem Dei revereri, & statim eandem levissima de causa obliviscì ac offendere. Non nôsti Petre hominem istum? verè eum non nôras, si enim cognovisses, non negâsses.

2. Negat Petrus, cantat gallus; scilicet, quando homo peccat, conscientia vigilat, & velut canis custos in foribus peccatum adest. Sed cantus galli Petrum non convertit, neque etiamsi peccatum contrà peccatorem est, semper illum emendat. verùm Deus est, qui peccata remittit, & conuerti peccatores facit. Superiores, concionatores, galli sunt; peccant homines, galli canunt, canunt inquam, quia consonè, appositè, harmonicè, pro ingenio, & captu dicunt, sed solus Deus fingit animos, & loquitur ad cor.

3. SOl terram respicit tot oculis, quot radiis, per idque varia producit. Respexit Christus Petrum, & convertit in fletum petram, amarè quidem Petrus flevit sibi, sed dulciter Christo. Vide quomodo Christus amet animas; tam malè habebatur ipse, & tamen Petrum aspiciebat atque convertebat. Rem Christo gratam facere vis? animā

tuam

tuam, animas aliorum, ad amaros pro culpis fletus provoca; sic enim Dolores Christi multùm leniviſti. Roga IESVM, ut te frequenter hoc aſpectu aſpiciat. Verè enim ſanitas in portis, hoc eſt, oculis ejus, & aſpectus ejus emiſſiones aquarum. Reſpice & tu Chriſtum, efficacis imitationis deſiderio frequenter, reſpice ut ames, ut compatiaris, ut ſequaris, ut deſideres, gratias agas, imiteris.

II. Totius noctis blaſphemiæ. *Sabbato.*

1. REvoca in memoriam omnia, quæ iſtâ nocte Chriſtus ab impiiſſimis illis paſſus eſt, & ſimul revoca totius mundi, & tua in primis, quibus occultiùs & fœdiùs Divinam Majeſtatem offendiſti, & tua ſcelera, pœnis Chriſti conferens, illaque harum cauſam eſſe agnoſcens, amariſſimè quantùm potes culpas tuas defle, dolores & ignominias Chriſti in te ipſum transfer, & pœnis tuis luere ſtatue, & contende. Sæpe etiam Deum deprecare pro iſtis peccatis, quæ vel fœdiora, vel tibi occultiora ſunt, nec pro tuis ſolùm, ſed pro omnibus illis aliorum peccatis, quæ ſunt magis probroſa, occulta, ſinè pœnitentia, vel ob negligentiam, vel ob ignorantiam culpabilem, relicta.

2. REcogitâ quanta hominum talium multitudo, qui ex ignorantia Deum graviter offendunt, & exiſtima talia peccata eſſe nocturna iſta Chriſti ſupplicia; & quid hîc facies? ora pro augendo fidei lumine in mundo, ora pro dandis Eccleſiæ Apoſtolicis viris, ora pro converſione infidelium, pro emendatione Chriſtianorum. Te ipſum, quâ potes ad hunc laborem Domino offer, accingere, & præparare ſtude. Condole Chriſto, quòd etiam hodie, in hac nocte graviſſimas ſcelerũ pœnas, apud impios homines quaſi luat, eumque cùm potens ſit, & velit, roga, ut hanc noctem quàm efficaciſſimè diſcutiat.

3. PErpende Chriſti Excellentiam, injuriarum hujus noctis magnitudinem, & longitudinem; excita in te compaſſionem ſenſibilem, de tantis injuriis tali perſonæ inflictis. Amoris intenſos erga Chriſtum affectus elice. Singulas injurias Chriſti, actu compenſa, conformari Chriſto, aliquâ tui ſubmiſſione, & contemptu conſtitue, & totâ hac v. g. die illius infelicis noctis lachrymabilem memoriam animo retine.

Dominic. 2. Quadragesimæ.

12. Concilium matutinum, Condemnatio secunda, Iudæ Pœnitentia.

1. MAnè facto adducitur iterum ad Concilium JESVS, & statuitur ante Principes Iudæorum, examinatur iterum, & an sit ipse Christus interrogatur, Christus JESVS in Sacramento est quasi vinctus in concilio. Examina diligenter anima mea vinctum istum, quem verba Sacerdotalia de cœlo evocant, & sub speciebus velut in carcere collocant, manus verò in altari, tanquam in concilio proponunt, non tamen superbè, sed humiliter, quære ex illo dicens. Si tu es Christus dic nobis? Multùm proderit tibi responsio JESV, si respondere dignabitur, & quidni dignetur tibi dicere ad honorem suum, quod respondit Iudæis ad perniciem suam. O JESV mi, si tu es Christus dic nobis, dic intellectui, ut te sciat; voluntati ut amet; dic toti Ecclesiæ, ut te honoret; toti mundo, ut credat, & tibi serviat, hosque Passionis tuæ contemptus compenset.

2. SEd quid adhuc desideramus testimonium, cùm ipsi audiamus de ore tuo piissime JESV, quod tu sis Christus Filius Dei. Condemnant te Iudæi propter vocem hanc: at ego te Salvator mi, veritas mea, & misericordia mea, amo, & laudo, & toti mundo annuntiare cupio; Quòd tu sis Christus. O anima mea videsne tu Christum Dei Filium tui causâ sic afflictum & humiliatum? audis damnatum? vides denuo vinctum? cur ergo non ingemiscis, ad tale spectaculum? cur non & tu vinciri, ac stringi votorum, diligentiæ, ac mortificationis, arctioribus quotidie vinculis gaudes? vide an molesta sit tibi disciplina? Quid respondebis Christo objicienti. Ego vincior, tu vinciri non vis?

3. O Iudicia tua JESV tremenda, judicaris ipse ab impiis, & tamen simul judicas impios; fertur contra te mortis iniqua sententia, & tamen tu quoque judicium terribile supra impios pronuntias. Iudicas Petrum negantem & salvas; judicas Iudam pœnitentem, & damnas. ut converteretur, nec Petrus, nec Iudas meruit; reperisti tamen tu in sapientia tua, unde Petrum salvares; & in justitia inveniſti, unde Iudam perde-

perderes. Excita in te animam meam timorem vinculi hujus Jesv, castum, & filialem: quoniam vides in manu ejus claves vitæ & mortis, & roga, ut nunquam circa te clavibus mortis, semper autem vitæ utatur, simulq; vide ne tua pœnitentia sit, sicut Judæ.

13. Iesvs in prætorio. Stat ante præsidem. Silet.

Feria 2.

1. ADduci Jesvm ad Prætorium, nihil est aliud, quàm velle Deum habere in conscientia, perturbationibus obnoxia, vel velle Christo quietè servire in multorum inutili conversatione. Non quievit Iesvs in prætorio, nec locum habet in corde passionato. Ejice prius turbam, quæ Christum deridet, & tunc Christum introduc. Cogita quibus præcipuè turbationibus movearis, ac quæ in te vitia regnent, quibus inventis ea ad Jesvm adduc, & ipsum Iudicem miseriæ tuæ statue, ut misertus tui sanet te.

2. STetit Jesvs ante præsidem. ô quâ vultûs, morumque modestiâ stetit? stetit sanè tanquam coram eo, in quo potestatem agnoscebat supernam. Tu vide quomodo stes, quomodo ambules coram Deo tuo, Præside tuo, Fratribus tuis? Non est (ait prædo animarum) Deus in conspectu earum, nunc interibunt; quid ni intereat Homo (Religiosus) quoties de Deo non cogitat, quandoquidem aut bestia, aut diabolus est? Disce vel sic te gerere coram Christo, quomodo se Christus gessit coram Præside Pilato.

3. TAces mi Jesv: nec ad accusationes hostium respondes. O si me silentium tuum silere doceat, quando consistit peccator, hoc est, peccandi occasio, adversùm me. O si sileant mihi inquietudines omnes cordis mei, vanæ & stultæ, ut soli vacem tibi, & os cordis mei loquatur animæ meæ, magnitudinem mirabilium operum & dolorum & contemptuum tuorum? O si cor meum discat esse fidens in te Deum suum, tibique causam suam derelinquere, & omnem cogitatum suum jactare in te, cui est cura de se. Vide quàm sæpe, & quibus occasionibus labaris per linguam?

Feria 3.

14. Mittitur Herodi, Gaudet Herodes, multis interrogatur.

1. CHristus captivus ligatusque stipatusque turmis, calumniatorum obit tribunalia & Palatia Principum, & Præsidum, & Regum. Mi Jesv quid hoc rei est? olim cùm te vellent facere Regem turbæ, fugiebas; cùm te patibularium facere volunt, Regibus te præsentas? Non poteras ordinare, ut ad unum adductus judicem ab eo damnareris, sed omnibus præsentari volebas? An sic nostrum triumphas fastum, qui ad honores cæci ruimus, à contumeliis verò, maximè verò in conspectu magnatum refugimus, nihilque ducimus acerbius, quàm confundi, aut detractum nobis esse coram honoratis, & multis? An potiùs delectabant amorem tuum illæ confusiones & vincula, itaque velut gloriabundus, aulas Principum oberras, & de te ipso triumphas! O me infelicem, qui ab hoc Jesv Spiritu absum longissimè? Aliquando te offende, aliquando confunde anima mea Christi causâ, & hic occasionē ac tempus designa.

2. QUàm sæpe dolente ac Patiente Christo, gaudet Herodes? nempe (ait Christus,) mundus gaudebit, vos autem amici mei, contristabimini. Sed quid est, quòd viso Jesv gaudet Herodes? an quia videt Patientem? olim audito, quòd esset Christus natus, turbatus est Herodes, quidni nunc viso eodem captivo gaudeat? Tanta est benignitas tua piissime Jesv, ut etiam ad impios non venias, quin eis gaudium, aut saltem gaudii veri radicem (si tibi obsequi vellent) afferas. Et cur ego de te tam rarò gaudeo, nisi quia te non cognosco, tibi non obsequor, tibi non constanter inhæreo, sed facilè ad temporanea delabor? Non prosunt sua Herodi gaudia de Christo, quia importuna Christo; compati sibi Christus volebat, non de sui visione frivolum gaudium haberi. Sperabat signum à Christo fieri videre, quia non videbat ipsum Christum ante se, signum cui contradicebatur, fieri. Infelix quem illud signum non movebat, quod aspiciebat. O quanta, quàm mira signa in Christo, ante Herodem, stante! Anima mea, tu illa scrutare, cognosce, mirare, sequere, ut autem id possis, Christum deprecare.

3. INterrogatus multis Christus ab Herode tacet, accusatus ab Iudæis constanter, constantiùs tacet. Spernendum se hujus silentii causâ sciebat,

sciebat, nihilominus tacet, ad quid hæc taciturnitas Domine Iesv? O tempus tacendi, tempus loquendi! inutilis quæstio, falsa accusatio, sat bene solvitur, & refutatur silentio. At quàm rara hæc mihi ignotaque virtus, tacere tunc posse, quando silentium meum stultitia reputatur? Piissime Jesv, silùisti Herodi inepta interroganti, responde mihi, semper, & nunc utilia abs te poscenti. Responde mihi quantas habeo iniquitates? quid adhuc mihi deest, quàm longè sim à te? quid debeam tibi? quo tu dignus es? quid retribuam tibi pro omnibus, quæ retribuisti mihi? Hæc dum quæro abs te mi Jesv, responde mihi, & confer necessaria ut placeam tibi.

15. Spernitur, illuditur, induitur ab Herode. *Feria 4.*

1. SPernit Herodes Jesvm, ille qui erat gavisus de viso Jesv, nempe quòd ad pravitatem suam abuti non poterat JESV, quoties & ego sic sperno Christum, quem ante colui, spe terreni & caduci commodi, alicujusque solatioli, quo frustratus, Christum, & pietatem abjicio, & bona opera negligo, & quod non gratis servierim Deo, ostendo. Sprevit Herodes Christum; heu indignitatem, sed quid faciam mihi, cui hoc usurpatissimum inspirationes Dei ad bonam & ad perfectam vitam negligere; quid est videre Iesvm & spernere, nisi agnoscere Dei voluntatem, & non sequi?

2. NEc sprevisse satis est, etiam illusione opus. O majestas, tibine illuditur? O reverentia cœlestium Potestatum Iesv? quem vel ipse Æternus Pater præ reverentia exaudit, atque clarificat, hunc viles homunculi illudunt. Heu me, quàm in me faba cuditur! verbulum unum, signum suspicionum, meo honori oppositum, noto, ferre non possum; iras, minas, detractiones, inquisitiones spero, hoc certè Iesvs non fecit, quod tu Iesv scilicet fidelis servus facis; conare, Domino, & propone, Christo, has illusiones rependere æstimationibus.

3. SEd enim bene est; tandem bona causa triumphat, & innocentiæ candor emicat; sanè dum mali justos irrident, commendant. Noli affligi ô juste, si quid adversi aliquando accidit, si adversarius persequitur sinè causa, non est difficile in oculis Dei, tribulationes tuas, ver-

tere

tere in consolationes. Sed, quid mihi, & consolationi, mi IESV, tu pateris, ego solatia somnio. Nolo solatia, tuam potiùs amplector illusionem, & stultus tecum reputari malo, quàm cum mundo sapiens. O IESV hoc dictamen intimè penetrare concede, verè enim hæc meditari, hæc exsequi, hæc quærere, hæc amare, est sapientia quæ trahitur de occultis, abscondita sapientibus, revelata autem parvulis, mansuetis, humilibus.

Feria 5.

16 Remittitur Christus Pilato, Pax inter Herodem & Pilatum, Nil invenit in Christo.

1. REmittit Christum Pilato, aulica nequitia; tanquam nihil cum eo sibi velit esse negotii. O nimis verè dictum: Exeat aulâ, qui vult esse pius. Aularum servi non possunt esse servi cælorum, & cur multi festinant ad odorandum aulicas ollas, etiam ii, qui scilicet toti mundo dixerunt vale? Remittit Pilato Christum, quisquis bonum, quod ipse agere potest, aut poterat, alteri faciendum relinquit. Iuvandus est peccator: at laborare piget, & pergere? pergat aliquis alius; quid ille facit, nisi Christum Pilato remittit? vocat ad emendationem Deus hodie, ego cras me polliceor facturum, an non Christum Pilato remisi? O Piissime IESV non pigeat me tui, non me tuæ conversationis tœdeat, in singulas horas & momenta tibi inhæream, & nunquam te à me remittam. Quomodo id cures, & cur negligas? dispice.

2. INter Herodem & Pilatum Pax est, at non inter ipsos & Christum; impii, semper contra Dominum, & contra Christum ejus, concordes; impietas enim non esset, si faveret pietati. Age, amicos tuos dispice, & ea quæ tibi sunt amica; eane quæ inimica Christo? ordini, Pietati, disciplinæ, superiori, conscientiæ? si ita est, Herodem Pilato conciliatum scias O mi IESV sint mihi omnium inimicitiæ propter te dulces, amicitiæ omnium sinè te omnes amaræ, qui tuus est, jungatur mihi; qui non est tecum, contra me sit. Nolo amicum non tuum. Vide, an alicubi ob metum humani odii negligas obsequium Deo?

3. Nihil

3. Nihil inveniſti Pilate in Jesv? malè quæſiviſti, inveniſſes ſi non malum in eo, ſed bonum quæſiſſes; ipſe enim eſt plenus gratiâ, & veritate, in eoque ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. Quanquam mi Jesv non eſt in te bonum quærendum, ſed à te accipiendum; in mari non quæritur aqua, ſed hauritur, & in ſole lucem nemo ſcrutatur, ſed uſurpat. Quocirca verè olim per Prophetam dicebas. Quid invenerunt in me Patres veſtri iniquitatis? etenim Pilatus teſtatur ſe nihil mali inveniſſe in te. Hoc ſi ita eſt Domine Iesv, (verè autem eſt) cur te tam facilè, tam levi de cauſa deſerimus, quaſi aliquid extra te inventuri ſimus melius te? Anima mea dic Piiſſimo IESV, ante Pilatum ſtanti. Mihi autem adhærere Tibi Bone IESV, bonum eſt. Tu gloriatio mea. &c.

17. Tu es Rex? A temetipſo? Quid feciſti? *Feria 6.*

1. Quærit ex Chriſto Pilatus, An ſit Rex Iudæorum? Non uſurpabas mi IESV titulum hunc, quin imò oblatum fugiebas, ſed calumnia hoſtium affingebat tibi, ut te reum apud Pilatum facerent, & odioſum, crucéque dignum. Heu mihi, quàm impatiens ſum in aliorum de me oblocutionibus, non affinguntur mihi crucem merentia crimina, non ſanguis & vita petitur, non raptor ad tribunalia impiorum, verbum tantùm eſt, ſuſpicio ſola eſt, quæ me pœnè ad rabiem torquet. O ſi tanto Chriſti exemplo pati diſcam, & in calumniis gaudere, & objectores earum modeſtè tolerare.

2. Mitis Jesvs reſpondet Pilato: A temetipſo habes, quòd me Regem voces, an ab aliis? ſi à te, quibus argumentis id dicis? ſi ex aliorum ſenſu, quomodo id illi probant? Non ex me ſed ex illis, qui me dicunt eſſe, quære unde probent eſſe. Sed mi Jesv à temetipſo hoc dicis, an innocentia tua hoc poſcit; pati volebas, ſed non debebas; itaq; quæ objecta ſunt diluis, non tamen te ſupplicio eximis. Hæc nempe vera eſt innocentia, carere culpâ, refellere calumniam, ſubire pœnam & exercere patientiam. Talem Patientiam diſce anima mea; Hoc eſt enim ut ſocium Chriſti pati; Hoc Paſsiones Chriſti exprimere. Talem Patientiam JESV da animæ meæ.

3. INdignatur Pilatus ad Christi responsum, & amarè exprobrat. Gens tua, & Pontifices tui tradiderunt Te mihi, quid feciſti. O Iesv priùs mori contingat, quàm sæculares spiritualium subditos prælatorum exemplo, depravatos, dicentes, & exprobrantes audire: Gens tua, & Pontifices tui, tradiderunt te mihi Christe, hoc est, docuerunt me quomodo deberem peccatis crucifigere te. Sed tu o Pilate quid quæris ex Christo? quid feciſti? quin potiùs quæris ex illo, quid non fecit? Ipse est per quem omnia facta sunt. & sinè quo factum est nihil: tu autem quæris quid fecit? Hoc quod te video Domine Iesv vinctum ante Præsidem, accusatum, pessimè tractatum, captum, venditum, tot hostibus vallatum, quid sibi vult? quid est? quid feciſti? An hæc est abyssus charitatis tuæ? an hæc peccatorum meorum malitia? an hæc est gentibus stultitia, Iudæis scandalum, electis verò tuis virtus & sapientia? O Iesv mi aperi oculos meos, ut sciam, Quid feciſti?

Sabbato.

18. Regnum meum non est de hoc mundo. Ad hoc natus sum. Quid est Veritas?

1. O Iesv Regnum tuum non est de hoc mundo, quid ergo nos adhuc in mundo degimus, si de tuo regno non sumus? O utinam adveniat ad nos etiam Regnum tuum! aut tolle nos de mundo, & ad tuum transfer regnum. Hìc te dispice anima, de mundo es, an de Christi regno? quid in te non mundanum, verba, studia, mores, nonne amas, & amplecteris ea, quæ mundus amat? nonne honor tibi tuaque æstimatio curæ? non contemni negligíque fugis? quod si ita est, tuum certè regnum de hoc mundo est: vel potiùs tu de mundi regno es: proinde de Christi regno non es. Eheu quid prodest Christi regnum cognoscere, sed non habere?

2. AD hoc natus es, mi Iesv, ut testimonium perhibeas veritati tuæ. veritati nostræ. & quando credemus tandem tibi? diffidemus nobis? Perhibe mi Iesv testimonium cordi meo de veritate, ut in lumine spiritûs tui, cognoscam quid sis tu, quid sim ego? quid debeam tibi, quia pateris tanta pro me? quanti æstimare Passionem tuam debeo?

quantùm

quàntùm adhærere veritati tuæ, descíscere autem à vanitate, & veritate mea me convenit? O si scias & tu homo ad quid natus sis, an ut de die in diem graviùs Deum offendas, an ut quotidie tepore tuo Christo vomitum cias, an ut ore & labiis & veste servus Dei sis tantùm, non magis autem ut servias Deo, in spiritu, & veritate, & testimonium perhibeas veritati Christi, coram pusillis, magnísque simul? Et quomodo tuo satisfacis officio?

3. QUid est veritas? Grandis quæstio, & quam proponere potuit, audire non potuit, quia non meruit, Pilatus. O infelicem, qui veritatem aspiciens non vidit? sciebat quòd per invidiam tradidissent eum, nullam inveniebat in Christo causam, innocentem justumq; proclamabat, nec tamen veritatem videbat. O infelicem, qui veritatem quæsivit non invenit! O Æterna Veritas, quæram te, inveniam te, agnoscam te, diligam te, audiam te, servem te. O si in omnibus meis motionibus quæram quid est veritas? O si in omnibus veritatem intendam? & nunquam diligam vanitatem, neque unquam quæram mendacium. Sed heu! quoties vel ipse me ipsum fallo, quoties vana, adulatoria, ab aliis libenter audio, & vanus vanitatem à vanis aucupor, magnumque aliquid reperisse me puto, si vanitatem assequor.

19. Quem vultis dimitti. Persuaserunt plebi. Non hunc.

Dominic. 3. Quadragesimæ.

1. NOn tibi indignitate ipsâ indignior videtur ista optio ô anima mea? JESVS Barabbæ componitur, & quis sit vitâ dignior ambigitur? Siccine Domine contemptus es? Siccine te abjicere voluisti? quid misero me fiet, qui contemni, qui abjici nolo? Atquid dicam, si ego ipse tales Christi comparationes instituo? Peccandum est, aut IESV Christi gratiâ abstinendum: utriusque occasio est: & ego infelix delibero, quid facto sit opus? quod, quid aliud est, quàm quærere ex meis Passionibus & cupiditatibus: Quem vultis vobis dimitti? O stulta cogitatio, nonne ipsum JESV sanctitatis nomen rapit, ad hocque adigit, ut Christum toti mundo præferas? O infelix, præfer Christum, millies, promptè, omnibus omnino rebus, præsertim in præsentia Sanctissimi Sacramenti constitutus.

2. PRincipes Sacerdotum persuaserunt plebi IESVM perdere, Barabbam liberare. Sic à majoribus orta est iniquitas, & tanta quidē iniquitas: persuaserunt non solùm dicto, sed magis exemplo, non solùm IESVM Barabbæ postponere, sed ad mortem etiam poscere, & cum tumultu vocumque invalescentia perdere. Vide quantum possit authoritas & potestas in abusum detorta. Vide ne unquam in Christi perniciem & contemptum vertas persuasionem tuam, authoritatem tuam, exemplum tuum.

3. O Pater Æterne, non hunc perde sed Barabbam; quid enim hic mali fecit? Num placet tibi ô Pater Æterne hæc postulatio, quia utique non expedit nobis, ergo vertimus & dicimus. Non hunc dimitte, sed Barabbam; illum inquam Patrem nostrum antiquum, debitorem & fugitivum tuum, captivum draconis, universalem homicidam. alioqui si fuerit hic dimissus, non poterimus nos salvi fieri, sanguine enim hujus agni lavari nos oportet, si mundi esse debemus. Non hunc ergo Pater Æterne dimitte, non hunc, quia expedit ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Sed tu quoque o homo diligenter nota, quem de duobus dimittas, dimitte nequitiam à te, sed non JESVM; sit apud te liber IEsvs, malitia verò victa & necata, coarctata, & quasi in carcerem missa. Porrò, cum audis ô homo posci ne dimittatur IESVS, sed magis ut crucifigatur postulari à Iudæis, adhære constanter Christo tuo, cujus sanguinem & vitam peti, quem ad Crucem advertis postulari, & contristare de tam tristi sermone, aut etiam si vis, petitâ ab IEsv licentiâ gaude, quòd istâ Christi retentione, & captivitate, tua libertas transigatur; pro qua re Christo gratias age.

Feria 2.

Quid faciam de IESV. Quid enim mali fecit? Tolle, Crucifige eum.

1. AUdisne anima quid Pilatus quærat, scilicet ecquidnam faciat de IESV. O Pilate! o Iudex! quid facies de IESV? si reus? convince, & damna. Si innocens? dimitte, & libera. cur ab accusatore quæris, quid de reo facias? da tu consilium anima mea Pilato, & persuade

quid

facere deceat de Jesv, an forte dubitas te quidquam profecturam consilio tuo? te igitur ipsam, alio que, quos attinet, mittimus, quid faciant de Jesv. Multum feceris, si quidquid illi in te displicet, a te rejeceris, si Jesvm ad cor mundum, humiliatum, contritum, inflammatum induxeris. Si doloribus Christi particeps veris, crucem & ignominias ejus non erubueris? hoc de Iesv facto, contentus erit. O si hæc tibi quotidiana esset quæstio, quid faciam hodie? quid hac horâ, quid hac occasione de IESV? quem enim decet scire, quid facere debeat de Jesv nisi socium Iesv?

2. QUid enim mali fecit? obtrudit, crucem boantibus Iudæis Pilatus, sed quid quæris ab his Pilate, quid mali fecerit Jesvs, qui Iesvm non ideo perdi volunt quia malus est, sed ideo potiùs quia bonus est Malus nunquam bonum odit quia malus, sed quia bonus est, & quòd contrarius operibus ejus. Itaque in Christo Iudæis non est crimẽ malum esse, sed bonum esse, & quia illi mali, iste bonus, ideo illum crucifigi volunt, tanquam sibi malum, quibus bonum videtur se malos esse, & quia semper malis bonus est malus, utpote contrarius. At tu anima quidni quæris à te ipsa peccante, vel in peccatum inclinante, ingratitudinemque in Jesvm committere festinante: Quid mali mihi fecit Iesvs, quia peccavi, quia peccare meditor? Item, quid mali fecit, ut in eum peccem? imò quid boni mihi non præstitit, quid non præmii promisit, si non peccem, & ut non peccem, utque hoc in gratiam ejus faciam? denique quid non minatur mihi mali, ut non faciam malum?

3. O Corda saxea & stuporis furorisque plenissima? Heu quorsum non ascendit furor malorum ubi semel frenos excussit; non pudor, non ratio, non conscientia, non authoritas, non omnis causæ, quæ prætexi posset absentia, retrahit à nefando odio, ab immani invidia. Vide ô homo quanti sit invigilare semper mortificationi passionum, quantumcunque illæ domitæ & pacatæ videantur. Sed, quid audio Bone Jesv? te crucifigi, te tolli volunt de medio populi, isti quos tantis affecisti bonis, quos nullis affecisti malis? O mi Jesv, tolle me, crucifige me tecum, affige me cruci dolorum, ignominiarumque tuarum, ut gaudeam in omni adversitate, ac potissimùm ut ab his contemni libenter feram, quibus à me alioqui benè fit.

Feria 3.

21. Nihil tibi & iusto illi. Lotio manuum. Sanguis eius.

1. NIhil tibi & Iusto illi. Etiam somniantes liberant JESVM, quantùm in ipsis est: at nos, & somniantes, & vigilantes, crucifigi poscimus, imò ipsi crucifigimus. O homo disce ab hac Ethnica Pilati uxore, scire subterfugere occasiones, nec te immiscere causis & peccatis aliorum: quando ergo vides alios peccare, contendere, murmurare, queritari, præsertim de aljis, ac majoribus: dic tibi ipsi. Nihil tibi & justo illi.

2. LAvat manus Pilatus, & tamen contra conscientiam IESVM damnat innocentem se ab justi sanguine vocat: fuisset, nisi voluntati, & importunitati impiorum cessisset. Habuit scientiam, non habuit exsequendi constantiam. Et quàm multi tales, qui sunt extrà compositi, quieti, sedati, honesti, loquentes bona & pia, sed tamen non fugientes peccata, & in occultis committentes multa, quæ famæ aliorum nocent, quæ repugnant votis, quæ externis moribus sermonibusque non concordant? Heu me, nam ego quoque homo sum, blandiri mihi, insultare aliis solitus, lavo me à foris, inquino intus. Mi JESV, lava me totum intus & foris, & quasi nivem dealba.

3. QUæ hæc rabies impiorum istorum, ut sanguinem Christi sumant non super se tantùm, sed etiam super filios suos. Mi JESV à tam resoluta in malum impietate erue me. Sed quàm acerbo sensu doloris sauciatum est cor tuum piissime JESV, quando tam infernales, & sanguinis tui sitientes voces audisti? Gloriare tu anima, & gratias Christo immensas age, quòd sanguis ejus sit super te, quòd omnia quæ habes habereve potes bona, à sanguine Christi habeas, quòd majora sint Christi merita, quàm tua peccata; hoc te sanguine lotam, & purpuratam memento. & eum in re, aliisque tui similibus honora.

Feria 4.

22. Christi ante flagellationem nudatio.

1. Vide

1. VIde quo adduxeris Christum anima mea peccatis tuis, qui terras graminibus, arbores foliis, cœlum stellis vestivit, ipse propter te hodie nudatus est in oculis mundi, ille qui est amictus lumine sicut vestimento, qui indutus est fortitudine, qui pulchritudinem & decorem induit, ille formosus in stola sua, modo nudus est. Considera quoties tu illum nudum constitueris in corde tuo? Quoties te gratiâ ejus exuisti? quoties merita ejus calcâsti, toties illum nudâsti. O ingrata anima, Deus parentes tuos peccatores noluit nudos à se, ex paradyso ejicere, tu Christum Dei filium, apud te denudas. Nescis JESVM plus dolere, quando te suis donis per peccatum nudatam videt, quàm quando ipse nudus fuit? O si ornare animam tuam, & aliorum proximorum assuescas. Christus enim ornatur, dum anima ornatur, siquidem ille pro ejus ornamentis nudari voluit.

2. PAupertatem spiritûs, veram illam, & tantopere Christo amatam, totâque vitâ honoratam virtutem, & sponsam concupiscis? Ad hoc exemplar te compone: nudus est JEsvs, & nudum se esse, propter te factum toti mundo ostentat: & tibi misero grande ac grave videbitur carere superfluis! O si etiam disceres carere necessariis! quantò paucioribus eges, tantò minus terrenus es; aliquando te resolve, & nudus esse propter Christum incipe. Non tibi sit pudori vilis vestitus, pauper lectus, modicus cibus, tenuis & misera supellex, nulla tui opinio, æstimatio, cura. Malè vestiri paupertas non potest, quantò nudior, tantò cultior, tantò etiam magis debitè, & statui suo convenienter vestita; & revera probatum est, faciliùs nihil omnino haberi, quàm aliquid vel minimùm. En Christus à te petit, & exemplo præit, ut omnia propter ipsũ re ipsâ, rejicias; tergiversaberis?

3. OOculi si mundi, si sinceri, si sani estis? innubem solem aspicite dum licet: non diù enim licebit quippe mox erubescet sanguine nunc in candorem illum vos intendite, quem jam jam rubicundum aspicietis. Nunc se amor vobis nudum spectandum exhibet, spectate. mox velatum videbitis vestitumque, sanguine scilicet suo purpuratum. Desiderabitis illum videre tunc, sed non erit ei aspectus. O mi JESV contemplari te cupio, sed oculis careo, da illos mihi, ut videam & cognoscam te in plenitudine lucis, in candore nuditatis, ut participem de nuditate tua, & purificer puritate tuâ, sciamque tibi nudare cor meum, ab omnibus quæ terrena sunt, quæ vana sunt, quæ feruorem meridiei non referunt. O quis det in simplicitate, & sinceritate cordis, te diligere, te potiri, tibi jungi!

Feria 5.

23. Alligatio ad columnam.

1. QUi terras alligavit in nihilo, qui ventos velut in utre conclusit, qui arenam posuit terminos maris, nunc eundem ipsum impii ad columnam alligaverunt. Funes peccatorum meorum, quibus ego à tartareo illo carnifice stringebar, circumplexi sunt te mi IESV, & ego tantùm abest tam immani commovear ut spectaculo, deque peccatorum meorum vinculis tibi detrahendis cogitem, ut potiùs vincula vinculis, hoc est, peccata peccatis addam. O me impium! te à carnificibus ad columnam alligari indignor, & nihilominus vincula tibi ex peccatis meis necti, atque augeri patior. Cùm tamen si ego non peccâssem, sciam te vinctum nunc non futurum fuisse. Si quis ergo doles Christũ vinctum esse, tolle peccatum ab anima, & Christum solvisti.

2. FUnes ceciderunt mihi in præclaris: funes mei hæreditas mea, hi ceciderunt mihi in præclaris mi IESV tunc, quando per te præclarissima totius creaturæ gemma mihi est restituta & reddita. Reddita autem non vulgari quopiam modo, sed verè in præclaris, in doloribus scilicet tuis, in vinculis tuis. O quanti æstimandi sunt mihi funes tui, hoc est, dolores tui Domine JESV, quibus mihi hæreditas mea cœlestis, quam ego vivendo luxuriosè, abeundo peregrè decoxeram, restituta est? O quàm cautè hæreditas hæc mihi, & curanda, & servanda est, quæ tanti constat quæsitori meo, ut pro funibus hæreditatis meæ debuerit ille sustinere funes Passionis suæ.

3. ALligatus est IESVS, & in flagella paratus, tu solutus quasi onager incedis, renuens alligari, refugiens flagellari. Hoc scilicet est dilecto conformari, hoc est in myrrhæ collibus versari, hoc est fasciculos myrrhæ colligatos offerre. Ah mi IESV, quàm multi te contemplamur nudatum, alligatum, flagellis subjectum, quàm pauci tamen propter te, tecumque nudari, alligari, flagellari gaudemus, aut contenti sumus? Da humillime IESV, qui in Passionis tuæ hora, singulis momentis, novo feruore, novos dolores, pro me subibas, ut ego singulis momentis, recenti spiritu, tibi servire, & novis modis me tibi, tuæque columnæ, & cruci, alligare, tibique placere, & conformari studeam, ut omnes inventiones meæ, tuæ inserviant dilectioni, imitationi, possessioni.

24. Flagellatio Christi.

Feria 6.

1. CRudele spectaculum, & dignum ad quod sol exhorrescat, intremiscatque terra. Certè Angeli pacis amarè flebant, Regem Angelorum flagellari aspicientes. O indignissimam tragœdiam, rerumq; catastrophen! servi Dominum, subditi Regem, homines Deum, creaturæ Creatorem, impii Innocentem flagellant; injustè, quia sinè ulla causa; indignè, quia tantam personam; ingratè, quia eum à quo tanta bona acceperunt; crudeliter, quia cum tanta animi rabie, maximoque patientis dolore; ignominiosè, quia publicè; & sordido supplicii genere. O quàm multæ doloris causæ, & circumstantiæ, quibus tamen ego nihil moveor, ut cessem à peccato, ut exeam de tepore, ut Regi meo in Passionibus conformer. Heu! quàm multa flagella peccatoris, si tam multa innocentis? Si hæc in viridi ligno faciunt, in arido quid fiet? si Christi flagellatio à matutinis totâ die, nonne peccatorum erit per totam æternitatem?

2. OQuàm durè tractanda est mihi caro mea rebellis, siquidè Christus tam immaniter affligi suam innocentissimam patitur? Et carni quidè Christi nihil opus erat tanta, pati mea caro longè plura meruit sustinere, ut potè quæ debuerit in æternis ardoribus ardere. O si pondus sensualitati detrahere, si illam jugiter discretè affligere, si illam prudenter confundere, animæque regimini subjicere sciam, & velim? Quis unquam hosti petenti ignem, quo ille combusturus sit domum exhibitoris ipsius, concessit? quid porrò ego facio, quando sensualitati in cibo, potu, somno, jocis, mollitie, indulgeo, quàm flammam hosti meo, quâ ille me ipsum exurat, concedo, quàm obsessis hostibus victualia, & voluptuosa etiam (proh dementiam!) suppedito? hoc non est expugnare, sed confirmare hostem. Disce ab IESV tractare carnem, verbere, fame, siti, inediâ, fatigatione, frigore, neglectu, duritie, asperitate, hoc enim est verè carnem odisse secundùm mundum, amare secundùm Deum.

3. VidesneAnima mea IESVM, amorem tuum, illum modò-modò candidum, jam jam sanguinis purpurâ rubicundum, totum plagis lividum, vulneribus saucium, sanguine cruentum, dolore exhaustũ, ignominiâ abjectum, totum denique alium? sic alligatum, sic tractatum

tum offer Æterni Patris conspectibus, ut saltem propter tam miserum spectaculum misereatur tui, & totius mundi. Offer ipsum JESVM, ipsimet JESV, & per ista ejus vulnera misericordiam posce, dolens quòd ejus tantis doloribus hactenus gratam te non exhibueris. Offer Spiritui Sancto, & pete, ut te ob hunc talem JESVM illuminare, purificare, accendere, confirmare in bono, præservare à malo semper pergat. Immisce te & suppone plagis JESV, quæ jam in ipso locum non habent amplius, & eas tu excipere concupisce. Convertere, vel converti appete, in lacrymas tam copiosas, ut iis balneum abluendo Christo, balsamum illinendis ejus vulneribus suppeditare possis. Roga JESVM ipsum, & amorem ejus, ut velit subtrahere concursum carnificibus istis, ne ipsum flagellare possint.

Sabbato.

25 Purpurea chlamys. Corona spinea.

1. NIhil opus erat, ô milites, hac purpurâ JESVM vestiri, quem jam flagella carnificum vestiverant suo sanguine, an quia crudelitatis pudebat, tegenda fuit, an quia quem indueratis vestrâ crudelitate, lubebat etiam vestire ludibrio? an iste est mos peccatorum, ut lancinent Christum sceleribus, interea tamen, vel hypocriticis illudant moribus, vel sacrilegis integant velaminibus, vel per impudentiam glorientur, & triumphent de iniquitatibus? O homo videsne qualem vestem Christo circumdederis, quàm illa fœda, quàm spurca, quàm vilis? Hæccine est illa innocens stola prima, quam ipse tibi in Baptismo contulit? ideone contulit, ut eam ita fœdares? O ingrate, redi ad Patrem, supplica cum prodigo, ut tibi proferri jubeat stolam primam, primæ similem, ut te scilicet gratum, sanctum, perfectum in oculis suis faciat.

2. QUid tibi & spinis mi JESV, gratiæ caput tuum, caput gloriæ spinis horret. Heu spinæ pungitis, & planè ac si in creatoris injuriam essetis conditæ, sic affligitis caput Majestatis. At enim non spinæ culpandæ sunt, sed humanæ malitiæ. Ego Christi corona sum, sed spinea, pulchro nomine, laudabili professione, Sancto instituto glorior & appellor, sed non vivo, non respondeo, non sum quod dicor. Ager sum sed spineus, & Christo tantùm tribulos parturio, scilicet super te mi JE-

sv venit illa Patris nostri maledictio. Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi, respice IESV dolores tuos præsentes, & fructus surgentes, nonne spinæ omnia? Heu me si etiam in his maledictis terris connumeror?

3. MI IESV, vita præsens, vita spinea est, ego illam stultus auream puto, plumeam cogito & cupio; quòd putem patet, quia amo: quòd cupiam, patet, quia in hac vita pati recuso: quam si spineam scirem, pressuras ejus ferrem, & molestam esse non mirarer, imò mirarer non esse. Quis calcavit spinas, & non est sauciatus? quis vixit in hoc mundo, & non est afflictus? Ecce te oportuit pati mi IESV, ego autem eximi volo à punctûris, qui tamen hæreo in spinis. Pungant me mi JESV propter te spinæ vitæ hujus, & non teneant, ut sic cupiam compati nunc tibi, possim autem postea cohabitare tibi. Da ut plus delecter spinis tuis, quàm mundi rosis, sit mihi omnis consolatio mundi spinea, sit mihi omnis afflictio propter te rosea. O utinam hoc sentiam in me, quod video in te.

26. Arundo, Genuflexio, Consputatio. Domin. 4.

1. ARundo in manu Christi, quid est, nisi omnia esse arundinea & nullius frugis in conspectu Dei? quid est, nisi omnia tam facilè à Deo annihilari & immutari posse, quàm facilè arundo moveri, frangive potest. Arundo ista, contumelia Christi est. O si sciret cujus in probrum cooperetur, quantum sibi metueret? in cujus manu est, ei probrum facit; quid audacius, & indignius, si sensus & ratio subesset? sed ô Peccator, de te fabula narratur, qui licèt arundo sis, licèt in manu Christi sis, tamen non vereris esse Christo Redemptori tuo contumeliosus & probrosus. Quàm facilè frangitur arundo, tam facilè perdi potest peccator à Deo: & nihilominus inflaberis tu arundo vento agitata? ô palea à tritico segregata. sceptri te putas esse vice, cùm arundo sis. & quidem arundo in manu Christi, facilis confractu, igni nata, pondere & valore cassa, nullatenus solida, Spiritui Sancto te exhibens minimè tractabilem, sed refractoriam, rebellem, immotam ut saxum.

2. QUæ illa tam subita mutatio? qui modò spinis coronabatur, jam coram illo genu flectitur? an talis hæc est flexio, qualis coronatio? nescit proficere nisi in pejus malitia, & qualem fecit Regem coronando, talem adorat & salutat genuflectendo. Nempe Regem dolorũ te fecerunt, mi JESV, ideo, dolore plenas afferunt salutationes. Quid hinc mihi documenti Bone JESV? primum quidem honores quos ego tibi exhibeo, sæpe tibi dolori & illusioni esse, ob suas imperfectiones defectus, inconstantias. Dein, doces me quid præstare debeam tibi pro Passionibus tuis; scilicet honorem, subjectionem, reverentiam, ut sic veros tuos honores, & ignominiosos dolores, meis qualibus-qualibus in gloriam tuam obsequiis rependere coner. O Anima mea disce & assvesce Christo hæc exhibere quàm creberrmè, quàm accuratissimè; potissimùm verò in Sanctissimo Sacramento, quàm frequentissimè, humillimè, ferventissimè, salutationes, visitationes, genuflexiones, prostrationes exhibe.

3. O Rex probrorum: vultusne tuus sordium, & sputorum receptaculum est? O stupor super stupores! IESVS sic sese abjicere potuit, ut in suum vultum illum Theandricum, quem Dei Persona faciebat, & suâ Dignitate Divinâ per unionem Hypostaticam ornabat exspui permittat? Proh superbia! quousque locum habes in mundo? cur tanto pudefacta spectaculo ad inferna præceps non ruisti? humiliavi me aliquando: nunquam tamen ut Christus. Estò faciam ego me infernalium etiam sordium fœciumque sentinam, nunquid Christi humilitatem æquabo? Et tamen: ah quàm rarò, repugnanterque humilior? quàm refugio, & non fero contumelias ac confusiones, quàm facilè mihi complaceo, quàm libenter laudes meas apto?

Feria 2. 27. Ecce Homo.

1. ASpice Anima mea opus manuum tuarum, tibi per istud [*Ecce*] propositum. Si nescis quid feceris? Ecce Homo, ecce opus tuum, ecce JESVS fœdus est, & fœdatus, & saucius, & vulneratus? non est illi species neque decor, non est illi aspectus, vermis est, & non homo, tu feceris talem, quia peccâsti. O infelix non te commovet spectaculum hoc? non exhorrescis enormitatem malitiæ tuæ? non duceris pœnitudine super tanta nequitia tua in Unigeniti Dei Filii JESV Christi contritione? Si quis Patrem tuum sic tractâsset, non indignareris illi? si tu

si tu amicum tuum, vel Patrem tuum sic tractasses, non te malitiæ tuæ puderet? non omni ratione conareris tam impium factum digna pœnitudine delere? Nunc ergo aspice frequenter hominem hunc anima mea & execrare opus tuum, detestare peccata tua, deprecare IESVM sic abs te tractatum.

2. VIdisti Anima mea quid feceris in homine isto, vide etiam quid ipse fecerit in seipso? Fuit Deus, ecce jam Homo; fuit dives, ecce jam pauper; fuit innocens, ecce accusatus & punitus; fuit Rex, ecce ludibrium; fuit homo, ecce vermis. O quàm copiosum spectaculorum theatrum, tibi modò in isto uno homine proponitur? vis humilitatem? ecce homo humilis. vis patientiam? ecce homo patiens, & patientiæ portentum. vis obedientiam? ecce homo obediens: quidquid vis, ecce homo omnium tibi exemplar, Magister, Speculum. & heu nunquid tu talis homo es? nunquid esse debes? nunquid conaris? vis scire qualis homo esse debeas? Ecce homo. vis scire qualis futurus eras homo, si hic homo non fuisset propter te talis factus homo? Ecce Homo.

3. ECce Homo. Ah quid qualisue factus propter me? ego autem quid tandem feci hactenus ac facio propter illum? & quid me facere feciseque jam decuit propter talem Deum-Hominem? O quando me resolvam resolutione seriâ, ut tandem serviam Christo usque ad defatigationem, ad Passionem, ad abjectionem, annihilationem. O quando nihil in me vivet, erit, eminebit aliud, nisi Hic Homo? Heu quousque istum terrenum hominem, non hominem, sed jumentũ portabo? quando induam illum cœlestem hominem, qui secundùm Deum creatus est, non de terra terrenus, sed de cœlo cœlestis? Mi IESV, qui factus es propter me homo, & talis homo: da mihi ut aliquando desinã esse talis, qualis sum homo; incipiam autem tibi esse per omnia mihi possibilia similis homo.

28. Vnde es tu? Non haberes potestatem. Maius peccatum habet. *Feria 3.*

1. MIrabilis hæc interrogatio, unde es tu? eamque & tu ad JESVM usurpa, ex eoque reverenter & humiliter quære. Mi IESV unde es

unde es tu? scio quòd sis à Deo, quòd à Deo processisti, & venisti, scio quòd sis homo conceptus de Spiritu Sancto, natus de Virgine, sed hoc non quæro abs te mi IESV, illud quæro unde es tu? tu sic saucius, sic illusus, sic abjectus, sic sanguinolentus? Unde es tu in tantis injuriis tam mitis, in tantis doloribus, tam Patiens, in tanta desolatione, tam constans? Nec mirare quòd ego quæram hoc, etenim quærunt illi, qui in te semper desiderant prospicere Angeli scilicet, & dicunt. Quis est iste qui ascendit de Edom & de Bosra, tinctus sanguine. &c. An à peccatis meis, & iniquitatibus meis talis factus es? An ita plagatus es in domo eorum qui diligebant te? an bonitas naturæ tuæ fecit te in tantis malis tam bonum? tam mansuetum, tam mitem? Unde es tu Anima mea, tu peccatrix olim, modò mundior; tu olim vaga, modò firmior; tu prona quondam in malum, modò constantior, nec sic aversa à bono? Nonne id habes à IESV Christi sanguine? & quid retribuis?

2. INdignationem Pilato movit silentium Christi, jactabat potestatem vitæ & necis, sed Christus animosè ferociam retundit, & ait; non haberes Potestatem adversùm me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Hoc est humiliari scire sub potenti manu Dei, hoc est ipsas etiam injurias acceptare, non tanquam à malefactore, non tanquam ab injurioso, sed tanquam à manu Dei venientes. Nec est ulla efficacior fructuosè sustinendi injurias ratio, quàm cogitare, sibiq; persvadere, quòd Deus potestatem fecerit injurianti, injuriam faciendi. Quis verò audebit, nolle id sustinere, quod intelligit Deum, ut sibi accidat, vel permittere, vel etiam præcipere? Dominus Deus hoc mihi sub titulo injuriæ humanæ misit, ego mancipium Dei mei illud non acceptabo?

3. VErè majus peccatum est, Christi ablutum esse, tam sæpe, tam copioso sanguine, nec tamen dignè Christo, Christique sanguine vivere? majus enim peccatum est in magna gratia minùs bonum esse, quàm in parva gratia valde malum esse. Sicut enim ubi abundavit delictum, abundat gratia; ita ubi gratia abundavit, delictum sæpe abundat. Unde etiam in die judicii remissius erit terræ Sodomorum, quàm domui Iuda. quare? utique quia si in Tyro & Sydone factæ fuissent virtutes istæ, quæ factæ fuerant in Iudæa, in cinere & cilicio pœnitentiam egissent. Nunc ergo tu Capharnaum quæ à Deo usque ad cœlum exaltaris, vide ne usque in infernum descendas, & tu qui posuisti os tuũ in cœlo, vide ne usque ad inferos superbia tua detrahatur. Et quis tam sanctus erit, cui vel ipsa sanctitatis & justitiæ gratia terrorem timoremq; hunc non incutiet?

29. Ecce Rex vester. Regem vestrum crucifigam. Non habemus Regem.

Feria 4.

1. HIccine Rex tuus o Anima mea? an te pudet exprobrationē hanc Pilati audire? an potiùs gloriæ tibi ducis talem te Regem habere? si ita est, dic ergo omnibus tuis sensibus, affectibus, motibus: Ecce Rex vester, huic vos conformate, huic vos submittite. O ira, ecce Rex tuus mansvetissimus, cur te non regis? ô cupiditas, ecce Rex tuus moderatissimus, cur te non inhibes? ô lingua, ecce Rex tuus tacitissimus, cur te non frœnas. ô caro, ecce Rex tuus mortificatissimus, cur te non affligis? si ille Rex vester, utique vos subditi; si ille talis Rex, cur vos non tales subditi? vide, & aliquando intellige anima mea, qualem te deceat esse sub tali Rege.

2. REgem vestrum crucifigam? an hoc absurdum Pilate? ô si scires illum etiam Regem tuum esse, & Regem Regum, tum dicerès, Regem meum, Regem Regum crucifigam! sed quin tu magis absurdum reputas homo, Regem tuum JESVM, in tuo corde crucifigere? Non solis peccatis gravibus crucifigitur Christus, sed etiam quibusvis imperfectionibus, deliberatis peccatis, immortificationibus, scandalis, verbositatibus, tepiditate, inconstantiâ, neglectu proficiendi, neglectu aliorum salutem, Christiq; gloriam promovendi. Horum si quando se dat occasio, tu vide quid agas? potiùs dicas, itane verò mi JESV, ego te Regem meum crucifigam, in cruce pendere sinam? &c.

3. NOn habemus Regem. Quæ ista libertas & emancipatio? an justo non est lex posita: facit enim ea quæ legis sunt naturaliter, & non ideo quia præcepta lege, sed quia honesta per se, quia placita Deo? ô Beata anima, quæ ita comparata est, ut sinè Rege regatur, sinè regula vivat ad regulam, quam intra servitii divini limites, non timor, non præmium, sed charitas, sed gratia, sed natura, sed sancta roborataque consvetudo detineat, talis anima dicere potest: Non habeo Regem nisi amorem; quocunque feror, amore feror. Amor meus, pondus meum; etsi Deus meus non præcepisses, etsi non promisisses

præmia,

præmia, non comminatus esses pœnas, non conferres beneficia, ego servire tibi vellem, voluissem, & volo JESV; tuus Amor, tibi complacendi desiderium, sit Rex meus, Cæsar meus, pondus meum.

Feria 5.

30 Maior tumultus. Si hunc dimittis. Barabbæ dimissio.

1. QUantò magis Pilatus laborat pro JESV; tantò ampliùs furunt & tumultuantur Iudæi contra IESVM. Quis est iste tumultus, dū JESVS est liberandus? An non est ista interior pugna, quam sentit homo, dum à consvetudine prava consurgere, & quasi à vinculis & morte IESVM eripere contendit? abjicienda est occasio peccati, resistendum cupiditati, sustinenda, vel condonanda injuria, subeunda confusio: prò quanti tumultus in corde: vis illos sedare? sic age. Constitue una ex parte IESVM, hunc Regem dolorum, ex altera parte illam occasionem, illam injuriam, illam confusionem, & cogita quam partem deceat te eligere & præferre IESVMne, an aliam? & nonne IESVM præferes?

2. SI hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Ultima hæc est machina Pilato expugnando à Iudæis admota, & quidem (proh fortunā!) feliciter. Ille Pilatus, quem tumultus, quem Principum authoritas, non commoverant ad damnationem Christi, hunc unicū verbum pervertit. Et quod istud verbū, nisi illud nefandū, & pudendum; Quid dicent? Illud inquam hominibus placendi ac satisfaciendi desiderium. O respectus humani, qui soli, & semper, JESVM, etsi omni ratione repugnante, nihilominus infandissimis, & funestissimis addicitis suppliciis. O cæcæ visiones, ô non respicientes respectus, quanta est vestra vulgò in animos hominum potestas! propter vos nihil non agitur mali, propter vos nihil non agitur boni: vos facitis ut mala negligantur, sed malè; vos facitis ut bona omittantur, non benè. Et quæ potest esse magis mala improbitas, quàm unico hominū aspectui, gratiæ, favori, judicio, Deum postponere universum? Hæc certè est injuria super omnes injurias, quæ Deo possunt irrogari.

3. SIc expugnatus Pilatus statim dimittit Barabbam. Impossibile scilicet est hominibus satisfacere, & servire Christo, necesse est omnino

nino aut Christum, aut Barabbam solvi. O mi Iesv, quoties ego Barabbam dimisi liberum, te verò morti addixi, & ad crucem duxi? quanquam & tu mi Iesv, hoc ipsum in tua Passione egisti propter me, me enim ire jussisti liberum, te autem morti crucis obtulisti vinctum, extraxisti me de luto fœcis, & ipse in limo profundi hæsisti. Comedi ego uvam acerbam, tui autem dentes stupuerunt; pacis meæ disciplina cecidit super te: & quid ego retribuam tibi, nisi hostiam laudis, gratiarum actionis, amoris, & etiam vicissitudinis; ut scilicet si quando, aut offendendus tu, aut Barabbas propriæ meæ voluntatis mortificandus: hunc potiùs malim affligi, & me pro te contemni, quàm te à me offendi: ut sicut tu pro salute mea prostituisti omnia tua, ita & ego pro gloria tua exponam famam, exponam vires, exponam commoditates, exponam vitam, sanguinem, omnia. &c.

31. Damnatur Iesvs ad Crucem.

Feria 6.

1. DAmnatur Iesvs. Quid mihi fiet? si justus non salvatur, impius & peccator ubi parebunt? Audite impii, qui Dei judicium ita contemnitis, ac si illud futurum non crederetis; potuit innocentia damnari apud iniquos; nequitia apud justum Iudicem Deum non damnabitur? Invenit Pilatus quomodo damnaret IESVM non invenies Deus, quod damnet in peccatore? Et non times Deum ô homo: tot tantorumque scelerum conscius? Damnari non vis à Deo? damna te ipsum coram Deo.

2. DAmnatur IESVS. O damnationis rei, caput erigite; damnatur enim salus & vita, ad vitam vestram & salutem instaurandã. Damnatur innocentia, respiret noxius; in salutem enim ejus est ista damnatio. Iesvs non solùm accusatur, non solùm vituperatur, non solùm examinatur, non solùm judicatur, sed etiam damnatur: tu te extra censuram, extra reprehensionem, extra inquisitionem, extra admonitionem, extra judicium, extra damnationem esse vis? Non est postremus iste humilitatis gradus, imò tantò altior, quantò rarior; videas in multis, multos alios humilitatis gradus; hunc non item, nisi in valde perfectis, & ad JESV Christi mores bene conformatis.

3 DAmnatur Jesvs, tu absolvi desideras? si in eodem judicio ab eodem Iudice, Jesvs damnatur, solveris autem tu? quis te JESV discipulum, & non potiùs Barabbæ sodalem vocet? An non si Patremfamilias Beelzebub vocaverunt, tantò magis domesticos ejus? quomodo ergo tu placere potes mundo, ut non displiceas Christo? Certissimum signum est, te Christo dissimilem esse, si te mundus suâ sententiâ absolvit. Tunc verò Christo similis es, quando te mundus, eodem quo Christum loco reponit, quo autem loco Christum mundus ponit? loco damnationis, odii, persecutionis, crucis, purgamenti, stultitiæ, scandali, peripsematis; es tu hoc eodem apud mundum loco? spera te prope ad Christum accessisse; proinde plùs ama mundi odia, quàm studia; Etenim si placueris mundo, omnino necesse erit, te displicere Christo.

Sabbato.

32. Traditur voluntati Iudæorum. Exutus chlamyde. Suâ Veste induitur.

1. DAmnatus Jesvs traditur voluntati Iudæorum, manibus autem carnificum. Hîc cogita anima mea Jesvm, in manibus ac potestate tua esse, ut eum vel crucifigas, vel à crucis morte liberes. Ecquid potiùs ages? non te ad pedes Jesv abjicies? & per omnia jura & sacra testaberis, te ejus sanguinem amare, dolere ejus dolore, & in crucifixionem ejus nullo modo consentire? Nolo, nolo, protestor mi Jesv, nolo mortem tuam.

2. POstquam Jesvs damnationis nuntium audisset, sinè dubio immensas Patri Æterno egit gratias, quòd se adduxisset in horam hanc damnationis, quâ posset in honorem ejus, in salutem verò hominum mortem crucis appetere, obtulitque illi suam illam damnationem, ad tollendam Adæ, posteritatisque ejus condemnationem, non solumq; non incusavit injustitiam sententiæ, sed inusitatâ quadam cordis hilaritate, amorisque feruore, illam auscultavit, & ad Crucis trophæum festinavit, longè alacriùs, quàm solent ii, quibus aut regii fasces, aut triũphales pompæ decretæ sunt, jucundo quodam animo memoriam futuræ illius diei recolere solent & exspectare. Vide jam quas tu gratias Deo

in con

in contemptibus agas? quomodo te divinis obsequiis, honoribusque offeras? quomodo aspera, aut etiam iniqua aliorum de te judicia audscultes? quomodo formides timore præscitæ confusionis?

3. DUcendus ad mortem Jesvs ut cognosceretur ab omnibus, chlamyde exuitur, suâ veste induitur. Quis nostrûm est (qui scilicet imitationem Christi jactamus) qui subiturus aliquid in conspectu hominum omnis generis, præsertim sibi notorum, non dico infame, crudeleq; sed vel aliquantùm indecens, ac vile, subiturus aliquid confusionis, deperditurus de opinione doctrinæ, ingenii, virtutis, generis, industriæ, non cupiat non agnosci? En JEsvs alienas vestes ponit, suas sumit, agnosci in sua vilitate, & ignominia vult, & ob omnium ora, oculosque, inter latrones ad crucis patibulum pergit. O IEsv, quando tandem hoc germano Spiritu tuo implebor? quando ita Crucis & confusionis tuæ fame, & siti cruciabor, ut eam non solùm non fugiam, sed etiam quæram, & per omnes circumstantias ultro mihi augeam, & aggravem? Iesv per viscera tua peto, da mihi famem hanc ardentem, assiduam, efficacem: volo statim, volo hodie, semper, in omnem crucis ferendæ, & ignominiæ subeundæ augendæque occasionem imminere.

33. Crux Christo imposita & baiulata.

Domin. 5. seu Passionis.

1. O Quàm non æquis donamur, tu Piissime Iesv, & ego vilissimus homuncio, partibus? Tibi hodie crux mea: mihi caro tua: ego paravi tibi, & imposui Crucem, tu parâsti mensam in conspectu meo. O Amor Iesv quid non excogitas? mihi debebatur Crux: tu autē amor dedisti illam Christo pro me, ipsum autem Christum in Sanctissimo Sacramento adducis mihi. Mi Iesv, quo te sensu, quo gustu, quâ fame, recipiam? nolo aliam præter illam, quâ tu Crucem oblatam tibi suscepisti, & amplexus es. Mansvetissime Iesv, per illud cor tuum svavissimum te rogo, instilla mihi affectum illum tuum Crucis tuæ, ut illo ipso, semper erga te, erga Sanctissimi tui Corporis Sacramentum, nec non erga Crucem tuam ferri velim, & possim, & gaudeam.

2. CRux Christo imposita, est onus peccatorum nostrorum in agno peccata mundi tollente: est opus nostræ redemptionis, est præceptum

ceptum Patris, est principatus ejus super humerum ejus, est contemptibile lignum, quo in diluvio salvamur; Iesvs autem crucem bajulans quid est, nisi spectaculum Patris, victima mundi, botrus torcular suum portans, seu illi impositus Imperator armatus, scutum hominum, ara simul & victima: vexillifer, & antesignanus, omnes ad se sequendum provocans: Christianorum Stemma, sigillum, prototypon, Adam sub ligno vetito non carpens, sed solvens fructum ejus. Ex his omnibus carpe tu fructum imitationis, gratiarum actionis, admirationis, compassionis, gaudii. Non tam probrosum est Christo Crucem suam ferre, quàm peccatis Christianorum offendi; ob Crucem sibi impositam non est iratus; ob peccata, quantis nos malis non affecit, & pergit afficere Ecclesiam quotidie? quomodo vel ipsum sui Sanctissimi Corporis Sacramentum ab Hæreticorum Turcarumque pedibus calcari sinit? scilicet intolerabilior illi Crux peccatorum est, quàm quævis alia; quoniam ne illam ferret, istam pertulit, & perfert.

3. BAjulat Crucem Jesvs, jam fractus, & destitutus viribus, præ fame, siti, vigilia, vexatione, flagellis, verbere, doloribus, contumeliis, itineribus, hostium odio, statione tam longâ, similior mortuo quàm vivo; & nihilominùs quasi integer esset viribus, Crucem suam tulit, & funesto illi oneri, humeros miserabiles supponit. Vbi meæ deliciæ & delicati nimiùm labores? vix tantillo fatigor labore; jam mei rationem haberi, jam meliori compensari tractatione, jam majori existimatione rependi cupio; quietos annos velut emeritus exigo, immunitates ab ordinariis postulo. Hoc scilicet est Crucem suam etiamsi fortè fatigatus sis, exemplo Iesv ad extrema adducti subire? imò hoc est eam vix acceptam projicere, & pondus ejus fasti dire. O IESV da mihi heroicum tuum fervorem, ardentissimamque sitim, avidissimam famem tuam, in appetendis subeundisque doloribus & contemptibus propter te, quæ nunquam langueat, nunquam expleatur, nunquam dicat, sufficit; sed potius affer, affer, ampliùs Domine, ampliùs.

Feria 2.

34. Mulieres sequentes. Lamentantes consolantur.

1. COnsidera, quomodo totâ frementè contra Christum Judæorum gentiliumque turbâ, eumque ad mortem deducente, repertæ nihilomi-

hilominùs sint aliquot animæ, quæ illum sic tractatum flerent, & lamentarentur; & quidem fœminæ erant, naturâ timidæ, fragiles, contemptibiles; sic scilicet infirma & stulta, & contemptibilia mundi elegit Deus ad suam sapientiam, & relictis potentibus, magnatibus, sapientibus, superbis, donat infirmis & abjectis sentire posse mysteriorum suorum sensus, eorumque dulcedine pasci. Quis discipulorum ausus est tantùm, quod audent hæ modicæ fœminæ hoc tempore? nempe Deus sigillatim fingit corda hominum, & ex quibus vult instrumentum sibi format aptum suis operibus, quod gnarum suæ ineptiæ, bona Deo, mala sibi tribuere sciat. Hinc videas rudes vulgò homines, plus suavitatis in orando experiri quàm doctos; imperitos facilius & feliciùs magna etiam exsequi, quàm peritos & versatos; scilicet Deus magis præstò est iis, qui se ejus auxilio magis egere sentiunt. Itaque & tu si vis promptum auxilium Dei experiri, nihil te esse possèque practicè agnosce; quantò melius id in te de te senseris, tantò celerius ac robustiùs iuvaberis.

2. LAchrymis compassionem super Christum ostendunt, hæ miserabiles Sanctæ matronæ, & quidem illæ in JESV nihil fortè aliud præter purum hominem calamitosum, nuper in aliquos suorum beneficum, nunc verò indignissimè habitum, & turpissimæ morti destinatum agnoscebant. Quid jam me hoc, quod verè est, de Christo credentem, facere addecet, cùm illum tam indignè tractatum video? & quidem cùm me in causa esse agnosco? prò pudor, & duritia cordium! quàm sæpe vincimur à mulierculis, & rudibus, & sæcularibus, & occupatis hoc mundo? nos scilicet viri spirituales, sapientes, Deo devoti? quot ego totâ vitâ meâ, imò hoc anno, in Christi gratiam, in laudem Dei lacrymas fudi? & quid dicam, quot adii pericula, labores pertuli, onera sustinui?

3. ONunquam frustra in Christi compassionem profusæ lachrymæ? plorant mulieres, vertitur JESVS, & sui oblitus, alienum fletū solatur. O quàm promptus est ad beneficia repetenda Jesvs; quàm tardus idem, ad vindicandas injurias; tot accepit in Passione sua injurias, neminem tamen ultus est; unicum accepit compassionis affectum, mox rependit. O miram Jesv suavitatem! ô raram gratitudinis virtutem in nobis, & præsertim erga Deum! utinam illam discam ab IESV!

35. Beatæ steriles. Montes cadite. Si in Viridi.

Feria 3.

1. Bea-

1. BEatæ ſteriles animæ, quæ peccatis ſuis Chriſto mortis cauſam non præbuerunt, vel leviorem præbuerunt; quiſquis eſt magnus eſt: ego autem talis non ſum, qui ſuper multitudinem arenæ maris peccavi. Utinam ſterilior eſſem, aut planè ſterilis ad peccandum, ut beatus hodie abs te, IESV, eſſem? & quando tandem pigebit me, offendere te? quando tandem renuntiabo perfectè omni non ſolùm malitiæ, ſed etiã vanitati, tepiditati, imperfectioni? Beata illa ſterilitas, quæ frenans concupiſcentiam, domans iraſcibilitatem, emendans malitias, ſupplens ignorantiam, fetum peccatorum exſtingvit, & concepta ſuggeſtionum pravarum ſemina elidit. Iſtam ſterilitatem animæ meæ quando tribues mi IESV! o quare non modo, quare non hac horâ finis turpitudini meæ?

2. MOntes cadite ſuper nos. quorſum iſte imber mi Iesv? formidanda hæc pluvia eſt. Sed tamen juſtitia tua Deus, ſicut montes Dei: & quis ſuſtinebit eam, quando congregabis gentes, & diſceptabis cum eis? Duplices montes habet Deus, alii ſunt ſvavitatis, alii ſeveritatis. Primi ſunt, mons Miſericordiæ, mons Gratiæ, mons Exſpectationis ad pœnitentiam, mons Beneficentiæ, mons admonitionis, inſpirationis, vocationis, mons Paternæ correptionis, mons promiſſionum æternarum: Beati verò montes, & optandi, qui utinam cadant ſuper nos, & obruant nos, abſorbeantque ad ſalutem. Secundi montes ſunt. Mons Iuſtitiæ, mons Vindictæ, mons reprobationis, mons tribulationum, & pœnarum: mons iræ & furoris, mons exprobrationis, mons damnationis æternæ, & ardorum ſempiternorum. O montes graves, & intolerabiles, quorum memoriam recolens Iob, ne ipſius quidem memoriæ eorum pondus ferre valuit. Illos priores montes, qui nunc negligunt, qui dejiciunt, qui diſſipant, complanant, quando in mortis, & ludicii die, poſteriores montes imminere ſibi, & impendere videbunt, tunc primùm clamabunt: O montes pietatis, montes ſancti, montes benigni, cadite ſuper nos: at ſerò. Nunc, nunc hos montes excipiam, ut illos non timeam Domine Iesv.

3. VErè virens lignum Chriſtus, qui de florente Virga, Virgine ſancta excrevit; nunquam virore caruit, nunquam illum deperdidit, nunquam imminuit, ſed potiùs ſicut lignum plantatum ſecus decurſus aquarum, ne folium quidem dimiſit, fructum vitæ ſemper in tempore ſuo dedit. Virens lignum Chriſtus, ſolus inter omnia ligna ſylvarum, & aridităatem & ſterilitatem non admittens, unde etiam nec ſecurim nec ignem metuens. Unde autè in viridi iſto ligno tanta faciunt! an hoc eſt ſeveritatis exemplum Divinæ, quod ipſa proponit, ideo, ut ſapiente

plente flagellato, & innocente punito, pestilens sapiat, & peccator pœnitentiam agat: quoniam si naturalibus ramis non est parsum, quomodo parcetur adoptivis? Si ego adhuc in virente ætate tam sum tepidus, & delicatus religiosus, quid fiet in ætate fractiore? Si tot præventus, & vallatus gratiis, tamen cado, quantùm caderem, si illis carerem?

36. IESVS sub Cruce deficit. Simon portare cogitur. *Feria 4.*

1. IESVS sub Cruce deficit. Docet crucem patientiæ, abjectionis, mortificationis, laboris, pro Christo & animarum salute, ad defectionem usque esse portandam: cadere & mori sub Cruce Christianum, Religiosum, IESV socium decet, abijcere illam non licet. IESVS sub Cruce deficit, tu non deficies adhuc sub peccato, & à peccato? non deficies à libera, & soluta, & tepida vita? JESVS sub tua Cruce deficit, ne tu sub ejus unquam deficias jugo. Infirmitas enim ejus tua est confirmatio; ne accusa gravitatem & onera Christianæ vitæ, Religiosæ vitæ, spiritualis vitæ, nondum te illa ad defectionem pressit, sicut tua vita mala Christum pressit, nondum vitam Christi & Crucem, ad defectionem virium portâsti; & estò portaveris: portavit & JESVS propter te, prior te; non dignus est ut posterior tu portes pro illo? JEsvs fert Crucem usque ad defectionem, non te pudet mollitiei tuæ? digitus dolet, caput afflictũ est, debilitas invasit, jam eximi à communibus officiis, & pro te suppleri poscis. Robusti Spiritûs non est hæc natura; opprimi potest, quiescere non potest. IESVS sub Cruce deficit, & miraris mi IESV, nos illã horrere, nos sub illa cadere infirmos, quæ te Gigantem oppressit? auge gratiam, da Patientiam; ideo enim tu gravitatem Crucis pertulisti, ut nobis alleviaretur. IEsvs sub Cruce deficit, ejusque ponderi succumbit, sed succumbendo Cruci pondus ademit, horrorem & ignominiam detraxit; levitatem verò, sanctitatem, honorem indidit. Hinc tanti ad illam concursus, quos alioqui IESVS non futuros videbat, nisi ipse illi suas vires ademisset, cœlestes verò proprietates impressisset.

2. DUm IEsvs sub Cruce deficit, Simon de villa veniens eam subit; mirum est cur IESVS qui hactenus nullius pœnæ socium habere voluit, ad solius crucis societatem admisit, & ut Crucem Simon pro se,

& post

post se ferret permisit? An tanta est Crucis gravitas, ut ei ferendæ IESVS ipse par non fuerit? an potiùs tantà omnibus Crucem ferendi incumbit necessitas, ut nullus ab ea se excusare possit, sed velit nolit eam ferre debeat? An tanta est etiam ejus svavitas, ut eam IESVS abundè persentiens, in alios etiam effundi voluerit, & ab aliis gustari? An ostendere voluit Crucis fructum non sibi, sed aliis esse applicandum; applicandum autem non manentibus in villa, seu mundum amantibus, sed exeuntibus de villa, scilicet mundum contemnentibus.

3. SImoni Cyreneo de villa, Crux imponitur, post IESVM portanda. cur non alicui magnatum? cur non alicui sapientum? alicui discipulorum? Simon quærendus erat? quia solus Simon Cruci ferendæ idoneus est: quem scilicet, non pudeat subjici alteri, qui non innitatur prudentiæ suæ, qui non solum spiritualis vitæ professione glorietur, qui non ideo Christum sequatur, ut ditior, sed ut melior fiat; uno verbo qui obedire sciat Deo, & omnibus propter Deũ: ille dignus est Cruce Christi. O Simon, quàm invidenda sors contigit tibi, vel coacto? O si mi IESV tuo id mihi contingat munere, ut Crucem tuam subire, post te ferre, ferre autem libenter, hilariter, avidè, imò etiam superbè possim, & velim? quodsi tam ineptus sum, & tanti amoris Crucis tuæ incapax: cogi volo, mi IESV. Saltem capax ero coactionis, si non sum voluntatis.

Feria 5.

37. Vinum myrrhatum Gustat IESUS. Non tamen bibit.

1. NOvercalem animum, & odium plus quàm insatiabile, quod neq; benefacere sinè tormento novit: præbet vinum myrrhatum, crucifigendo Christo, tanquam eum confortare, aut alienare à sensu doloreque mortis volens, sed ne illa misericordia crudelis non esset, fel admiscet. O crudelitas? si à doloris sensu alienare vis, cur fellis amarore crucias? An propinare odium Christo, quo furebas, volebas? sed quia non poteras, ideo in symbolum & signum odii fel propinabas? An rimabaris viscera Christi, quæ sola à tua rabie adhuc immunia restabant? nullum sensum Christo & membrum reliqueras inviolatum; lingua supererat, hæc igitur erat felle crucianda. Molesta erat forsan illa Christi tantis in doloribus patientia, & taciturnitas, felle carere videbatur

lingua

lingua illa, & cor illud, ergo vel adventitio tingenda erat, ut saltem sic ad asperitatem & querelas proliceretur.

2. GUstat Jesvs de felle, quia hoc opus erat ad cruciatum gulæ. Infelix sensualitas; & ciborum delicioſorum appetentia, quæ Christo fellis præbet pocula. at ego miser, & ingratus, hoc Christi cruciatu ad gulæ mortificationē non excitor, sed post tot in vita spirituali transactos annos, adhuc tentationi quotidie succumbo carnali. O fel Christi, quando tandem mihi sapies, quando incentiva ista deliciarū, igniscq; bestialis pabula perfectè detestabor & excutiam? Jesv mi, per fellis abs te gustati acerbitatem, da mihi hostis hujus perfectam, constantē, æternamque debellationem Mihi ciborum delicias, sibi felli amarorem Jesvs reservavit? sic bonus pastor & Pater sibi subtrahit, ut me pascat.

3. NOn bibit Jesvs vinum myrrhatum, quia confortari noluit ad crucis cruciatum. Nudus ab omni omnino solatio & auxilio pati, & mori Christus voluit, ut sua Passio plena, & solitaria, & sincera, nullique commoditati permixta esset. Et tu anima mea quando disces, quando assvescis omni exui solatio, & merum Passionis Christi calicem gustare? Renuntia ex nunc in conspectu Jesv Christi, omnibus solatiis, quæ percipis ex convictu, ex amicis, ex commoditate, sanitate, successu aliorum, amore & cura, habitatione, talentis. &c.

38 Ventum ad locum mortis. Detrahuntur Vestes. Crucifigitur Iesvs. *Feria 6.*

1. AD locum mortis venit vita; ut ad locum vitæ venirent mortui; & fortè ideo moriente in loco illo Christo surrexerunt mortui, & venerunt in sanctam civitatem; ut quid ergo in loco mortis adhuc hæres homo? cur non festinas migrare ad regionem vitæ? Venit Jesvs ad locum mortis, cur tu fugis locum & occasionem mortificationis? Non stetit Adam primus in loco vitæ, ideo stetit secundus in loco mortis, cur tu stulte primum potiùs quàm secundum Adam æmularis? Pissime Jesv, gratiæ tibi, qui me à monte mortis, ad montem

tæ, terramque viventium trahis, & transfers; confirma, & radica me in hoc loco Sancto, & monte sanctificato, ut nunquam ad regionem morientium convertar animo.

2. DEtrahuntur vestes Christo crucifigendo, an non potuit vestitus Jesvs crucifigi? potuit, sed crux vestitos non amat; facilius est in paupertate Christi nihil, quàm vel minimùm quietè possidere. Exue te homo, exue omnibus, non solùm superfluis, non solùm utilibus, sed etiam quantùm potes necessariis. Opus tibi aliquibus est, sed crux illa non admittit, abjice. Quod non admittat, perfectos crucis amatores aspice, pares tibi, meliores te, juniores, posteriores te, egentiores te, carent quibusdam, quibus tu carere non potes; non te pudet deteriorem esse illis, quibus exemplo esse debueras? Non te pudet pauperiores alios videre, facere, esse velle, quàm te; cùm tamen tu plus illis ad puritatem paupertatis obligatus sis? si in cruce nudus non es? in cruce verè non es; quia plenè in cruce non es, hoc enim quod retines, eò plus de cruce diminuit, quò plus solatii terreni permittit. Nudos perfectè vult Crux, nudos solatio privato, solâ vitâ communi contentos; si in cruce nudus non es? ubi eris? aut in cruce, aut in inferno perfectè nudari debes? elige, ubi potiùs velis. Adam cùm gustâsset ex ligno vetito, indutus est. Jesvs gustaturus de ligno Crucis & tormento, exutus est: an ideo, ut sicut ille cùm gustasset nudum se vidit; ita Jesvs gustaturus nuditate suâ vestire illum voluit!

3. TOtâ vitâ suâ Jesvs crucem portaverat ab instanti conceptionis suæ, tandem crucifigitur, & eidem configitur. Hoc est proficere, hoc est quotidie meliorem fieri, scilicet crucem quotidie plus amare, semper mortificationem sui plus anhelare. Semper sensualitatis fomenta sibi subtrahere. Crucifigitur Jesvs, quando crucifigeris tu? tu inquam, qui tam pridem Crucem amplexus es? qui tantopere aliis crucifixionem sui svades? qvi te crucifixum esse ostentas, qui alios crucifigis, qui alios crucifixos tantopere vis: & non esse, indignaris? Crucifigitur Jesvs, amor ille meus: & cur ego non sum? an ego melior sum eo, quem amo? O quando tibi assimilabor, Amor mi? quando tibi configar? gloriatur quidam magnus crucifixi amator, se Christo confixum esse Cruci: quasi dicat; Christum crucifixerunt milites, at non solum, etiam me cum illo, quoniam ubi amor meus est, & ego necessariò sum, siquidem anima magis ibi est, ubi amat, quàm ubi animat. Item propter me, mihi, in meum bonum, Christus Cruci affixus est; at ego quoque propter Christum & Christo crucifixus sum. Prætcrea,

Chri-

Christus cruci affixus est clavis, at ego Christo; Christum in cruce tenent clavi, me Christus; denique quod est crux Christo, hoc est Christus mihi, confixus est Christus cruci, ego Christo tanquam cruci. O mi JEsv, configantur tibi alii ut diviti, ut pulchro, ut svavi, ut potenti, ut mirabili, ut glorioso, ut triumphanti: ego non sic configi tibi cupio, sed tibi ut abjecto, ut pauperi, ut humili, ut nudo, ut dolenti, ut contépto, ut contumeliis affecto, ut crucifixo. Sapias aliis, in aliis, mihi absit gloriari nisi in cruce tua, absit me scire aliquid in mundo, nisi te, & te quidem non alium quàm crucifixum.

39. Titulus, Elevatio, Latrones. *Sabbath.*

1. CHristum crucifigi, & titulum affigi, quid est quàm peccare, & peccatum prædicare? & quoties gloriamur in rebus pessimis? si quem confudimus, si vexavimus, si irrisimus, si contristavimus, si in faciem restitimus, veluti rem bene gestam aliis referimus, quod quid est aliud, quàm titulum Christo crucifixo apponere? Christus crucifixus, titulum sibi adscribi, & nomen addi volebat: qui miraculis coruscans, nomen suum sileri ab his, quos sanabat, jubebat: & ego non sic: ego aliquid mali subii, aliquid probrosi? fileo & latere cupio: boni aliquid conatus sum, neminem nescire volo.

2. COnsurge tu, qui evangelisas Sion, super montem ascende, elevare, quousque sola terra, sola Hierusalem dolores tuos, & portenta virtutum, amorisque tui spectat? spectet etiam aër, spectet orbis; Anima mea, quæ est ista, & cui usui parata machina, quàm elevari conspicis? An hoc pacto scelus suum Israel toti mundo patefecit, & tanquam Sodoma prædicavit? An ignominiæ doloriscque causâ attollitur? an ut tu quo tandem currere, quò confugere possis habeas; exponitur? An liber amoris, humilitatis, patientiæ, paupertatis, doloris, ignominiæ, tibi legendus expanditur? Elevatur IESVS crucifixus à terra in altum: quousque ergo tibi anima cruces tuæ paruæ, humiles, & quasi terrenæ sunt? & quando generosa & ardua perpeti incipies?

3. IESVS cum latronibus: te pudet agere cum vilibus. IESVS cum sceleratis deputatus est, te pudet humilibus & contemptis accensc-

ri. IESVS inter latrones est, ut inter Angelos & homines, inter reprobos & prædestinatos. Maledicit unus, defendit alter latro Christum, salvatur unus, perit alter, prô! quid hoc? non ambo æquè vicini Christo? non ambo crucifixi? audi ô homo, Religiosus es, in cruce es, cum Christo es? sed nondum securus es? Non in cruce pendere, sed Christum agnoscere, defendere, adorare, prædicare, latroni saluti est. Non in Religione esse, sed inibi bonum esse, saluti est. Et de Cruce, & de claustro, itur ad tartara. O IESV: quid prodest te sequi, si non contingat consequi? O IESV Crux tua, professio scilicet vitæ hujus, ad salutem mihi sit, non ad ruinam, suffigar cruci spirituali, sed verè Religiosus sim, sed verè moriar tecum, sed non extra te.

Dominica Palmarũ.

40. Vestes Christi. Omnis generis blasphemiæ. Oratio Christi pro crucifixoribus.

1. NUdus Christus in Cruce pendet? vestimenta ipsius in oculis ejus aut scinduntur, aut sorte obtinentur. Quid est Christum nudum relinquere in Cruce, vestes autem rapere? animæ curam negligere, corpus verò & externa curare, imitationem Christi Crucifixi, & Passiones dolores q; ejus refugere: specioso autem servitutis ejus titulo gloriari, & veste contegi, & ob hoc solum exteriùs Christum sectari, ut honor habeatur, ut cura victûs, vestitûs, habitationis, aliarumque necessitatum non sustineatur. Nudus etiam tunc Christus pendet, vestes verò ejus rapiuntur, quando, quod gratiæ Dei opus est, tamen industriæ humanæ propriæ attribuitur; quando etiam, quod tu bene feci sti: alteri, vel ab altero imputatur: patitur hoc Christus in Cruce, patere & tu, solamque facti conscientiam Deo reserva. Vestes Christi servi ejus sunt, has aliquando Christus relinquere videtur, quando tribulari, vel à sanctitate eos cadere permittit. Quare autem dividuntur vestes Christi, nisi quia non sunt crucifixæ cum Christo; ita ergo & servi Christi, si cum Christo in Cruce essent, dividi ab ipso non possent. Dividuntur autem à Christo ante crucifixionem, quia rarissimus est, qui cum Christo pos-

sit

sit sustinere tentationem & mortificationem. Hinc Dominica in Palmis Christo stratæ sunt vestes, in Passione verò eidem suæ detractæ, quia scilicet triumphanti Christo & faventi multi sunt servi, ab afflicto verò, etiam sui discedere non erubescunt. Rarus sanctus in tribulatione Christo conjunctus.

2. SI Filius Dei es, descende de Cruce. Alios salvos fecit se non potest. Sine; videamus an veniat Helias liberans eum. Christus Rex Israel descendat de Cruce, & credimus ei. Confidit in Deo, liberet eum nunc, si vult: salvum fac temetipsum & nos. Hæ, & infinitæ aliæ, ab omni hominum genere in Christum, in Crucifixũ jactatæ sunt blasphemiæ. Nullo tempore Christus plures legitur blasphemias, quàm pendens in Cruce, pertulisse. An ideo quia linguæ peccata, hac ultimâ coronide Christum affligere & à Christo expiari debebant? An quia ubi ultimas Christus exserebat patientiæ vires, extremasque ducebat mansvetudinis lineas, mox mox manum de tabula ablaturus, ibi maximè ad impatientiam, & indignationem, fraude dæmonis occasiones præbebantur? An quia inchoata bene, & acta fortiter, ut quoque perficiantur constanter, præcipuè est allaborandum, quippe fini maximè Diabolus invidet, & calcaneo potissimùm insidiatur. Cautus ergo esto, tantò magis, quantò magis appropinquas fini, vel vitæ, vel operum, vel officiorum. Item tantò magis Dei laudibus, & servitiis incumbe, quantò plures tibi adversarii consurgunt, & quantò magis opera tua hominibus displicent. Scito etiam extremam Sanctorum, & Perfectorum vitam, ordinariè tribulationibus & tentationibus, inprimis verò detractionibus infestari, ad hoc ergo te præpara & obarma, quantò eris Sanctior, quantò perfectiùs Crucem Christi conscenderis, tantò magis linguis aliorum, & domesticorum laceraberis.

3. O Ineffabilis dulcedo cordis piissime IESV! O vocem ab initio mundi non auditam! O Dignam Dei Filio Patientiam! mansvetudinem, charitatem! Ad vocem istam creatus est quasi denuo mũdus, alioquin ob scelus necati Filii Dei periturus. Ad vocem istam magis, quàm ad ipsius Crucifixi spectaculũ mollita sunt saxa, excitati mortui, exultavit terra, erubuit mundus, quòd tantam impietatem in tantam pietatem commisisset. O vocem omnibus Christianis, & præcipuè Perfectionis studiosis medullitus ediscendam! O si tu anima mea aliquantum tibi præfigas temporis, ut admirabilis hujus precationis vim, sensum, originem, proprietates, effectus, quàm solidissimè, fructuosissimè, efficacissimè consideres, ediscas, usurpare consvescas; IESVS orat

pro hostibus, excusat crucifixores, tu eos, qui tibi minùs satisfaciunt ægriùs ferre audebis? Pete à Christo, cor Christi erga inimicos tuos.

Feria 2.

41. Hodie mecum eris Mater iuxta crucem. Ecce filius. Ecce Mater.

1. COnsidera quàm ferventer conversus sit iste bonus latro ad Christum, qui tam optandam Promissionem obtinere, & dignus cœlo evadere potuit. Vide te ipsum, quàm tu pridem in hac Cruce vitæ Religiosæ Christi causâ pendes? necdum tamen mereris audire à Christo, Hodie mecum eris: quòd scilicet non tam ferventer converteris. Et non te pudet, quòd Publicani, peccatores, & latrones præcedunt te ad Regnum Dei? quantum dedecus est audire dum latroni dicitur, Hodie mecum: te autem formidare ne dicatur tibi: Nunquam mecum eris. Cur ergo non aliquando peccata, & vitiosos mores deseris? cur non resoluto animo Crucem Christi amplecteris?

2. COnsidera Anima mea, Matrem hanc supra modum mirabilem, juxta Crucem Filii consistentem. O mare æneum verè magnũ, mare quidem ob amaritudinum copiam; æneum, ob animi tantam in luctibus & doloribus firmitatem! O Mater admirabilis & miserabilis, magna est velut mare contritio tua, & non est qui misereatur tui. O stupenda Mater, quæ Christum JESVM Filium parturit iterum, sed non ad vitam, verùm ad mortem, non cum exultatione, sed cum dolore, non in stabulo, sed in Cruce; non in nocte, sed in meridie. O admirabile & lachrymosum puerperium! O dura Maternitas, quæ hac lege paris, ut prolem amittas, & cujus parere, est Filio carere! O Anima mea, mirare mecum hanc tam modestam in dolore, tam constantem in adversis, tam quietam in tanta perturbatione, tam misericordem in compatiendo, tam mitem in condonando, tam resignatam in Dei voluntatem, tam magnanimem, in honore suo propter Filium crucifixum prosituendo. Pete supplex à Matre ista dotes istas, ardenter illi conformari concupisce, ex corde illi compatere, & modo, quo Filio suo illa compatitur.

3. Ecce

3. ECce Filius tuus: Ecce Mater tua. O voces miras, mortaliumq; cordibus optatissimas. Filium effici virginis: quid dulcius? Matrem habere MARIAM, quid securiùs? O Mater non dedignare nos filios, quoniam Deus non est dedignatus te Matrem, impares tibi sumus nos, sed & Deus te infinitè dignior. Facta tamen es tu Mater Dei propter nos, fias igitur Mater nostra propter Deum, peperisti nobis Deum, parias nos Deo. Non est hæc indigna dignitate tuâ prærogativa, ut fias Mater universitatis, quæ es Mater Majestatis. Facta eras Mater Dei, quando de Spiritu concepisti, facta es Mater omnium post Deum, quando à Filio vocem istam, Ecce Filius tuus, audisti; dic igitur nunc etiam Virgo Sancta, illud tuum solenne, Ecce Ancilla Domini, fiat mihi Fili mi secundùm verbum tuum. O Anima mea, accipe ex hac hora Matrem hanc in tua; ut sit deinceps Mater tua. ad illam filiali affectu accurre, illam filiali affectu venerare, illam filiali affectu dilige: illi filiali affectu assimilare, illi filiali affectu, fide, assiste, adhære. O MARIA: ecce tu Mater mea; da, & effice, ut sim ego dignus te Filius tuus.

Feria 3.

42 Tenebræ totius terræ. Derelictio.

1. COnsidera, Crucifixo Christo solem obscuratum in meridie, in plenilunio; ita scilicet dum Christus peccato crucifigitur, omnes hominis justitiæ, omnis gratiæ splendor, omnis dignitas supernaturalis & meritum ab anima depellitur. Tenebris istis cæcitas Iudaici populi signatur, quæ hodieque durat; designatur cæcitas gentilium, in qua vivebant, & ni Christus moreretur, perituri erant; designatur & enormitas omnis peccati, præsertim verò Crucifixi Dei, ad cujus sceleris aspectũ Sol exhorruerit, & mortem mundo induxerit, tanquam sepulturus æternis tenebris, tanti sceleris memoriam. Ohe? horruit Sol peccatum: nos non horrescimus, imò patramus; vide quoties in te talis obscuratio solis contigerit, quando currebas bene, quando Spiritus Dei adfluebat, quando Securus gratiæ Divinæ vivebas, in meridie ipso ad tenebras æternæ calamitatis devolutus? O quando dignè exhorrescès, hanc præsumptuosam tuam securitatem, quæ te velut cæcum in foveam peccati detrudit?

2. Sol

2. Sol obscuratus est, & tenebræ per totam terram factæ sunt Christo dolente; usque modò dolet, patiturque Christus, in peccatorum animabus. O tu, si Sol es, quare non contristaris? quare Christi injuriis non condoles? quare non quantùm in te est peccata tam in te, si de horum numero es, quàm in aliis impedis, & dolores Christi mitigas? An te obscurari pudet, propter leniendos dolores Christi? & cur non puduit obscurari Christum propter destruendam damnationem tuam? An pretiosior tibi honor tuus, quàm Christo suus? An major apud Christum tu, quàm Christus apud te?

3. Deus Deus meus: ut quid me dereliquisti? verè dicis piissime Jesv, & justè quereris, cur derelictus sis; quanquam non est vox & quæstio ista velut ignari, non est indignantis, velut irati: nec est conquerentis velut offensi; sed est magnitudinem doloris opportuno tempore efficaciter declarantis, & se verè pati, ac sentire grandia ostendentis. Derelictus enim eras Domine Jesv, non quòd dissoluta esset unio illa naturalis & essentialis personarum, & naturæ Divinæ, aut illa Hypostatica unio naturæ humanæ cum Persona Verbi, aut unio gratiæ & voluntatis, aut unio gloriæ, & beatificæ secundùm partem superiorem visionis: sed quod dissoluta fuit unio protectionis, quæ ad breve tempus rupta fuit, ut locum oblatio cruenti sacrificii haberet, pro nostra redemptione. Placuit siquidem Patri, Verbo, & Spiritui Sancto, ad exsequendum commune decretum permittere, ut vis humanæ infirmitatis, & possibilitatis, in te ad tempus prævaleret, & sic transigeretur illa hora, de qua olim dixeras ipsemet. Hæc est hora, & potestas tenebrarum. Sic igitur derelictus es, quia permissum est à Deo, ut humana tua natura, absque omni consolatione acerbissimos dolores perferret. Sed quid dices anima, quando de cruce pendens Jesvs clamabit ad te: ô anima mea, ô mea creatione, mea tantâ & tali redemptione, ut quid derelinquis, ut quid dereliquisti me, affixum propter te, ne possem derelinquere te? quid ad hæc respondebis illi?

Feria 4.

43. Sitio. Spongia aceto plena porrecta Christo.

1. Sitio clamat Jesvs; ô quanta vis illius sitis fuit! quæ hanc vocem expressit; naturalis fuit, violentissima fuit, ex summis longissimisque

misque cruciatibus, & ex multis, ac copiosis sanguinis effusionibus, ex continua octodecim horarum pœna, & jactatione, fatigationeque contracta fuit. O quibus tibi austeritatibus corrupta tua natura, impotensque gula frenanda est, cùm videas JESVM, tantâ siti affligi voluisse humanitatem suam?

2. SEd est alia piissimè IESV sitis tua gravior, & suavior; sitis scilicet animarum nostrarum, quas videbas pauculas salvandas, etsi tu tam copiosum sanguinem pro eis fudisses. Itaque cupiens plures salvari, cupis etiam plus pro illis, si ita Patri placeret, cruciari. Itaque clamas, sitio; quasi dicas, quia plures animas meo sanguine efficaciter salvari cupio, ideo plures cruciatus & pœnas sitio; quasi dicas: Attendite animæ, quantùm diligam vos, tot jam licèt perpessus propter vos, adhuc tamen dolores propter vos sitio. quasi dicas. Attendite ira, & odium hostile: tu expleviſti te pœnis meis, & satiâsti, at ego nondum; sitio. tu jam fatigatus ô furor, at meus amor adhuc sitit, & clamat, Sitio. O verè aquæ multæ non possunt exstinguere charitatem! ô animæ Christianæ, ô mea anima cur tam crudelis es? cur tuo profectu sitim JESV non relevas? cur animas, quas ita sitit, JESVS, non sitis? O si posses obtinere, impetrare, experiri, sitim illam IESV, quâ ille animas, quâ tuam animam, quæsivit, sitivit, curavit? Videte Christiani, quid sitiatis? vide tu anima, quid sitis? patine pro Christo? laborare pro Christo? contemni pro Christo? an potiùs quiescere, honorari, bene habere? & vide quid te deceat, ita sitiente Christo?

3. SPongia aceto plena in siti Christo porrigitur. Natura humana spongia est, acetum corruptio. Natura ergo humana corrupta Christo propinatur sorbenda, quando illi præceptum datur de ipsa in Cruce redimenda, ideoque sumpsisse legitur acetum, quia & infirmitatem naturæ, & passionem pro homine pertulit. Liceat quoque mihi piissime JESV gustare de aceto tuo aliquando, hoc est, dolores, contemptusque tuos subire propter te, & sic amori tuo conformari, nec usque ad mortem de crucis, & humiliationis studio remittere.

44. Consummatum est. *Feria 5.*

1. ECquid consummatum est Domine JESV? peccatum Iuda, an peccatum meum? Heu quis scit, an non completa mensura malitiæ meæ, & succedat impœnitens cor, & reprobus sensus? O JESV, libera

Vera me à consummatione ista, & serva me opus manuum tuarum; quia quæ utilitas tibi ex tanto sanguine tuo, pro me fuso; si periero nihilominùs in peccato meo? Tu autem anima mea, time peccare, & quaslibet imperfectiones, præsertim deliberatas, seriò & constanter vitare propone.

2. QUid consummatum est Domine JESV? an vita tua, & opus redemptionis nostræ, quod dederat tibi Pater ut faceres illud? verè nec iota unum præteriisti, ex omnibus quæ audieras à Patre; & ego quando ad tantam consummationem, perfectionemque virtutis me resolvam, ut minimum apicem de voluntate tua, nutuque, & inspiratione mi IESV non præteream? ut examussim exsequar omnia quæ requiris à me, ut quàm perfectissimè cupiam, & connitar placere tibi? scio id non esse virium mearum, sed auxiliorum tuorum. Tu ergo mi JESV consummationem hanc operare in me, & usque ad ultimum anhelitum vitæ meæ, conserva illam, & adauge mihi.

3. QUid consummatum est Domine IESV? Dolores tui, Passio tua, tempus potestatis in te inimicorum tuorum, charitas tua? Ita sanè: omnia transierunt, consummata sunt, perfecta sunt, præcipuè autem caritas tua, quâ cùm dilexisses nos, usque in finem dilexisti, à summo inchoâsti amare nos, & non nisi in summo desiisti, dilexisti nos in finem, quia in Sacramento reliquisti nobis Corpus tuum, usque ad consummationem sæculi; dilexisti etiam in finem, quando ide, Corpus tuũ, in dolores, & mortem ipsam tradidisti pro nobis, ita ut tuæ Passionis efficacia, ad finem mundi, infinitis peccatis nostris, non sit exhaurienda. Outinam propter te omnia diligam, adducam ad te omnes animas, tuo sanguine redemptas, omnia aspera, & abjecta, & vilia sustineam propter te, & propter amorem tuî, & propter salutem animarum, pretioso sanguine tuo redemptarum!

Feria 6. 45. Anima commendata. Mors, Miracula. Apertum latus.

1. COnsidera JESVM consummatis omnibus, cum clamore valido clamantem voce magnâ, inclinato capite, humili, & ardenti, plenâque amoris, & reverentiæ in Patrem oratione, spiritum, & animã suam, manibus Æterni Patris commendare, & mori. O miraculum super omnia miracula! ô calamitatem super omnia calamitosa, quæ mundo nunquam contigerunt! IESVS mortuus est, & pulcherrimus ille nexus purissimæ carnis, cum Sanctissima Anima, dissolutus est; sublatum est individuum ex humano genere maximum, & excellentissimũ; flos & corona naturæ humanæ, mundi & omnis creaturæ decus, pretiosissimumque margaritum. O damnum damnis majus! O damnum, quod scelus humanum facere potuit, reparare sola omnipotentia poterit, damnum cui mundus universus comparari non potest, damnum, cujus solius inflictione deicidium puniri poterat, nisi per illud commissum esset. Defle hoc damnum anima mea, & ad deflendum omnes creaturas convoca.

2. NOn est convocando opus: sponte veniunt: en terra mota est, en petræ scissæ, velum ruptum, en mortui surrexerunt. Perculit damni hujus acerbitas etiam rupes, pertigit ad cadavera, & in lymbum, sensumque emortuis dedit, & tu non percelleris? O te saxis duriorem, & mortuis magis mortuam animam; mota est terra mortuo Christo, tu etiamnum segnis, in torpore hæres; ruptæ sunt petræ, tu quando ad efficaciam, tam copiosi, & pretiosi, in te fusi JESV Christi sanguinis, emollesces, & in manibus Dei tractabilis evades? scissum est velum à summo usque ad deorsum, & detexit Sancta Sanctorum, tu quando peccata confessione deteges? quando cor contritione scindes, quando pretium sanguinis Christi, & viam vitæ, toti, quantùm in te est, mundo evulgare conaberis? Monumenta aperta sunt, cur tu impiorum corda, per claves pœnitentiæ, & prædicationis, Christo patefacere pigritas? surrexerunt mortui, & ad Sanctam Civitatem venerunt: tu quare non surgis, quare alios non excitas, quare ad Civitatem Sanctam, Christi sanguine jam expugnatam, & apertam non festinas, non trahis, non compellis? Moriente vitâ surgunt mortui, scilicet turbata sunt omnia, & in præposteras abiêre leges. Mors non aliter occiditur, aut vincitur, nisi cùm ad vitam ducitur; quod enim est mors vitæ, hoc vita morti; & sicut per lucem tenebræ, per tenebras lux occiditur, ita pernicies vitæ mors, pernicies mortis vita est: periit vita, revixit mors; atque hac ratione mortuo Christo prodierunt mortui ad vitam. Mortuus est JESVS propter te? tu quando mori incipies tibi propter JESVM? Vide quos ef-

fectus producat hæc mors Christi? quando illum incipies resuscitare in te, in aliis? Vide an tuâ culpâ, an tuâ negligentiâ, non sit mortuus Christus, etiamnum in te, & in aliorum cordibus? Mortuus est JEsvs clamans, orans, caput inclinans, Patri Spiritum tradens, & committens, lachrymas fundens. Disce à Christo mori Christianè, ad mortemque te præparare. Clamor est pœnitentia & contritio, Oratio, est veniæ postulatio, & auxilii contra luctas cum dœmonibus imploratio: caput inclinatum, animus est divinæ misericordiæ, & meritis Christi innixus, & confisus. Comploratio & lachrymæ, satisfactio est. Denique Patris compellatio, & Spiritûs in manus ejus commendatio, nihil conscium sibi mentem, & Deum videre desiderantem significat. Sic mori te JEsvs docuit; sed si mori vis, quomodo mortuus est IEsvs: vive, quomodo vixit IEsvs.

3. APertum est latus Christi, ingredere; cor Christi cupis? patet porta. Sed adhuc illud non habes? tibi, tuæque desidiæ imputa. Et quid est habere cor Christi? inter pericula vivis, cur latus Christi non intras? ingredere anima mea, ingredere confidenter, in hanc officinam bonorum, & donorum, & gratiarum; si times? ibi abscondere: si nuda es? ibi vestire. Si egena es? ditare. Si ægra? sanare: si rudis? erudire: si frigida? calescito: si maculata? lavator: si fessa? quiescito: Hîc habita anima mea, hîc spira, hic vive, extra hoc latus nihil tibi placeat, nihil luceat, nihil sapiat, nihil vivat. O IEsv, permitte me ingredi in latus tuum, permitte me in hoc divinitatis palatio, in hac sanctitatis sede, in hac amoris officina, in hoc gratiarum gazophilacio habitare; & da gratiam, ut in eo dignè possim degere, vivere, morari in æternùm.

Sabbato.

46. Depositio, Vnguenta, Sepultura.

1. TAndem accingere anima mea, & JESVM tuum de Cruce depone; quousque enim illum in Cruce imperfectionum tuarum extendes? Considera has Cruces, detestare illas, & emendationem propone. Non se ipsum Christus deposuit, sed deponi ab aliis voluit, perseveran-

dum

dum enim est in bonis, & in voluntatis Divinæ impletione. neque pro tuo libitu cessandum, sed quamdiu placet Deo, manendum, & patiendum, quod si molestum est, & probrosum, cogita non esse molestius dolore mortis, nec ignominiosius supplicio Crucis.

2. DEposuisti de Cruce IESVM? non est satis; unge insuper, & munda syndone involue; unguenta tua, devotio voluntatis, puritas codis, fervor orationis, stabilitas cogitationis, in Deum defixio mentis, vigor Spiritûs, sublevatio à terrenorum sapore, non solùm animæ, sed etiam corporis, sinceritas intentionis, constantia boni operis, denique jugis recogitatio & imitatio Crucis Christi & Passionis. His unguentis IESVM unge, & place; sed unde hæc tibi unguenta? pyxides aromaticas quære. En apotheca plena & instructa IESVS ipse, tot pyxides hic, quot vulnera, sanguis ejus, dolor ejus, mors ejus, hoc est unguentum ejus hinc sume unguenta, hæc effunde: nec metue repulsam, in hos usu, exposita sunt; securus adi, sume, utere. O anima cur ergo hæc vulnera non amas, non usurpas, non oscularis, non nocte, dieque cogitas non tibi efficaciter & medullitus imprimis? IESV tui hoc muneris est, tu dona.

3. SI unxisti IESVM, etiam sepeli. Sepulchrum IESV cor tuum: saxeum sit contra peccata & tentationes durum, cavatum tamen, excisum & novum, quia mundum & purificatum, & à turbis passionum secretum & liberum. Ibi sepeli IESVM anima mea, scilicet pactum æternum cum IESV ini, quòd nempe illi servire, ipsum toto corde amare, memoriam Passionis ejus semper in corde habere, virtutes ipsius seriò imitari, in teque exprimere, secundùm cor IESV cor tuum dirigere, aliorum corda ad IESVM adducere, ipsique in perpetuum addicere velis.

Mi IESV, mane in me sepultus, & ut tantò securiùs quiescas, sigillum vulnerum tuorum appone, custodiis tuis cor meum circumda, ut fiat in pace locus tuus, quo maneas apud me quietus & tutus ad mortem.

Amen.

Symbolum Mortis Piscator

Eccl. Nescit homo finem suum sed sicut pisces capiuntur hamo sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo superveniet. Vo Vertunt Vti pisces tenentur in retia culo malo. Vita hæc, mundi laculi maris et spinosi gloria cellis &c in quo mari pisces natant cupiditates. Cupiditas hamum videns escam devorat et cum piscator eum adduxerit extrahit, viscera ejus torquentur dolore, deinde ab omnibus latitia sua spissa escam de quo letatus est, ad gustum plene trahitur. Sic sunt omnes qui de bonis temporalibus beatos se esse putant: Sancti eum accepetunt et cum Moyse cum Beniamin et Iosue sentiant, quia tormenta cum aviditate devoraverint. Porro mortis hamus et illius potestatis Esca mortis voluptas. Voluptas Rete Dei Ezechiel: omnes extra ripam voluptatis funiculis Job xxi 31 Divitias quas devoravit evomet et de ventre illius extrahet illas Deus. Nitro impetu retia avreo et ea evertisse gulis et purpura coccoq; reais faniby piscatoris. Sic omnes &c:

Christus Χριστός Christ piscis ex Græco ΙχθΥς qd est piscis, apud Hillar Euphrasen Christo Scripsit illas versus quorum una littera sane sentiat efferunt ΙησοῦΣ Χριστός θεοῦ υἱός σωτήρ Jesus Christus Dei Filius Salvator quorum capitales litteras conficiunt ΙχθΥς Vt Aug: dicit Lo qd in Christo mortalitatis abyssus velut in ogeanum profunditatis vitæ hæc sine peccato ea potuerit. Et Optatus mileritanus Hic est piscis qui in Baptismate q in vocatione fortalibus undis inseritur, ut quæ aqua fuerat, a Pisce etiam piscina vocitetur. Christus piscis Tigridis quem Tobias manducaverat abscondens sub humanitatis esca Divinitatis aculeum Vt ait Gregor. in Moralib: et Rufinus in Symb:. Christus Captus a morte quasi pisces Nos etiam pisciculi Dei ΙχθΥΣ nostri Christus in aqua nascimur nec aliter quam in aqua manendo salvi fieri possumus inquit Tertul. Et Evseli Emisi: Oes pisces tunc primum in aqua nascendo vel renascendo in Baptismo naturaliter extrahimur inde sicut pisces capiuntur hamo. Ne tamen capiamur a piscatore Satana ad mortem æternam permittamur nos Christi a piscatoribus Christi Vt Justinus Martyr scribit. Atq; ita ut pisces Cometi Christi in corporemur ut Origenes: Christi ad occidua ad comedendum Spiritualium, ut qd discipuli fecerunt post resurrectionem obtulerunt ei piscem assum de favo mellis. Hoc est ut Emissenus Cum de Passione ejus adhuc offerunt ei piscem assum. Cum de resurrectione favum mellis Sic Ps Paulus Castigo corpus meum 1 Cor: IX Et Dionis in sermone de 1 Cor: XI favum mellis dicunt cum accendunt mur ejus amorem Vt Psalmista Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo Psal CXVIII